



IOSEPHI BINGHAMI,
RECTORIS ECCLESIAE HAVANTINAE
IN AGRO HANTONIENSI ANGLIAE,

QVATVOR

DISSERTATIONES,

QVARVM TRIBVS PRIORIBVS
CERTAE QVAEDAM MATERIAE IN IAM EDITIS

ORIGINIBVS ECCLESIASTICIS


BREVITER AC SVMMATIM DESCRIPTAE
COPIOSIVS ET ENODATIVS EXPLICANTVR;
QVARTA ET POSTREMA AVTEM
ARTICVLI, HOMILIAE, LITVRGIA ET CANONES
ECCLESIAE ANGLICANAE AB OBIECTIONIBVS DOMESTICORVM ADVERSARIORVM PRINCIPIIS ECCLESIAE
REFORMATAE GALLIAE DEFENDVNTVR.

ACCEDIT
AD SVPPLENDA AVCTORIS,
QVAE EXSTANT, OPERA

SERMO

DE MISERICORDIA DEI ERGA PECCATORES
RESIPISCENTES.

EX LINGVA ANGLICANA IN LATINAM CONVERTIT
IOANNES HENRICVS GRISCHOVIVS
HALBERSTADIENSIS.



HALAE, SVMTIBVS ORPHANOTROPHEI CIƆ IƆ CCXXXVIII.



LECTVRIS SALVTEM.



OST *Origines eccleſiaſticas* IOSEPHI BINGHAMI, quarum volumen decimum & vltimum ante hos octo annos & menſes quatuor [*] edidi, iam noua ſcriptorum eiuſdem celeberrimi Viri collectio in lucem prodit.

DIVERSO tempore & occaſione hæc ſcripta olim ab Auctore edita ſunt ſeparatim, deinde autem poſt obitum illius cum *originibus* iunctim excuſa apparuerunt. [**] Diſſertationes quatuor ſunt, ſermo vnus. Tres ex iſtis in *originibus* paſſim citantur, [***] at-

(*) Anno videlicet CIƆ IƆCCXXIX. ad III. Kalend. Decembris.

(**) Londini an. CIƆ IƆCCXXV. apud *Robertum Knaplock.* voll. II. in fol. alphabeth. XX. plag. 19.

(***) Vide ſis Vol. IV. p. 139. 183. 211. 568. Vol. VI. p. 590. Vol. VII. p. 28. 30. 62. Vol. VIII. p. 13. &c.

que inde mihi, in interpretatione illarum occupato, de nomine & argumento innotuerunt. Poſtea vbi, procurante orphanotrophei noſtri bibliopola, nouam iſtam editionem ex *Anglia* apportatam accepi, opportunitatem nactus ſum hæc illis ſubiuncta opuſcula perluſtrandi penituſque pernoſcendi.

Qvo facto de tribus prioribus diſſertationibus ſic exiſtimaui, non vtile tantum fore, ſed neceſſe etiam eſſe, in gratiam eorum, qui *origines* poſſident, latinitate eas donari: quod ad quædam non parui momenti capita, in primis illa *de baptiſmis laicorum & hæreticorum, eorumque pretio ac valore*; *de ordinationibus* item *hæreticorum*, vberius explicanda conſcriptas eſſe cognoueram. [*]

De quarta [**] diſſertatione, quum eſſet ab argumento priorum & ipſarum *originum*

(*) Quod ipſum de prima diſſertatione cl. Auctor in proxime ſequenti præfatione claris verbis indicat: de duabus poſterioribus ex ipſo vtriuſque argumento, magis quidem polemice vel potius apologetice tractato, liquet.

(**) Tempore fuit ſine dubio omnium prima & ante ipſas *Origines* iam ſub ſuperioris fortaſſis ſæculi exitum aut certe ſub huius initium edita: quod ex concluſione, vbi *Gallos* exules in *Anglia* compellat, colligi poſſe videtur.

diuer-

diuerſa, dubium mihi aliquamdiu fuit, quid ſtatuerem. Rationibus autem ab vtraque parte diligentius perpenſis, peruicit ea cogitatio, quæ interpretationem ſuadebat: cuius rei etiam eos, quibus illam aperui, inueni approbatores, nec dubito, quin emtores & lectores plerique, ſi non vniuerſi, idem hoc inſtitutum ſint comprobaturi.

QVAMVIS enim ad *origines eccleſiaſticas*, vt dixi, proprie referri nequeat hæc commentatio: eiuſmodi tamen eſt, vt theologiæ, in primis elencticæ, cultoribus valde prodeſſe poſſit. Nam controuerſias, quæ inter ſic dictos *Epiſcopales* ab vna, & *Presbyterianos* ab altera parte in hodiernum vſque diem agitantur, & quas omnino expedit perſpectas habere, patefacit & illuſtrat, vindiciaſque eccleſiæ *Anglicanæ* aduerſus præcipuas diſſentientium obiectiones complectitur.

DANTVR quidem, fateor, libri ſatis multi, qui de iſtis controuerſiis tractant, plerique autem lingua *Anglica*, quam intelligere non omnibus datum eſt, euulgati ſunt; & qui *latini* exierunt, in noſtris oris rariores ſunt

& cariores, quam vt a quouis iſtarum rerum cupido poſſint comparari. Accedit, quod Auctor peculiarem abalienatos *Anglos* convincendi & ad eccleſiæ ſuæ communionem reducendi inierit rationem, a nullo antea initam: quemadmodum ipſe in epiſtola dedicatoria & præfatione [*] narrat.

EXCIPIT hanc diſſertationem vnus quidam ſermo, quem, quum illam interpretatus eſſem, vel ideo addendum duxi, vt opera Auctoris plena & integra exhiberem. Brevis quidem eſt, at argumenti præſtantia maxime commendabilis. Agit enim de miſericordia, qua in peccatores ad frugem redeuntes vtitur ſummum Numen: quam doctrinam conſolationis pleniſſimam, licet aliunde iam cognitam & ipſo fortaſſis vſu perceptam, in fine horum operum recognouiſſe, neminem, reor, pœnitebit.

PLVRA in horum ſcriptorum commendationem non addo. Quando enim Auctor in *originibus* ſuis incredibilem variarum rerum ſcientiam magnumque iudicium pro-

(*) Pag. 390 ſeq. 395 ſeqq.

didit,

didit, & ſummam inde famam atque exiſtimationem in orbe litterato, [*] ipſis etiam adverſariis eius fatentibus, [**] conſequutus eſt: vnuſquiſque coniectura ante, quam ad ipſam lectionem accedat, facile poterit proſpicere, quales haſce commentationes offenſurus ſit, ab homine tam docto & in primis erudito elucubratas.

De opera, quam ego ad interpretandas illas contuli, non habeo, quod prædicem: hoc tantum, quod olim de primo operum volumine dixi, de hoc vltimo etiam adfirmare poſſum, me id egiſſe fideliter, vt verbis auctoris mei non tantum alienum ſenſum ne darem, ſed vt ea etiam perſpicue & plane redderem: quam curam illis quoque locis adhibui, quæ ex aliorum libris, *Anglice* vel *Gallice* ſcriptis [†], interpoſuit. Indices hæc opuſcula

(*) In *actis eruditorum*, quæ *Lipſiæ* publicantur, ſingula earum volumina magna cum laude recenſita leguntur. Poſtquam *Latine* prodierunt, iidem viri docti, qui iſta acta colligunt, & alii id ſibi maximopere probari declararunt publice, quod hoc modo communi eruditorum vſui eximius iſte antiquitatum eccleſiaſticarum theſaurus recluſus eſſet.

(**) Vid. in dedicatione ante diſſertationem ſecundam p. 132.

(†) Cuiuſmodi ex iſtis ſunt collectæ, rubricæ & canones eccleſiæ *Anglicanæ* vniuerſi & præter libros *Anglice* inſcriptos, alii quidam *Latinum* titulum in fronte gerentes, e. g. FALKNERI *libertas eccleſiaſtica*,

non

non habent præter vnum perbreuem, in quo Cl. BINGHAMVS libros, in quarta ſolum diſſertatione a ſe vſurpatos, nominauit. Ego autem auctores omnes, quotquot in integro hoc volumine vel laudantur vel refutantur, conſignaui, & paginas, in quibus leguntur, perinde vt in indice auctorum *originibus* ſubiuncto, adſcripſi. Quam rem lectoribus gratam me feciſſe confido.

QVOD ſupereſt, gratias Deo optimo maximo ago, quod vitam mihi & vires conceſſit, vt hunc etiam laborem exantlarim. Faxit idem clementiſſimus Deus, vt ego & lectores omnes miſericordiam, quam in ſcriptorum ſuorum vltimo commentatus eſt Auctor, propter IESVM CHRISTVM, filium ipſius crucifixum & morti traditum eumdemque e mortuis reſuſcitatum, in via veræ pœnitentiæ & fidei conſequamur. *Halæ Magdeburgicæ*, in Orphanotropheo *Glauchenſi.* Pridie Kal. Aprilis CIↃ IↃCC XXXVIII.

I. H. G.

MOLINAEI *nouitas papiſmi*, ceteri; Ex his autem canones e ſynodis nationalibus & diſciplina eccleſiarum reformatarum *Galliæ* depromti omnes, nec non diuerſæ epiſtolæ & diſſertationes ſuo quæque loco nominatæ.

DIS-

DISSERTATIO PRIMA,

EXHIBENS

HISTORIAM SCHOLASTICAM

BAPTISMI LAICORVM,

VT EIVS QVIDEM

PARTEM PRIOREM;

QVA

PRAXIS ECCLESIAE PRIMITIVAE, PRAXIS ECCLESIAE RECENTIORIS GRAECAE, ET PRAXIS ECCLESIARVM REFORMATARVM ENARRATVR.


ACCEDIT

APPENDIX,

CONTINENS

ANIMADVERSIONES QVASDAM IN PARTEM HISTORICAM SCRIPTORVM *LAVRENTII* DE

INVALIDO BAPTISMO LAICORVM.



PRAEFATIO AVCTORIS.



RIMA & vna ſola hanc diſſertationem conſcribendi cauſſa hæc fuit initio, vt eſſet ſingulare quoddam caput proximi voluminis *originum* mearum *eccleſiaſticarum*, vbi ordo, quem mihi in hoc opere obſeruandum propoſueram, ad perſequenda diuerſa antiquæ *liturgiæ* & cultus publici eccleſiæ officia, & inter hæc primum quidem ad conſiderandam inſtitutionem *catechumenorum* vna cum *baptiſmi* & *confirmationis* officiis me deduxerat. Heic materiæ ſubiectæ ratio neceſſario deductura me erat eo, vt de *miniſtro baptiſmi* & *rebaptizationibus*, nec non de *conceſſa laicis*, certis in caſibus, *baptizandi poteſtate* verba facerem. Enimuero mox deprehendi, ad digne explicandum hoc argumentum, eo præſertim tempore, quo quædam con-

trouersiæ de illo obortæ sunt, paullo fusius id tractari oportere, quam methodus permissura esset, qua in *originibus* meis vsus sum, vbi magna rerum varietas de singulis materiis strictim & breuiter, quoad fieri potuit, loqui me coëgit. Quocirca de hac speciali materia in peculiari dissertatione separatim agere induxi animum, vt spatium haberem excurrendi longius, & contexendi eiusmodi narrationem historicam, quæ huic argumento & tempori esset accommodata. Varios errores hac in materia a nonnullis doctis scriptoribus recentioribus admissos esse animaduerteram: & quamvis me haud iuuet cum vllo homine in disputationem ingredi, tamen mihi necesse fuit in hac dissertatione (reuerenter quidem & humaniter pro eo ac decuit,) illorum facere mentionem. Qua in caussa neminem tanto nomine esse existimo, vt alios ex auctoritate eius quasi dictatoria pendere oporteat, maxime in iis, quæ ad rem gestam & historiam attinent, nisi idoneas rationes & argumenta adferat, quibus probet ea, quæ adfirmat. Quamobrem non dubitaui errores ostendere eruditi IOANNIS FORBESII, in quibus versatur, de baptismo agens diaconorum & laicorum, & quam perperam intelligat CHRYSOSTOMI & HIERONYMI hac de re opinionem. Et quum in negotio rebaptizationis *Stephanus* episcopus *Romanus*

nus

quemadmodum inique reprehensus fuerit, quasi baptismum omnium hæreticorum in genere sine ulla exceptione recipiendum esse senserit, non dubium quin existima[illegible] hac in caussa consu- lerent, rebus e tenebris in lucem propriam euoca- tis, quantumuis nonnulli magni nominis scripto- res, & inter eos IOANNES PEARSONIVS epi- scopus noster, contrariæ opinioni magnam au- ctoritatem & fidem attulerint. Obseruaui etiam, opinionem ecclesiæ *Græcæ* hodiernæ & praxi eccle- siarum Reformatarum a quibusdam recentioris æui scriptoribus magnum momentum in negotio baptismi per laicos [illegible] sic necessitate aut ali- ter administrati, tribui, vt omnes istiusmodi ba- ptismos irritos & nullos esse probent. Quocirca in omnium istarum ecclesiarum opinionem & pra- xin diligenter inquisiui, variosque manifestos er- rores emendaui, in narrationibus de ea commis- sos ab illis, qui ad auctoritatem illarum hac in re prouocarunt. Indagaui quoque sententiam & praxin ecclesiæ *Anglicanæ* a primis inde reforma- tionis initiis ad nostram vsque ætatem, & patefe- ci, quod haud vllam habeat aut habuisse cogno- scatur regulam, qua rebaptizari iubeantur, qui ne- cessitate cogente a laicis essent baptizati. Et quum hæreticorum, schismaticorum & clericorum de gradu deiectorum baptismus res ardua sit ac

 diffi-

difficilis, quæ ecclesiam catholicam semper exercuit; & speciatim ecclesiæ *Anglicanæ* permultum intersit, eum esse validum, ego aliquid operæ & laboris suscepi, vt in fundamentum huius quæstionis inquirerem, eamque ex antiquis scriptoribus accurate exhiberem, ostendendo, eiusmodi baptismum, quamlibet contra auctoritatem datum, nihilo secius ratum habitum esse ac validum; et licet suis laborarit vitiis, hæc tamen fuisse eiusmodi, vt suppleri & corrigi ab ecclesia potuerint sine rebaptizatione. Et quum perdifficile factu videatur, de legitima ecclesiæ *Anglicanæ* auctoritate baptizandi rationem reddere, quum in confesso sit, baptismum eam suum accepisse ab hæretica & schismatica ecclesia *Romana*, veram rationem commonstraui hanc difficultatem superandi, dum illam ostendi iustam auctoritatem suam recuperasse, vbi ad ecclesiæ catholicæ vnitatem in reformatione reuertit. Ne quis vero obiiciat, non fuisse tunc in sancta catholica ecclesia vllos publicos confessores præterquam in ecclesia *Romana*, demonstraui, magnam semper multitudinem istiusmodi confessorum conseruatam fuisse inter *Albigenses* & *Waldenses* ad ipsum vsque tempus reformationis: Eorumque characterem, sicut ex æquo & bono faciendum mihi arbitratus sum, a sinistra repræsentatione & odiosis animaduersionibus

nibus

quibus eos nonnulli ex ipsis no-
erare, si non de industria, onera-
quibus scripta LAVRENTII, in-
(quæ quodam animi feru-
voluit) multorum animos ma-
uerint, qui subtile eius disputandi
as narrationes historicas refutari
tant, notas composui in eas, ra-
onuenientes, vt & ipsi & simul
lerem, multum & vehementer in
antiquit. ipsum errasse, sæpius et-
baptisma laicum, baptisma aucto-
m & baptisma inualidum confun-
m in historia ecclesiastica appella-
rsæ prorsus significationis, librum-
ersum falso huic fundamento in-
æc vocabula perinde valere existi-
plurimum inter se differunt. Quod
ue in *Laurentiana* hoc argumen-
ratione obseruaui, est id, quod no-
ersequitur baptismum hæreticorum
rum inualidum demonstraturus, fa-
procliuitate per directam & proxi-
entiam contendant, vt vniuersam ec-
icanam christianorum cœtu vsque
excludant, nisi demonstrari possit,
m nostrum ab alia quadam ecclesia,
quam

quam hæretica & ſchiſmatica eccleſia *Romana*, primitus accepiſſe. Hæc tanti momenti animadverſio eſt, vt neque LAVRENTIVM, neque vllum alium, qui notiones eius animo imprudenter imbibit, mihi vitio daturum ſperem, quod id obſervarim, quandoquidem tantum religionis noſtræ chriſtianæ momentum his vltimis eccleſiæ temporibus inde dependet. Si qua autem infamia vel contumelia mihi inferatur, quod hoc dixerim, facile patiar & ſine dolore feram pro eccleſia vniuerſali & pro eccleſia *Anglicana*, cuius vtriuſque veris commodis ſemper ſeruiui, iſtius quidem ſcribendo antiquitates, pro hac autem edendo apologias. Ad quod vtrumque propoſitum perſequendum hanc ipſam diſſertationem publicaui, non ſolum, vt antiquæ eccleſiæ praxin narratione exponerem, ſed vt legitimum quoque ius & poteſtatem eccleſiæ *Anglicanæ* vindicarem, quando obducta ſpecie poteſtatem eius magnifaciendi eiuſmodi argumenta & methodi diſputandi adhibentur, quæ ad conſtitutionem eius proſternendam, ipſamque nudandam, proiiciendam & ipſo chriſtiano baptiſmo ſpoliandam ſpectant. Quæ fuit *Laurentianæ* methodi diſceptandi infelicitas, ſi ad eam recte capiendam aptus ſum. Libenter quidem magnam teſtari poſſum obſeruantiam, qua LAVRENTIVM, vtpote præſtanti virum ingenio,

genio, multiſque in rebus acutum diſputatorem, reuereor & colo: vehementer etiam vicem hominis in eiuſmodi ſtatu doleo, qui ex mero conſcientiæ ſcrupulo de iuſto baptiſmi ſui valore ambigens ab eccleſia denuo baptizari atque ita animo ſuo incerto ac dubio ſatisfieri cupit. Nam in nonnullis caſibus (licet non exacte in hoc illius) vbi quis dubitabat, an baptizatus eſſet an non, priſci chriſtiani baptiſmi iterationem concedebant, vt omnem dubitationem, quæ hac in re accidere poterat, tollerent. Enimuero ſi quis eiuſmodi argumentis ad ſe defendendum vtitur, quæ ipſam poteſtatem baptizandi in ea eccleſia deſtruunt, a qua baptiſmum ſuſcipere cupit: tum id ei inhumanum foret & eccleſiæ iniuſtum, errores ipſi ſuos haud commonſtrare, nec legitimum valorem iſtius baptiſmi in eccleſia, quem argumenta illius deſtructum eunt, vindicare. Et hoc ſolo reſpectu animaduerſiones in ipſum feci, ſicut facere illum decuit, qui eam prouinciam ſuſcepit, vt leges & conſuetudines antiquæ eccleſiæ explanaret, legitimaque iura ac priuilegia defenderet eccleſiæ *Anglicanæ*.

Vnvm reſtat, quod vt mihi cum debiti honoris & reuerentiæ teſtificatione erga antiſtites noſtros, in legitima conuocatione congregatos, proponere liceat, ſubmiſſe rogo. Hoc eſt, An

non commodum foret, peculiarem habere formulam confirmationis ſeu impoſitionis manuum pro illis, qui ab hæreticis & ſchiſmaticis ſunt baptizati, ſi ad eccleſiæ vnitatem redirent: quandoquidem ſæpius tali formula opus eſt ob magnam eorum multitudinem, qui in hæreſi vel ſchiſmate baptizati, in eccleſiam, probata reſipiſcentia & erroribus repudiatis, admittuntur ſine rebaptizatione. Antiqua eccleſia formulas habebat eiuſmodi negotio peculiares & proprias. Neque enim confirmationem illis, qui ab hæreticis vel ſchiſmaticis baptizati eſſent, eodem modo dandam eſſe iudicabat, quo eam baptizatis in eccleſia impertiebat; quia licet iſtorum baptiſmum non ſimpliciter nullum & inualidum haberet, in variis tamen reſpectibus pro imperfecto reputabat (qua de re in ſequenti diſſertatione fuſius diſſerui) eamque ob cauſſam commodas formulas eorum confirmationi aſſignarat, antequam eos ad ſacram euchariſtiam, vbi ad eccleſiam rediiſſent, admitteret. Vnam illarum, quia huic materiæ aliquid lucis adferet, eaque illuſtrabit, quæ de illa ediſſero, heic ſubiungam ex PETRO A MARCA, qui ſe illam accepiſſe dicit ex antiqua manuſcripta collectione veteris cuiuſdam theologi, ante annos octingentos conſarcinata, quæ exſtet in bibliotheca regis *Galliarum*. Facta eſſe manifeſto cogno-

cognoſcitur ſecundum canones concilii ſecundi generalis *Conſtantinopolitani* & concilii *Trullani*, qui hæreticorum alios vt mere ethnicos beneficio noui baptiſmi, alios autem per manuum tantum impoſitionem cum vnctione ſeu chriſmate confirmationis ſuſcipi iubent. Ritus recipiendi poſterioris generis hæreticos ita deſcribuntur. "Ante " omnia, quando amplectuntur fidem orthodo- " xam, oportet, vt ieiunent decem vel quindecim " diebus & orationibus vacent mane & veſperi, " addiſcant pſalmos & catechumenorum more " informentur, ſicque digni reddantur orthodo- " xa fide. Deinde dicant anathema priſtinis do- " gmatibus hæreticis, & profiteantur fidem ca- " tholicam. Quo facto, inclinante ſeſe conuer- " ſo, ſacerdos manum capiti eius imponens hanc " orationem recitat (*). *DEVS, ſeruator noſter,* " *qui vis omnes homines ſaluos fieri & ad agnitio-* " *nem veritatis venire, ſuſcipe hunc famulum* " *tuum, qui vix ab errore emerſit, & ad verita-* " *tis tuæ cognitionem peruenire deſiderat. Tu* " *enim dixiſti: Alias oues habeo, quæ non ſunt* " *ex hoc ouili, & eas oportet me adducere, & vo-*

(*) Pet. a Marca not. ad concil. Claromontanum ad calcem diſſertat. de concord. ſacerdot. & imperii p. 279. edit. Francof. 1703. fol. Ὁ Θεὸς σωτὴρ ἡμῶν, ὁ βουλόμενος πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν, πρόσδεξαι τὸν δοῦλόν σου τόνδε, τὸν μόλις ἀνανήψαντα ἐκ τῆς πλάνης, καὶ ἐπιποθήσαντα εἰς τὴν ἐπίγνωσιν ἐλθεῖν τῆς σῆς ἀληθείας· σὺ γὰρ εἶπας, καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω, ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης, κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν, καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσι καὶ γε-


“ *cem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus*
“ *paſtor. Paſce illum veræ tui cognitionis pro-*
“ *feſſione ſecundum ſanctorum & glorioſorum apo-*
“ *ſtolorum explicationem; et dignare illum ſi-*
“ *gnaculo diuini vnguenti, aduentuque ſancti Spi-*
“ *ritus tui & participatione venerandi corporis*
“ *& ſanguinis CHRISTI tui. Et perfice hunc*
“ *famulum tuum, vt ouili tuo ipſe quoque adnu-*
“ *meretur, in laudem & gloriam magnitudinis*
“ *tuæ, quoniam tuum eſt regnum & poteſtas.*

“ Et vngit eum vnguento, vt fieri ſolet erga
“ recens baptizatos, eamdemque ſuper ipſo for-
“ mulam pronuntiat. Poſtea iterum precatur:
“ *Domine, DEVS noſter, qui perficere & con-*
“ *ſummare dignatus es hunc famulum tuum per*
“ *rectam erga te fidem & ſignaculum ſacri vn-*
“ *guenti, tu vniuerſorum Domine, rectam erga*
“ *te fidem cuſtodi, augens in eo iuſtitiam & omni-*
“ *bus donis tuis exornans.* Deinde ad partici-
“ pandam ſacram cœnam admittitur.”

νήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν· ποίμανον αὐτὸν ἐν τῇ δόξῃ τῆς ἀληθοῦς εἰς σὲ ἐπιγνώσεως, κατὰ τὴν ἔκθεσιν τῶν ἁγίων σου ϗ ἐνδόξων ἀποστόλων, ϗ καταξίωσον αὐτὸν τῆς σφραγῖδος τοῦ θείου μύρου, ϗ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσεως ϗ τῆς μεταλήψεως τοῦ τιμίου σώματος ϗ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου. Καὶ ἀνάδειξον αὐτὸν τέλειον δοῦλόν σου, ἵνα τῇ ποίμνῃ σου συγκαταριθμηθῇ ϗ αὐτὸς, εἰς δόξαν ϗ ἔπαινον τῆς μεγαλωσύνης σου, ὅτι σοῦ ἐστὶν ἡ βασιλεία ϗ ἡ δύναμις. Καὶ χρίει αὐτὸν τῷ μύρῳ, καθάπερ ϗ τοὺς νεοφωτίστους, τὴν αὐτὴν ϗ ἐπ' αὐτῷ ἐπίῤῥησιν ποιούμενος· ϗ μετὰ τοῦτο πάλιν ἐπεύχεται. Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ καταξιώσας τελειῶσαι τόνδε δοῦλόν σου διὰ τῆς εἰς σὲ ὀρθοδόξου πίστεως, ϗ τῆς σφραγῖδος τοῦ ἁγίου μύρου, σὺ δέσποτα τῶν ἁπάντων, τὴν εἰς σὲ ἀληθῆ πίστιν διατήρησον, αὔξων αὐτὸν ἐν δικαιοσύνῃ ϗ πᾶσι τοῖς παρά σου χαρίσμασι κατακοσμῶν· ϗ εἶθ' οὕτως κοινωνεῖ.

Fa-

FACILE eſt obſeruatu, hanc formulam non in eorum vſum factam, qui in eccleſia catholica, ſed pro illis, qui in hæreſi baptiſmum ſuſcepiſſent. Mentio enim erroris eorum in ipſis precum verbis iniicitur, & iubentur etiam confiteri hæreticam opinionem ſuam eique renuntiare ad eccleſiam reuerſi. Quum itaque non habeamus in liturgia noſtra eiuſmodi formulam, ſapientiæ & prudentiæ noſtrorum antiſtitum relinquo, vt conſiderent, anne eiuſmodi formulam addi conducat, vbi de formula reconciliandi pœnitentes aliiſque ſimilis generis proxime inter ſe contulerint. Hæc ratio erat, quam eccleſia antiqua inibat ſupplendi defectus iſtiuſmodi baptiſmi, quem validum & ratum, etſi non plane perfectum, habendum eſſe iudicabat ſine rebaptizatione.



SYNOPSIS.

CAPVT PRIMVM.


De praxi ecclesiæ antiquæ.

§. XV.

CAPVT SECVNDVM.

De praxi modernorum *Græcorum* & *Moſcovitarum.*

CA-



SYNOPSIS.

CAPVT PRIMVM.

De praxi ecclefiæ antiquæ.

§. XV.

CAPVT SECVNDVM.

De praxi modernorum *Græcorum* & *Mofcovitarum.*

CA-

CAPVT TERTIVM.

De praxi ecclesiarum, a corruptelis papatus repurgatarum.

APPENDIX.

HISTO-



HISTORIAE SCHOLASTICAE
BAPTISMI LAICORVM
PARS PRIOR.

CAPVT PRIMVM
DE
PRAXI ECCLESIAE ANTIQVAE

§. I.

Status controuerfiæ de baptifmo laicorum.



D recte intelligendum huius controuerfiæ ftatum, neceffe eft fub initium huius differtationis diuerfas hafce quæftiones aliam ab alia diftinguere. 1 Num baptizandi mandatum ita datum fit apoftolis, vt in alios etiam eamdem facultatem conferre potuerint? 2. Num epifcopi idem ius habeant, quod habuerunt apoftoli? 3. Num epifcopi hanc poteftatem folis presbyteris fiue facerdotibus, tanquam facerdotali poteftate præditis, deferre poffint? 4. Num diaconis in cafibus ordinariis vel extraordinariis baptizare liceat? 5. Num minores clerici, qui funt infra diaconos, aliquid eiusdem poteftatis fibi datæ habeant? 6. Num mere laici, ad nullum vnquam officium ecclefiafticum vocati, promifcue baptifmum adminiftrare poffint

in casibus ordinariis? 7. Num episcopi ius eis dare possint id faciendi in extraordinariis extremae necessitatis casibus? 8. Num, si id faciant cum vel sine istiusmodi mandato, baptismus eorum plane nullus & inualidus sit? 9. Num mulieribus liceat baptizare in similis necessitatis casibus, & baptismus earum validus sit? 10. Num sacerdotes haeretici & schismatici magis idonei sint ad baptismum administrandum quam catholici laici? 11. Num eorum baptismus legitimus vel certe validus sit? 12. Num baptismus a *Turcis*, *Iudaeis* seu *Infidelibus* administratus in vllo numero sit in ecclesia christiana? Quarum diuersarum quaestionum distincta consideratio res omnes complectetur, ad hoc argumentum pertinentes. Et quod propono, eo spectat, vt earum aliquam dem explicationem, quatenus ex generali sententia & praxi ecclesiae antiquae & modernae colligi potest; exorsurus primum a praxi ecclesiae antiquae, postea vero regulas ecclesiae *Graecae* modernae & denique ecclesiarum, quae per reformationem a papatu secessionem fecerunt, examinaturus.

§. II.

Munus baptizandi apostolis datum; ab his pro sua prudentia delatum aliis.

Vt ab antiquae ecclesiae praxi ordiamur, certum est, munus baptizandi primitus datum esse a Seruatore vndecim apostolis. Ita enim diserte legimus *Matth. XXVIII, 16. seqq. Vndecim autem discipuli profecti sunt in Galilaeam in montem, vbi constituerat eis IESVS. Et quum accessisset ad eos IESVS, loquutus est eis, dicens; data est mihi omnis potestas in caelo & in terra. Profecti igitur docete omnes gentes baptizantes eos in nomen PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI; docentes eos seruare omnia, quae mandaui vobis; & ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem saeculi.* Iam vero ex huius mandati argumento constat, auctoritate eos fuisse donatos non tantum baptizandi per se ipsos, sed deferendi etiam hanc potestatem aliis. Officium enim & potestas baptizandi non debebat cum ipsis intermori, sed durare ad finem vsque mundi. Duae autem hinc quaestiones subnascuntur: Quibus illi auctoritatem baptizandi re vera

tri-

[illegible] quibus hoc negotium dederint, vt aliis auctoritatem dandi [illegible]? Vtrumque enim hæc res necessaria erat ad conservandam ecclesiam secundum mandatum CHRISTI, certe in primis sæculis. De priori quæstione liquet ex historia apostolorum, dedisse eos episcopis, presbyteris & diaconis baptizandi potestatem. *Philippus* enim, qui tantum diaconus erat, *Æthiopem* eunuchum baptizasse legimus *Act. VIII, 38.* sed remanet adhuc quæstio, Num hoc mandatum ad vllos alios, siue in ordinariis siue in extraordinariis casibus, extenderint. Vetus auctor, qui sub nomine AMBROSII [a] scripsit, in ea fuit opinione, apostolis visum esse, ad incrementum ecclesiæ generatim omnibus christianis negotium hoc dare, vt & docerent & baptizarent; deinde vero, cessante hac necessitate, & plerisque locis ad religionem christianam perductis ecclesiisque erectis, rectores in singulis ecclesiis hanc in rem constitutos esse. *Vt cresceret*, inquit, *plebs & multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est & euangelizare & baptizare & scripturas in ecclesia explanare. Vbi autem omnia loca circumplexa est ecclesia, conuenticula constituta sunt, & rectores & cetera officia in ecclesiis sunt ordinata, vt nullus de clero auderet, qui ordinatus non esset, præsumere officium, quod sciret non sibi creditum vel concessum. Hinc ergo est, vnde nunc neque diaconi in populo prædicant, neque clerici vel laici baptizant.* Opinatus esse hic auctor videtur, mandatum, quod apostolis suis reliquit SERVATOR noster, illis arbitrariam potestatem dandi aliis auctoritatem baptizandi, quemadmodum pro sua sapientia, SPIRITV SANCTO duce, instanti necessitati & vrgentibus ecclesiæ rationibus profuturum existimarent; adeoque sicut nemo habere possit potestatem baptizandi, nisi qui hac vel illa ratione mandatum ab illis acceperit; ita requirentibus id ecclesiæ rationibus eos habuisse potestatem dandi aliis præter ordinarios ministros auctoritatem baptizandi; quam potestatem eos & potuisse reuocare & reuocasse, simulac illæ rationes ecclesiæ cessarint. Et ex hoc fundamento præcipue factum est, vt veteres ecclesiæ episcopi diaconis & nonnunquam laicis extra ordinem baptizare permiserint.

(a) Ambros. comment. in Ephes. IV. p. 948.

Sic enim statuebant, se eodem munere eademque potestate, quam habuerint apostoli, praeditos esse tanquam illorum successores: hoc est, vt modo diximus, non solum potestate se gaudere baptizandi per se ipsos, sed dandi etiam aliis auctoritatem faciendi idem, siue in ordinariis siue extraordinariis casibus. Vnde presbyteros sibi adiutores cooptabant in casibus ordinariis, suaque vtebantur arbitraria potestate interdum etiam diaconis concedendi auctoritatem in casibus ordinariis baptismum administrandi, interdum vero eos ab hoc munere penitus retrahendi, & ad solos casus extraordinarios magnamque ecclesiae necessitatem coercendi, non aliam illis potestatem facientes, nisi quam in similibus casibus faciebant laicis. Quamquam enim nemo de antiquis scriptoribus mentem suam hac de re tam perspicue declaravit, quam quidem hic personatus AMBROSIVS: manifestum tamen est, eos omnes, qui episcoporum potestatem, qua diaconis & laicis auctoritatem baptizandi concesserunt, aut pro prudentia sua eam illis rursus subtraxerunt, tuiti sunt, ex eodem fundamento agere oportuisse, nimirum quod istiusmodi potestas in manus episcoporum ecclesiae, tanquam eorum, qui apostolis successerunt, tradita sit decernendi, quinam & quibus in casibus baptizare debeant, quemadmodum pro sapientia sua rationes ecclesiae magis vel minus id exigere iudicarent. Nam sine hoc principio fieri non potest, vt quis rationem de veterum consuetudine episcoporum adferat, qui diaconos interdum a baptizando non minus quam laicos reuocarunt, interdum autem vtrisque id faciendi dederunt auctoritatem.

§. III.

Episcopis eadem potestas, quam apostoli habuerunt, permissa tanquam eorum successoribus.

Sic rem vere se habuisse, ex multis veterum scriptorum locis liquido apparet, vbi de primitiua administrandi baptismum potestate loquuntur, tanquam vnice & integre in episcoporum, vtpote qui proximi apostolorum successores erant, manus tradita, & ab his ad alios deriuata, quos vel perpetuos & ordinarios baptismi ministros esse, vel tantum ex occasione & extra-

tra ordinem, rationibus ecclesiæ ſimpliciter & abſolute id poſtulantibus, illum adminiſtrare iuſſerunt. Hinc eſt, quod olim in multis minoribus diœceſibus ipſi epiſcopi per ſe baptizare conſueuerunt. Non niſi vnum baptiſterium erat, ad ciuitatem aliquam vel diœceſin pertinens, idque in eccleſia cathedrali ſiue matrice, vbi reſidebat epiſcopus, & quo duabus ſollemnibus feſtiuitatibus *paſchalibus* & *pentecoſtalibus* ad recipiendum baptiſmum omnes vndique commeabant. In maioribus ciuitatibus & diœceſibus, vbi plura baptiſteria neceſſaria erant, de epiſcopi ſententia ſemper erigebantur, in eisque officium adminiſtrare illis tantum licebat, qui ab epiſcopo veniam & auctoritatem acceperant; ne quid contra eum fieret, ſed in debita ſubter ipſum, vt antiſtitem eorum, ſubmiſſione omnia agerentur. Ita ab auctore *pontificalis* in vita *Marcelli* [*b*] obſeruatum eſt, eum, quum *Romæ* eſſet epiſcopus, viginti quinque eccleſias ibi conſtituiſſe, quaſi diœceſes pro baptizandis paganis, qui ad religionem chriſtianam tranſiiſſent, totidemque presbyteros, qui in illis miniſtrarent. Enim vero hi omnes vni iſti epiſcopo ſubiecti erant agebantque ex illius auctoritate & mandato. Ita vt, quemadmodum concilium quoddam *Romanum* [*c*] narrat, licet presbyteri & diaconi certis ſollemnibus temporibus præſente epiſcopo baptizare conſueuerint, tamen non niſi miniſtri eius hac in re fuerint, & quod fecerunt, ipſe epiſcopus feciſſe creditus illiusque nomini id tributum ſit. Speciatim hanc in rem ab epiſcopo quodam, qui in concilio *Carthaginenſi* ſub CYPRIANO [*d*] adfuit, obſeruatum eſt, CHRISTVM miſiſſe apoſtolos, ipſisque ſolis

(*b*) Pontific. vit. Marcelli ap. Crabbe tom. I. p. 204. Hic viginti titulos in vrbe Roma conſtituit quaſi diœceſes propter baptiſma & pœnitentiam multorum, qui conuertebantur ex paganis & propter ſepulturas martyrum.

(*c*) Concil. Roman. can. VII. ap. Coteler. not. in conſtit. apoſt, lib. III. c. IX. Paſchæ tempore presbyter & diaconus per parochias dare remiſſionem peccatorum & miniſterium implere conſueuerunt, etiam præſente epiſcopo: In fontem quoque ipſi deſcendunt, illi in officio ſunt: ſed illius nomini facti ſumma conceditur.

(*d*) Concil. Carthagin. ap. Cyprian. n. LXXIX. p. 241. Manifeſta eſt ſententia domini noſtri Ieſu Chriſti, apoſtolos ſuos mittentis & ipſis ſolis poteſtatem a patre ſibi datam permittentis, quibus nos ſucceſſimus, eadem poteſtate eccleſiam domini gubernantes & credentium fidem baptizantes.

 po-

poteſtatem a patre ſibi datam conceſſiſſe; epiſcopos item apoſtolorum eſſe ſucceſſores, eadem poteſtate eccleſiam gubernantes & credentibus baptiſmum conferentes. Hinc generalis & conſtans regula in eccleſia euaſit, quod presbyteris & diaconis non liceat vllum officium [e] perficere ſine auctoritate & venia epiſcopi ſui, quia Domini populus ipſi commiſſus ſit, & pro animabus eorum hic redditurus ſit rationem. Hoc ſpeciatim in officio baptiſmi adnotatum fuit a plerisque veterum ſcriptorum. Regula iſta iam IGNATII ætate obtinuiſſe cognoſcitur, qui mentem ſuam hac de re ita declarat. *Non licet*, inquit, *ſine epiſcopo neque baptizare [f] neque agapen celebrare: ſed quodcunque ille probauerit, hoc & DEO gratum eſt.* Non dicit, neminem præter epiſcopum baptizare poſſe, ſed id non fieri regulariter ſine eius mandato: quia ſit non minus baptiſmatis, quam reliquorum officiorum omnium in eccleſia præcipuus miniſter. Similiter TERTVLLIANVS [g] ius primum epiſcopo, tanquam ſummo ſacerdoti, ab nullo alio dependenti, vindicat: deinde etiam ius presbyterorum & diaconorum baptizandi adſtruit, ita tamen, vt ſub epiſcopo ſuo id faciant: huius enim ſine auctoritate agere eis hoc non licere propter eccleſiæ honorem: hoc enim ſaluo pacem etiam ſaluam eſſe ait. CYPRIANVS [h] & alius quidam epiſcopus CYPRIANO contemporaneus [i], qui de baptiſmo hæreticorum ſcripſit, de ſe ipſis loquuntur, tanquam pri-

(e) Can. apoſt. c. XXXIX. *οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ διάκονοι ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν ἐπιτελείτωσαν. αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ πεπιστευμένος τὸν λαὸν τοῦ κυρίου, καὶ τὸν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν λόγον ἀπαιτηθησόμενος.*

(f) Ignat. epiſt. ad Smyrn. n. VIII. *οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν, οὔτε ἀγάπην ποιεῖν, ἀλλ᾽ ὃ ἂν ἐκεῖνος δοκιμάσῃ, τοῦτο καὶ τῷ θεῷ εὐάρεστον.*

(g) Tertull. de bapt. cap. XVII. Dandi quidem ius habet ſummus ſacerdos, qui eſt epiſcopus: dehinc presbyteri & diaconi; non tamen ſine epiſcopi auctoritate propter eccleſiæ honorem, quo ſaluo ſalua pax eſt.

(h) Cypr. de exhortat. martyr. in præfat. p. 168. Nos tantum, qui domino permittente primum baptiſma credentibus dedimus, ad aliud quoque ſingulos preparemus.

(i) Anonym. de bapt. hæreticorum, ad calcem Cypriani p. 26. Siquidem per nos baptiſma tradetur, integre & ſollemniter & per omnia, quæ ſcripta ſunt, adſignetur, atque ſine vlla vllius rei ſeparatione tradatur: aut ſi a minore clero per neceſſitatem traditum fuerit, euentum exſpectemus, vt aut ſuppleatur a nobis, aut a domino ſupplendum reſeruetur.

mis

mis baptiſmi miniſtris, qui ſoli poteſtatem habeant dandi eum cum omnibus ritibus ac cærimoniis eo ſpectantibus: et ſi ab inferiore clero vrgente neceſſitate datus fuerit e. g. clinicis, hoc eſt grauius ægrotantibus, harum cærimoniarum defectum aut ab epiſcopo, ſi ægroti conualuerint, ſuppleri, aut ab ipſo DEO, ad ſtatum martyrii illos vocante, ſupplendum reſeruari dicunt. Indicat hoc, quod exiſtimauerint, baptiſmum ad officium peculiariter ſpectare epiſcopi, & ſi ab alio datus fuerit, eius tamen auctoritate datum, immo pro ipſius epiſcopi actione habitum fuiſſe, quem etiam, vt res tuliſſet, ratum habuerit ſubiungendo ea in ſubſequente confirmatione, quæ in huius ſollemnitatis defuerant circumſtantiis. Idem adfirmat AMBROSIVS [k], quod licet presbyteri baptizent, miniſterii tamen ſui exordium a ſummo ſacerdote, hoc eſt epiſcopo, habeant. Et auctor commentarii in epiſtolas *Pauli* ſub nomine AMBROSII [l] generatim dicit, nulli de clero licitum eſſe vlli ſe immiſcere muneri, quod ipſi non ſit creditum. Nemo vero de hoc capite clarius & vberius diſputat, quam quidem HIERONYMVS. *Eccleſiæ ſalus*, inquit [m], *in ſummi ſacerdotis dignitate ac veneratione conſiſtit: cui ſi non exors quædam, & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes. Inde ideo venit, vt ſine chriſmate & iuſſione epiſcopi neque presbyter neque diaconus ius habeant baptizandi.* Vt adeo clara res fuerit inter veteres & incontrouerſa, presbyteros non minus quam reliquos poteſtatem baptizandi habere modo deriuatiuam & ſubordinatam; & quamdiu hanc regulam obſeruarint, baptiſmos eorum eſſe legitimos & ratos, vtpote ex præſcripto & ad regulam factos eccleſiæ: ſi vero epiſcopo ſuo ſe oppoſuerint, eoque vel non conſentiente vel prorſus inuito egerint, quaſi abſoluta gaudentes libertate nec ab ipſo dependentes; tum eorum baptiſmata & omnia reliqua officia & munera cum regula eccleſiæ pugnare & prorſus illegitima eſſe, vtpote ratione quadam ſchis-

(k) Ambroſ. de ſacram. lib. III. cap. I. Licet presbyteri fecerint, tamen exordium miniſterii a ſummo eſt ſacerdote.

(l) Ambroſ. in Epheſ. IV. p. 943. Rectores & cetera officia in eccleſiis ſunt ordinata, vt nullus de clero auderet, qui ordinatus non eſſet, præſumere officium, quod ſciret non ſibi creditum vel conceſſum.

(m) Hieron. dial. cum Lucifer. cap. IV.

ma-

matica & cum manifesto auctoritatis omniumque statarum regularum ac legum ecclesiæ contemtu administrata.

§. IV.

Qua potestate presbyteri olim baptizarint in casibus ordinariis vel extraordinariis.

Enimvero licet eiusmodi baptismi a præscripta regula abscederent, & admodum vitiosi essent ratione baptizantium, non tamen prorsus irriti aut nulli habebantur ratione baptizatorum. Vnde sequitur, vt manifesta semper facta sit distinctio inter baptismum minus regularem & inualidum; quandoquidem, deficiente legitimo mandato & auctoritate, actus administrationis vitiosus quidem & illegitimus, non tamen absolute inualidus redditus est. Multum igitur heic refert inquirere, Vnde sit, quod baptismus, a presbytero contra regulam & sine mandato administratus, habitus sit validus, vitiositate actus administrandi non obstante. Sunt, qui hoc indelebili characteri & potestati sacerdotii, presbytero in ordinatione datæ, adsignant, cuius beneficio omnes eius actus ministeriales recte se habere putant, vtut illegitima ratione contra leges & canones ecclesiæ factos; nec sacerdotem hac potestate exui posse, quum semel ad eam rite sit ordinatus. Verum hoc non potuit esse fundamentum, ex quo veteres egerunt, idque diuersis de caussis. 1. Quia non statuerunt, baptismum penitus niti potestate sacerdotali, aut ita absolute ad officium sacerdotis restringi, quin in casibus etiam ordinariis administrari possit a diaconis, si mandatum ab episcopo habeant; & a laicis in extraordinariis summæ necessitatis casibus, si veniam & auctoritatem id faciendi ab episcopo acceperint, quemadmodum postea videbimus. 2. Indelebilis sacerdotis character non concedit illi auctoritatem & ius agendi contra, atque episcopus eius mandauit: Sic enim baptismus eius auctoritatem simul haberet & non haberet, ad regulam datus esset & præter regulam, legitimus foret & illegitimus eodem tempore eodemque actu & respectu, quæ res manifesto contrariæ sunt atque inter se repugnantes. Sic etiam sacerdos nunquam munere suo deiici, nec mandatum ei datum reuocari, aut functio eius ei legitime

gitime auferri posset, quantacunque crimina eius forent & censuram ecclesiasticam commerita. Semel sacerdos factus, perpetuo mansurus esset sacerdos, & qui hanc ei potestatem concesserunt, auctoritatem nullam haberent datam potestatem ei adimendi, ipsumque ad statum laici reducendi, rationibus ecclesiæ quantumuis id postulantibus. Id quod vniuerso disciplinæ ecclesiasticæ tenori aduersatur, & episcopalis potestatis in ecclesia neruos omnino incidit. Quibus ex rationibus, clarum est, non potuisse veteres esse in ea opinione, legitimam baptizandi potestatem ad aliquem spectare, tantum quatenus sit sacerdos, sed quatenus ea potestate a legitimo suo antistite sit donatus, siue presbyter fuerit, siue diaconus; et potestatem illam certis legibus circumscriptam esse, quas si non obseruet, actus eius a regula alienos & illegitimos esse; et si regulis istis obstinate se opponat, eumdem antistitem, qui legitimam ei auctoritatem baptizandi concesserit, legitimam quoque potestatem habere illam ei denuo auferendi, eumque ab ordinaria cuiusuis partis ecclesiasticæ functione excludendi. Vnde sequitur, vt irregulares istorum sacerdotum baptismi eatenus pro validis habiti, vt non essent iterandi, licet præter regulas & leges ecclesiasticas dati, non potuerint ideo haberi pro validis, quod illi semel sacerdotes consecrati fuerint, habentes in se indelebilem sacerdotii characterem, sed ex alia quadam ratione & fundamento alio, quod ad diaconos æque spectarit atque ad sacerdotes, & baptismum diaconi cuiusdam, etsi minus regulariter & legitime administratum, non minus validum reddiderit, quam baptismum alicuius sacerdotis in iisdem exhibitum circumstantiis. Idque ex his duabus rationibus sic esse necesse est, siue, quod baptismus, a quocumque christiano administratus, validus fuerit nec iterandus, dummodo in debita materia & forma datus; siue quod episcopi ecclesiæ, tanquam summi ministri baptismi, potestatem habuerint accipiendi & confirmandi hosce baptismos, alioqui præter regulam & cum auctoritatis eorum derogatione peractos in ecclesia. Vtcumque autem res se habet, certum est, baptismum, a sacerdote contra regulam datum, valorem suum non debuisse indelebili sacerdotis characteri; quandoquidem baptismus diaconorum & laicorum, characterem sacerdotum haud gerentium, interdum auctoritatem habuit & va-

lidus reputatus est: id quod ex historia & re gesta manifesto liquet, ad quam vberius enarrandam iam progredior.

§. V.

De concessa olim diaconis potestate baptizandi.

DIACONIS per quosdam antiquos canones potestas datur baptizandi in casibus ordinariis æque ac presbyteris. TERTVLLIANVM sic rem intellexisse manifestum est. Nam presbyteros & diaconos coniungit [n] tanquam ordinarios baptismi ministros post episcopum eiusque sub gubernatione. Nullam facit inter potestatem, his duobus ordinibus datam, distinctionem; ambo enim æqualem & parem habebant potestatem, & æquabiliter agebant tanquam ab episcopi arbitrio dependentes, in quo veluti summo sacerdote auita baptizandi potestas residebat, & cuius ab auctoritate potestatem suam accipiebant. HIERONYMVS [o] in eadem erat sententia, *Sine iussione episcopi*, inquiens, *neque presbyter neque diaconus ius habent baptizandi.* Ex quibus verbis inferri licet, ex eius iussione vtrosque ordinariam habuisse potestatem. Hoc est, quod in ecclesiis *Hispanicis* tempore concilii *Illiberritani* in canone quodam [p] consultum & prouisum legimus in hanc sententiam: *Si quis diaconus regens plebem, sine episcopo vel presbytero aliquos baptizauerit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Non iubetur heic episcopus eos denuo baptizare, eo quod a diacono tantum baptizati sint, sed baptismum potius consummatione sua, quæ erat manus impositio in confirmatione, ratum facere. Vnde perspicimus, diaconis in *Hispania* tum licuisse ordinariis esse baptismi ministris. Eumdem morem in ecclesiis *Palæstinæ* obtinuisse ex CYRILLI [q]

(n) Tertull. de bapt. c. XVII. Dandi quidem ius habet summus sacerdos, qui est episcopus: dehinc presbyteri & diaconi; non tamen sine episcopi auctoritate. ceter.

(o) Hier. dial. cum Lucifer. c. IV. Ibid. In villulis & castellis & remotioribus locis per presbyteros & diaconos baptizati, cetera.

(p) Concil. Illiberrit. can. LXXVII.

(q) Cyrill. catech. XVII. n. XVII. Κατὰ γὰρ τὸν καιρὸν τοῦ βαπτίσματος, ὅταν προσέλθῃς ἐπὶ τῶν ἐπισκόπων ἢ πρεσβυτέρων, ἢ διακόνων· ἁπανταχοῦ γὰρ ἡ χάρις, ϗ ἐν κώμαις ϗ ἐν πόλεσι, ϗ ἐπὶ ἰδιωτῶν ϗ ἐλλογίμων ϗ ἐπὶ δούλων ϗ ἐλευθέρων· ἐπειδὴ οὐκ ἐξ ἀνθρώπων ἡ χάρις, ἀλλ᾽ ἐκ Θεοῦ δι᾽ ἀνθρώπων ἡ δόσις.

cate-

catechesi apparet. Catechumenos enim suos monet, "vt tempore recipiendi baptismum ad episcopum accedant, aut presbyterum aut diaconum adeant: vbique enim gratiam accipi & in oppidis & in ciuitatibus, & apud idiotas & apud eruditos, & apud seruos & apud liberos: non enim ex hominibus esse eam gratiam, sed donum a Deo per homines." Docent hæc, diaconos in villis & vicis ordinariam habuisse baptizandi potestatem. Ita in concilio primo *Aurelianensi* [r] decretum offendimus, ex quo eamdem potestatem illis in ecclesiis *Gallicanis* concessam fuisse discimus. Nam in quodam istius concilii canone diaconi & presbyteri iunguntur tanquam ministri baptismatis, tam in ordinariis quam extraordinariis casibus. Dicit enim synodus: *Si diaconus vel presbyter pro reatu suo se ab altaris communione sub pœnitentis professione submouerit: sic quoque si alii defuerint, & caussa certæ necessitatis exoritur, poscentem baptismum liceat baptizare.* Profecto illi, qui diaconis auctoritatem concedunt in singularibus istiusmodi & incommodis circumstantiis baptizandi, eo ipso tempore, vbi cuidam disciplinæ & pœnitentiæ subiacent, idem eis priuilegium tribuant, necesse est, quod presbyteri habuerunt, baptizandi in omnibus reliquis casibus ordinariis. Sed vero aliæ antiquæ regulæ diaconis baptismum ministrare absolute interdicere videntur, hoc officium solis episcopis & presbyteris attribuentes. Inter sic dictos *canones apostolorum* quatuor sunt, de ministris baptismi loquentes, qui ibi sunt soli episcopi & presbyteri, nulla facta diaconorum mentione. Vnus quidam canon [s] sic habet, *Episcopum aut presbyterum hæreticorum suscipientem baptismum vel sacrificium, deponi præcipimus.* Alius [t], *Episcopus aut presbyter, eum, qui vere habet baptismum, si denuo baptizauerit; vel eum, qui ab impiis pollutus fuit, si non baptizauerit, deponatur, tamquam qui crucem ac domini mortem irrideat, quique non discernat sacerdotes a falsis sacerdotibus.*

(r) Conc. Aurel. I. can. XIV.

(s) Can. apost. XLVI. (al. XXXVIII.) Ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον αἱρετικῶν δεξαμένους βάπτισμα ἢ θυσίαν, καθαιρεῖσθαι προστάσσομεν.

(t) Can. apost. XLVII. (al. XXXIX.) ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος τὸν κατὰ ἀλήθειαν ἔχοντα βάπτισμα, ἐὰν ἄνωθεν βαπτίσῃ, ἢ τὸν μεμολυσμένον παρὰ τῶν ἀσεβῶν ἐὰν μὴ βαπτίσῃ, καθαιρείσθω.

Adhuc alius [*u*], *Si quis episcopus aut presbyter secundum Domini constitutionem non baptizauerit in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, sed in tres principio carentes, vel in tres filios, vel in tres paracletos, deponatur.* Et quartus quidam canon [*w*] eamdem censuram pronuntiat contra eos, qui non obseruauerint trinam immersionem: *Si quis episcopus aut presbyter non tres mersiones vnius initiationis seu baptismi fecerit, sed vnam mersionem, quae datur in mortem Domini, deponatur.* In his canonibus vniuersis nulla prorsus fit mentio diaconorum, quia secundum illos soli episcopi & presbyteri iudicantur esse ordinarii baptismatis ministri, non diaconi. Ita quoque in *constitutionibus* sic dictis *apostolicis* omnes inferiores clerici, sub quibus diaconi comprehenduntur, baptismum dare vetantur. *Neque reliquos clericos*, inquiunt [*x*], *baptismum conferre volumus, veluti lectores, aut psaltas, aut ianitores, aut ministros; nisi solos episcopos aut presbyteros, ministrantibus diaconis. Qui autem id praesumserint, Coritarum poenas ferent.* Diaconi heic aeque ac reliqui clerici inferiores ab officio baptismatis prorsus excluduntur: et in nonnullis antiquis exemplaribus excluduntur nominatim. Obseruante enim IOANNE BAPTISTA COTELERIO [*y*] in hunc locum, prout a GEORGIO HAMARTOLO citatur, diaconi reliquis, quibus baptizare interdicitur, diserte adnumerantur; & licet nominatim non sint exclusi, locus tamen iste sic intelligi debet. Quisquis enim baptismum soli episcoporum & presbyterorum officio adsignat, is hoc ipso diaconos excludere iudicandus est, nisi diaconos eiusdem ordinis esse statuat, cuius sunt episcopi & presbyteri: quod tantum abest, vt constitutio-

(*u*) Ibid. can. XLIX. (al. can. XLI.) Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος κατὰ τὴν τοῦ κυρίου διάταξιν μὴ βαπτίσῃ εἰς πατέρα καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, ἀλλ' εἰς τρεῖς ἀνάρχους ἢ εἰς τρεῖς υἱοὺς, ἢ εἰς τρεῖς παρακλήτους καθαιρείσθω.

(*w*) Ibid. can. L. (al. XLII.) Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσῃ, ἀλλ' ἓν βάπτισμα, τὸ εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου διδόμενον, καθαιρείσθω.

(*x*) Constit. apost. lib. III. cap. XI. Ἀλλ' οὔτε τοῖς λοιποῖς κληρικοῖς ἐπιτρέπομεν βαπτίζειν, οἷον ἀναγνώσταις, ἢ ψάλταις, ἢ πυλωροῖς, ἢ ὑπηρέταις ἢ (leg. ἀλλ' ἢ) μόνοις ἐπισκόποις καὶ πρεσβυτέροις, ἐξυπηρετουμένων αὐτοῖς διακόνων. οἱ δὲ τολμῶντες τοῦτο, τὴν Κορέ των ὑφέξουσι τὴν δίκην.

(*y*) Coteler. not. in constit. apost. lib. III. c. IX. tom. I. p. 283. b.

nes

nes adfirment, vt diaconos duorum illorum ordinum miniſtros tantum faciant. In alio autem loco *conſtitutiones* multo expresſius contra baptiſmum diaconorum loquuntur. Ita enim presbyteri officia a diaconi officiis diſtinguunt [z]: *Presbyter quidem doceat, offerat, baptizet, benedicat populo; diaconus vero miniſtret epiſcopo ac presbyteris; hoc eſt, miniſterium ſeu diaconatum exerceat, ſed non peragat cetera.* Et rurſus [a]: *Diaconus non benedicit, non dat benedictionem, accipit vero ab epiſcopo & presbytero: non baptizat, non offert; ipſe vero, quum epiſcopus aut presbyter obtulit, dat populo, non tamquam ſacerdos, ſed tamquam miniſtrans ſacerdotibus.* Verumtamen, hoc non obſtante, idem auctor [b] diaconum baptizare poſſe dicit, ſi quidem id faciendi ab epiſcopo mandatum habeat & auctoritatem, quemadmodum *Philippum* diaconum & *Ananiam* ſpecialiter a Deo delegatos fuiſſe putat. *Si Philippum diaconum*, inquit, *& Ananiam fidelem fratrem quidam cauſſantur; quod ille quidem eunuchum baptizauit, hic vero Paulum: ii non intelligunt, quae dicimus: ſiquidem inquimus, neminem ſibi rapere ſacerdotalem dignitatem; ſed vel a Deo accipere, vt Melchiſedecus & Iobus; vel a pontifice, vt Aaron a Moſe: igitur etiam Philippus & Ananias non ſe ipſos conſtituerunt, ſed electi ſunt a CHRISTO pontifice, Deo incomparabili.* In eadem ſententia videtur fuiſſe CHRYSOSTOMVS, ordinarium baptizandi miniſterium ad ſolos ſacerdotes non autem ad diaconos ſpectare, tametſi diaconis, neceſſitate requirente, id facere liceat. In libro ſuo de *ſacerdotio* ſic argumentatur, & poteſtatem ſacerdotis extollit: *Inſania manifeſta*

(z) Conſtit. apoſt. lib. III. c. XX. Τὸν μὲν πρεσβύτερον διδάσκειν, ἀναφέρειν, βαπτίζειν, εὐλογεῖν τὸν λαόν, τὸν δὲ διάκονον ἐξυπηρετεῖσθαι τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις· τουτέστι, διακονεῖν οὐ μὴν καὶ τὰ λοιπὰ διενεργεῖν.

(a) Ibid. lib. VIII. c. XXVIII. Διάκονος οὐκ εὐλογεῖ, οὐ δίδωσιν εὐλογίαν, λαμβάνει δὲ παρὰ ἐπισκόπου καὶ πρεσβυτέρου· οὐ βαπτίζει, οὐ προσφέρει, τοῦ δὲ ἐπισκόπου προσενηνοχότος ἢ τοῦ πρεσβυτέρου, αὐτὸς ἐπιδίδωσι τῷ λαῷ, οὐχ ὡς ἱερεύς, ἀλλ' ὡς διακονούμενος ἱερεῦσι.

(b) Ibid. lib. VIII. c. XLVI. Εἰ δὲ Φίλιππον τὸν διάκονον ἡμῶν καὶ Ἀνανίαν τὸν πιστὸν ἀδελφὸν αἰτιῶνταί τινες, ὅτι ὁ μὲν τὸν εὐνοῦχον ἐβάπτισεν, ὁ δὲ ἐμὲ Παῦλον· ἀγνοοῦσιν αὐτοί, ὃ λέγομεν ἡμεῖς. εἴπομεν γάρ, ὅτι οὐχ ἑαυτῷ τις ἁρπάζει τὸ ἱερατικὸν ἀξίωμα, ἀλλ' ἢ παρὰ τοῦ θεοῦ λαμβάνει, ὡς Μελχισεδὲκ καὶ Ἰώβ, ἢ παρὰ ἀρχιερέως, ὡς Ἀαρὼν παρὰ Μωσέως· οὐκοῦν καὶ Φίλιππος καὶ Ἀνανίας οὐχ ἑαυτοὺς προείλοντο, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ προεχειρίσθησαν τοῦ ἀρχιερέως, τοῦ ἀσυγκρίτου θεοῦ.

eſt, deſpicere tantum iſtum principatum, ſine quo neque ſalutis neque promiſſorum bonorum compotes fieri poſſumus. Nam ſi non poteſt quis in regnum cælorum ingredi, niſi per aquam & ſpiritum regeneratus fuerit: &, Qui non manducat carnem Domini & ſanguinem eius non bibit, æterna vita priuatur: omnia autem hæc non aliter [c] *quam per ſacroſanctas illas manus perficiuntur, manus, inquam, ſacerdotum: qui fiet, vt citra illorum opem aut gehennæ ignem euitare quis poſſit, aut repoſita in cælo præmia adſequi?* Manifeſtum eſt, CHRYSOSTOMVM his verbis non minus diaconos quam laicos ab ordinaria baptizandi poteſtate excludere. Eruditus IOANNES FORBESIVS [*d*], qui primum contra baptiſmum laicorum hunc locum produxit, poſtea eo inductus eſt, vt baptiſmum diaconorum æque ac laicorum illicitum eſſe concluderet. Enim vero mentem CHRYSOSTOMI minus recte percepit. Neque enim baptiſmum ſacerdotis manibus ita vindicatum iuit, vt dixerit, ſimpliciter & abſolute illicitum diaconis eſſe quacunque occaſione eum adminiſtrare. Nam in neceſſitate diaconis non tantum permittit, ſed diſerte iniungit baptizare. *Si enim neceſſitas fuerit*, inquit [*e*], *& inueniatur infans nondum tinctus, & morti vicinus, diacono eum tingere licet.* Et hanc EPIPHANII [*f*] mentem eſſe oportet, quando ait: *Neque diaconis quidem ipſis vllum in eccleſiaſtico ordine ſacramentum perficere conceditur, ſed hoc duntaxat, vt eorum, quæ perficiuntur, miniſtri ſint.* Hoc eſt, ordinarie eos hæc facere non decere, præſente ſacerdote, ſed tantum ſacerdoti, tanquam præcipuo actori, in celebratione illius miniſtrare Idem ſenſit HILA-

(c) Chryſoſt. de ſacerdot. lib. III. cap. V. Tom. IV. opp. p. 29. edit. Francof. Græc. vid. in Orig. lib. X. cap. II. §. XXI. vol. IV. p. 51.

(*d*) Forbeſ. inſtruct. hiſtorico-theol. lib. X. c. XIV. n. 8. Chryſoſtomus, non obſtante neceſſitate, miniſterium baptiſmi ſolis vindicat ſacerdotibus, non minus quam miniſterium euchariſtiæ; quam non niſi a ſacerdote conſecrari poſſe, omnes fatentur, *Manifeſta*, inquit, *dementia eſt, cetera.*

(*e*) Chryſoſt. homil. LXI. tom. VII. edit. Sauil. p. 423. Ἐὰν γένηται ἀνάγκη, καὶ εὑρεθῇ παιδίον ἀβάπτιστον, καὶ μέλλῃ τελευτᾷν, ἔξον τὸν διάκονον βαπτίσαι.

(*f*) Epiphan. hæreſ. LXXIX. Collyrid. n. IV. Καὶ γὰρ ὅτι διάκονοι ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ, τάξει ἐπιστεύθησαν τι μυστήριον ἐπιτελεῖν, ἀλλὰ μόνον διακονεῖν τὰ ἐπιτελούμενα.

RIVS

RIVS [g]: Baptiſmum enim *apoſtolici officii miniſterium* vocat, & extra ordinem factum putat, vt *Philippus* diaconus eunuchum baptizarit, quippe qui ſalutis ſuæ cupidus impatienti baptiſmi deſiderio flagrarit, vt exſpectare non potuerit, dum ab apoſtolo quodam tingeretur. Canones eccleſiæ nonnunquam diaconis baptizandi poteſtatem exſerte abiudicant in caſibus ordinariis, ſemper tamen neceſſitatem, morbum, impotentiam, vel longiorem abſentiam aliorum miniſtrorum excipiunt. Inter decreta GELASII [h] vnum aliquod habetur in hanc ſententiam; *Absque epiſcopo vel presbytero baptizare non præſumat diaconus; niſi prædictis fortaſſe officiis longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat: quod & laicis chriſtianis facere plerumque conceditur.* IO. BAPTISTA COTELERIVS [i] & IACOBVS SIRMONDVS canonem nobis exhibent ex quodam concilio *Romano*, diaconis baptizare interdicentem omnibus temporibus, excepto paſchæ tempore; hoc autem tempore diaconis & presbyteris conceditur remiſſionem peccatorum dare, hoc eſt baptizare, per parochias. Aliis temporibus, etiam ſi ægritudinis neceſſitas ingruat, nemo præter presbyterum auctoritate præditus dicitur id faciendi, quia ipſi ſoli licentia ſit munus offerendi. Ratio huius differentiæ in eccleſia *Romana* videtur ea fuiſſe, quod in magna illa & populoſa ciuitate, in qua multæ erant eccleſiæ multique presbyteri, at ſeptem tantum diaconi, fieri vix poterat, vt ægrotante quodam catechumeno non facilius presbyter quam diaconus ad dandum ei baptiſmum inueniretur. At vero in paſchali ſollemnitate tan-

(g) Hilar. comment. in Pſalm. LXVII. p. 242. edit. Colon. MDCXVII. Sacramentum ipſum baptiſmi adeo impatientis deſiderii cupiditate præueniens, vt a diacono miniſterium apoſtolici officii, ſalutis ſuæ cupidus, exigeret.

(h) Gelaſ. epiſt. IX. ad epiſc. Lucan. cap. IX.

(i) Concil. Roman. can. VII. ap. Coteler. not. in conſtit. apoſt. lib. III. cap. IX. Paſchæ tempore presbyter & diaconus per parochias dare remiſſionem peccatorum & miniſterium implere conſueuerunt, etiam præſente epiſcopo: in fontem quoque ipſi deſcendunt, illi in officio ſunt: ſed illius nomine facti ſumma conceditur. Reliquis vero temporibus, vbi ægritudinis neceſſitas conſequi vnumquemque compellit, ſpecialiter presbytero licentia eſt per ſalutaris aquæ gratiam dare indulgentiam peccatorum, quoniam & munus ipſi licet, cauſſa mundationis, offerre: diaconis vero nulla licentia inuenitur eſſe conceſſa, ſed quod ſemel forte contigit vſurpare, per neceſſitatem dicuntur excuſari &c.

ta baptizandorum multitudo conueniebat, vt episcopus & omnes eius presbyteri vniuerso ministerio perficiundo vix sufficerent, adeoque diaconos in huius ministerii societatem adsciscerent. Vbi duo obseruare possumus; primum, Ex iussione & auctoritate episcopi; deinde, Graui tantum necessitate exigente id eos fecisse. ISIDORVS HISPALENSIS, qui longo post tempore scripsit, idem de æui sui diaconis baptismum administrantibus obseruat. *Constat*, inquit, *baptisma solis sacerdotibus esse tractandum, eiusque mysterium nec ipsis diaconis explere est licitum absque episcopo vel presbytero: nisi his procul absentibus vltima languoris necessitas cogat. Quod & laicis fidelibus plerumque permittitur.* Qui mos multis post ætatibus & sæculis obtinuit in ecclesia *Anglicana*, vti ex decretis concilii *Eboracensis* anno MCXCV, & *Londinensis* [m] anno MCC, celebrati, nec non ex canonibus *Edmundi* ad ann. MCCXXXVI. in prouinciali GVILIELMI LINWOODI [n] memoratis, constat. In quibus omnibus diaconi baptizare prohibentur, nisi graui quadam necessitate vrgente, quum sacerdos non potest, vel absens est, vel stulte vel indiscrete non vult, & mors imminet puero vel ægroto. Ita quoque in quibusdam partibus ecclesiarum *Græcarum* res se habuit priscis temporibus, quemadmodum ex testimonio CHRYSOSTOMI ante memorato patet, nec non ex verbis THEODORETI [o], *Quum abest presbyter*, inquientis, *& vrget necessitas, necesse habet etiam diaconus ei, cui opus est, exhibere baptismum.* Non licuit ei igitur id facere ordinarie, sed tantum exigente ne-

(k) Isidor. de offic. lib. II. cap. XXIV.

(l) Concil. Eborac. can. V. Diaconus non baptizet, nec corpus Christi cuiquam eroget nisi graui necessitate vrgente. ap. Roger. Houeden. histor. an. MCXCV & concil. tom. X.

(m) Concil. Londin. c. III. Non liceat diaconibus baptizare, vel pœnitentias dare, nisi duplici necessitate, videlicet quia sacerdos non potest, vel absens, vel stulte non vult, & mors imminet puero vel ægro.

(n) Linwood prouinc. lib. III. tit. XXIV. de baptismo. Præcipimus, quod diaconi baptizare non præsumant, nisi in his casibus, quum sacerdos non potest, vel absens est, vel stulte vel indiscrete non vult, & mors imminet puero vel ægroto.

(o) Theodoret. com. in 2 Paralipom. c. XXIX. quæst. I. p. 389. Πρεσβυτέρου οὐ παρόντος, καὶ τῆς χρείας ἐπειγούσης, ἀναγκάζεται καὶ διάκονος προσφέρειν τῷ δεομένῳ τὸ βάπτισμα.

cessitate;

cessitate; si presbyter siue sacerdos ad illud peragendum reperiri haud posset. Atque hæc regula in ecclesia *Constantinopolitana* longo post tempore adhuc viguit; vt e canonibus NICEPHORI [*p*] patriarchæ, qui sæculo nono vixit, discimus, vbi simplex monachus æque ac diaconus, si res ita tulerit, baptizare dicitur. Ex quibus verbis colligi potest, neutri illorum hoc ordinarie facere licuisse. Simplices enim monachi non erant de sanctis ordinibus, sed proprie laici, oppositi illis, quos *Græci* ἱερομοναχὺς, hoc est sacrorum ordinum monachos, vocant, spectantes ad hierarchiam & functionem ecclesiasticam: quemadmodum alibi [*q*] fusius demonstraui. Iam diaconi cum simplicibus monachis iuncti non poterant haberi ordinarii baptismatis ministri, sed tantum ad id peragendum extra ordinem delegati. Vnde apertum & manifestum est, quotquot ex veteribus diaconos ab ordinaria baptismatis administratione remouerunt, illos hoc fecisse eo, quod existimarint, ordinariam baptismatis administrationem esse proprium officium solorum sacerdotum siue presbyterorum, qui ordine diaconis erant superiores: extrema tamen necessitate postulante etiam aliis præter sacerdotes licitum esse baptismum dare auctoritate quidem episcopi; et ex hoc fundamento in eiusmodi casibus etiam officium diaconorum id creditum fuisse. Adeo necessariam esse videmus hanc distinctionem inter casus ordinarios & extraordinarios, ad terminandas materias in primitiuæ ecclesiæ praxi, dum ab altera parte honor ac dignitas sacerdotii tuenda, ab altera tamen parte diaconis licentia danda erat baptismum conferendi in quibusdam casibus, licet haud essent sacerdotes, sensu stricto accepti ex opinione eorum, qui illis id faciendi concedebant potestatem.

§. VI.

Num inferioribus clericis permissum fuerit baptizare?

PROXIMA quæstio ad subdiaconos attinet & reliquos inferiores ordines, qui in ecclesia antiqua minoris cleri nomine appellabantur. Hi proprie non erant diuinæ sed tantum ecclesia-

(*p*) Niceph. can. XIII. ap. Leuncl. iur. Græc. Rom. tom. I. lib. III. p. 196. Κατὰ περίστασιν καὶ μοναχὸς λιτὸς βαπτίζει. ὡσαύτως καὶ διάκονος κατὰ περίστασιν βαπτίζει.

(*q*) Origin. ecclef. lib. VII. cap. II. n. VII. feqq.

ſticæ inſtitutionis, vt ſuperiori clero in negotiorum ac munerum procuratione opem ferrent, quemadmodum contra *Romanenſes* alio libro [*r*] dilucide demonſtraui. Iam quæſtio de hiſce in præſenti eſt, An quibuſcunque in caſibus poteſtatem habuerint baptizandi? Non habuiſſe eos ordinariam poteſtatem, ex iis conſtat liquido, quæ de diaconis ſupra diſſeruimus. Nam ſi ipſi diaconi generatim non habuerunt eiusmodi poteſtatem ſibi conceſſam, abſurdum eſſet cogitare, ordines diaconis inferiores eam habuiſſe. Auctor *conſtitutionum* [*s*] eos omnes nominatim excludit ab hoc officio, lectores, pſaltas, ianitores, ſubdiaconos, pœnam *Coritarum* eis minitans, ſi id inuadere auſi fuerint. Sed vero hoc de ordinaria baptiſmi adminiſtratione intelligendum eſt, a qua etiam diaconi remoti erant. Quæſtio tunc porro eſt, An vmquam extra ordinem eum dandi licentiam habuerint? Pauci autem ſunt ex veteribus, qui hanc quæſtionem directe deciderunt, vnde tantum ex parili ratiocinatione iudicare debemus, quid de ea ſtatuerint. Antiquus auctor libri *de baptiſmo hæreticorum*, quem NICOLAVS RIGALTIVS & IOANNES FELLVS in publicam lucem ediderunt inter opera CYPRIANI, dicere videtur, minori clero [*t*] licitum eſſe per neceſſitatem baptizare. Enim vero inter viros doctos non conuenit, quid auctor ille per minorem clerum intelligat. IO. BAPT. COTELERIVS [*u*] & HENRICVS VALESIVS [*w*] omnem clerum epiſcopis & presby-

(*r*) Origin. eccleſ. lib. III. cap. I.

(*s*) Conſtit. apoſtol. lib. III. c. XI. vid. ſupra ſub litt. (*x*) Ita Ambroſ. com. in Epheſ. IV. Neque clerici vel laici baptizant.

(*t*) Anonym. de bapt. hæret. ad calcem Cypr. p. 26. Si a *minore clero* per neceſſitatem traditum fuerit, cet. vid. not. ſeqq.

(*u*) Coteler. not. in conſtit. apoſt. lib. III. c. IX. Notabilia ſunt præ ceteris verba ſcriptoris anonymi de non denuo baptizandis, qui ſemel in nomine Chriſti tincti fuerint, in obſeruationibus Nicolai Rigaltii ad S. Cyprianum p. 134. *Et ideo quum ſalus noſtra in baptiſmate ſpiritus, quod plerumque cum baptiſmate aquæ coniunctum eſt, ſit conſtituta; ſi quidem per nos baptiſma tradetur, integre & ſollemniter & per omnia, quæ ſcripta ſunt, adſignetur, atque ſine vlla vllius rei ſeparatione tradatur: aut ſi a minore clero per neceſſitatem traditum fuerit, euentum exſpectemus, vt aut ſuppleatur a nobis, aut a domino ſupplendum reſeruetur.*

(*w*) Valeſ. not. in Euſeb. lib. VI. cap. XLIII. Idem ſcriptor clerum diſtinguit

teris

teris inferiorem intelligi putant. Quod ſi ita eſſet, perſpicuo argumento foret, inferioribus clericis, ingruente neceſſitate, baptiſmum adminiſtrare licitum eſſe. Verum RIGALTIVS & FELLVS in ſuis ad hunc locum adnotationibus minorem clerum exiſtimant ſignificare tantum presbyteros & diaconos, qui ita appellentur reſpectu epiſcopi illis ſuperioris, qui plerumque baptiſmum contulerit ipſe, & quum ipſe per ſe non potuerit, presbyteris & diaconis præceperit, vt ſuo loco illum conferrent. Mihi non ſumo, vt tam difficilem controuerſiam inter hos viros doctos decidam; præcipuam tamen quæſtionem alia ratione facile decidi poſſe exiſtimo. Nam ſi veteres meris monachis & laicis baptizandi licentiam indulſerunt extra ordinem, ſequitur omnino, vt minime dubitarint eamdem poteſtatem inferioribus concedere clericis, qui ſaltem vno gradu monachis & laicis antecelluerunt. Non poſſumus igitur hanc controuerſiam melius dirimere, quam ſi ad alteram progrediamur quæſtionem, quæ eſt de poteſtate laicis facta, ratione adminiſtrationis baptiſmi, quæ maxima quæſtio eſt in vniuerſo hoc negotio.

§. VII.

Laicis baptizare interdictum in ordinariis caſibus.

IAM heic ante omnia certum eſt, laicos ſemper prohibitos fuiſſe ab immittendo ſe in ordinariam baptiſmatis adminiſtrationem. Omnia loca ſupra citata, quæ id proprium epiſcoporum & presbyterorum miniſterium faciunt, ipſis diaconis excluſis, ſane maiori vi contra laicalem militant vſurpationem. Accedit, quod interdum nominatim ab hoc officio arceantur, vti in *conſtitutionibus* ad minimum ter ſeparatis locis factum legimus. *Non permittimus laicis* [x] *quamlibet ſacerdotalium functionum vſur-*

in maiorem & minorem. Et minorem quidem clerum appellat diaconos & reliquos inferiores ordines. Et quum dicit pag.129. *Aut ſi*, cetera. Et multo clarius.p.134. *Et ideoque ſalus noſtra*, ceter. (vid. ſub anteced. litt. (u).) Vbi vides, presbyteros ab hominibus minoris cleri aperte diſtingui. Ait enim, minoris cleri homines, ingruente tantum neceſſitate, baptiſmum conferre: quod presbyteris nequaquam conuenit.

(x) Conſtit. apoſt. lib.III. c.X. Ἀλλ' οὔτε λαϊκοῖς ἐπιτρέπομεν ποιεῖν τι τῶν ἱερατικῶν ἔργων· οἷον θυσίαν, ἢ βάπτισμα ἢ χειροθεσίαν, ἢ εὐλογίαν μικρὰν ἢ μεγάλην. Οὐχ ἑαυτῷ γάρ τις λαμβάνει τὴν τιμήν, ἀλλὰ ὁ καλούμενος ὑπὸ τοῦ θεοῦ. Διὰ γὰρ τῆς

pare; vt facrificium, vel baptifma, vel impofitionem manus, vel benedictionem tum paruam tum magnam. Nec enim quisquam fibi fumit honorem, fed qui vocatur a Deo. Nam per impofitionem manuum epifcopi datur hæc dignitas: qui autem eam non habet fibi commiffam, fed fibi illam rapuit, Oziæ fupplicium fuftinebit. Hinc perfonatus AMBROSIVS [y] ab apoftolorum inde temporibus inferiores clericos & laicos a baptizando prohibitos effe ait. Id quod ad minimum de prohibitione intelligi debet ab vfurpando hoc officio in ordinariis cafibus.

§. VIII.

Permiffum tamen non numquam id facere extra ordinem. Quod probatur teftimonio Tertulliani.

AT ENIM VERO difficilis illa quæftio adhuc remanet, An vmquam id facere eis permiffum fit, fi extrema neceffitas acciderit, nec publicus minifter ad peragendum hoc officium potuerit inueniri. Ad quam refponderi oportet adfirmanter, quod ad generalem ecclefiæ praxin attinet, quantumuis exceptiones quædam ecclefiarum particularium dentur in partem contrariam. TERTVLLIANVS, mea quidem fententia, primus fcriptor eft, qui directe ad hanc cauffam loquitur, mentemque fuam ea de re his verbis declarat: *Dandi quidem ius habet fummus facerdos, qui eft epifcopus: Dehinc presbyteri & diaconi; non tamen fine epifcopi auctoritate, propter ecclefiæ honorem, quo faluo falua pax eft. Alioquin etiam laicis [z] ius eft. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteft; nifi epifcopi iam aut presbyteri aut diaconi vocantur, dicentes, Domini fermo non debet abfcondi ab vllo. Proinde & baptifmus æque Dei cenfus ab omnibus exerceri poteft: Sed quanto magis laicis difciplina verecundiæ & modeftiæ incumbit, quum ea maioribus competat, ne fibi adfumant dicatum epifcopis officium epifcopatus? Aemulatio fchifmatum mater eft.*

ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ ἐπισκόπου δίδοται ἡ τοιαύτη ἀξία. ὁ δὲ μὴ ἐγχειρισθεὶς ταύτην, ἀλλ' ἁρπάσας αὐτὴν ἑαυτῷ, τὴν τιμωρίαν τοῦ Ὀζία ὑποστήσεται.
Vid. Conftit. apoft. lib. II. cap. XXVII. tot. lib. VIII. cap. XLVI. tot.

(y) Ambrof. com. in Ephef. IV. p. 948. Hinc ergo eft, vnde nunc neque diaconi in populo prædicant, neque clerici vel laici baptizant.

(z) Tertull. de bapt. cap. XVII.

Omnia

Omnia licere, dixit sanctissimus Apostolus, sed non omnia expedire. Sufficiat scilicet in necessitatibus vt vtaris; sicubi aut loci aut temporis aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, quum vrget circumstantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit præstare, quod libere poterit. HENRICVS DODWELLVS [a] & alii quidam adversus hunc TERTVLLIANI locum excipiunt, vt qui priuatam tantum opinionem eius, non communem ecclesiæ consuetudinem exhibeat. At nullus ex viris doctis ante DODWELLVM sic cogitauit, vti ipsemet fatetur, suamque opinionem omnium opinioni contrariam esse agnoscit. Maximum etiam argumentum contra hanc ipsam opinionem in promtu est ex cohærentia sermonis TERTVLLIANI: quod in priore parte manifeste loquatur de praxi ecclesiæ, quando presbyteros & diaconos dicit ex auctoritate episcopi agere, vbi baptismum conferant. Mirum igitur foret, si sermonem in sequentibus verbis statim inuertere vellet, nec praxin ecclesiæ intelligere, vbi de laicis loqui cœpisset. Vtcunque autem fuerit, insecutis certe ætatibus sententia TERTVLLIANI publicis quibusdam ecclesiæ actibus confirmata est.

§. IX.

Testimonio concilii Illiberritani.

CENTVM circiter annis post TERTVLLIANVM episcopi *Hispani*, in concilio *Illiberritano* [b] congregati, publicum decretum hac de re fecerunt in hanc sententiam: *Placuit peregrè nauigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lauacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum.* Heic auctoritas non omnibus christianis data est generatim, sed restricte, adiectis certis conditionibus. 1.) Extrema quædam necessitas id requirere debebat, si baptismus alia ratione accipi haud poterat. 2.) Baptizantem oportebat lauacrum seu baptismum suum habere integrum. Quod GABRIEL ALBASPINAEVS [c] sic intelligit, quod

(a) Dodwell. de iure laicorum sacerdotali c. II, n. 2. p. 52.

(b) Concil. Illiberrit. can. XXXVIII.

(c) Albaspin. not. in conc. Putarim ista verba id indicare, qui post laua-

poſt baptiſmum non peccarit denuo, neque publicam pœnitentiam ſubierit, neceſſe ſit. GERARDVS IOANNES VOSSIVS [*d*] melius id baptiſmo exiſtimat clinicorum opponi, qui minus ſollemnis & imperfectus erat baptiſmus, faciebatque, vt hoc modo tincti in perpetuum a ſacris ordinibus prohiberentur, quemadmodum alibi [*e*] ex vetuſtis eccleſiæ regulis demonſtravi. Sæpe etiam aliud incommodum baptiſmum illum comitabatur, negata videlicet confirmatio negatumque donum ſpiritus ſancti per impoſitionem manus epiſcopi, quæ non ordinarie expetebatur pro clinicis, qui in periculo mortis feſtinanter baptizati eſſent. Quam ob cauſſam hi epiſcopi *Hiſpani* priuilegium baptizandi eis denegarunt, dum aliis id conceſſerunt. 3.) Requirebatur, vt ne eſſet bigamus, quia, qui talis erat, recipiendis ſacris ordinibus indignus habebatur. Et erat hoc eorum conſilium, ſi ſacerdos ad dandum baptiſmum inueniri non poſſet, eiusmodi laicis auctoritatem id faciendi concedere, qui hiſce idoneis qualitatibus eſſent inſtructi, quæ ad obtinendos ordines requirebantur, atque ita eos ſacerdotes vtcumque exhibere. Hæc maxime probabilis ratio eſt, quam in præſenti reddere de hiſce reſtrictionibus poſſum. Interea quod ad ſummam rei attinet, id extra controuerſiam poſitum eſt, quod in animo habuerint in quibusdam caſibus extraordinariis licentiam & auctoritatem laicis facere adminiſtrandi baptiſmum, quæ res tum quidem auctoritate deſtitui in *Hiſpania* dici non poterat, quandoquidem optimam auctoritatem habebat, quam eccleſia dare poterat, quæ eſt determinatio & auctoritas concilii. Nihil ad rem faceret, ſi quis obiicere vellet, fuiſſe hoc tantummodo decretum concilii, nationi *Hiſpanicæ* peculiaris & proprii. Neque

crum non peccarit, neque pœnitentiam vllam ſubierit: quod peccato poſt baptiſmum commiſſo, omnium, vt ita loquar, gratiarum & beneficiorum, quæ acceperat, iacturam faceret, ideoque baptiſmum eius, qui deliquiſſet, non integrum aut incorruptum videri amplius, quod ex illo diuino gratiæ, qua inſtructus erat, quaſi gradu excidiſſet. cetera.

(*d*) Voſſius de baptiſmo diſput. XI. n. 4. --hi vero excipiant tum illos, qui non perceperint integrum baptiſma (vbi intelligi cenſeo in morbo adſperſos: de quibus etiam dubitatum fuit, vtrum fieri poſſint epiſcopi) tum illos, qui bigami forent. cetera.

(*e*) Origin. eccleſ. lib. IV. cap. III. n. 2.

enim

enim iam disquirimus, quo pacto alia quaecumque ecclesia huic regulae sese submittere debeat, sed tantum, quae consuetudo & praxis fuerit ecclesiae antiquae. Ecclesia *Romana* ab regula huius concilii iam ante plura saecula discessit; nam bigamis baptizare permisit, vti auctor est AVXILIVS [*f*], quantumuis huius concilii *Hispanici* decreto esset interdictum. Sed progredimur.

§. X.

Testimonio ecclesiae Alexandrinae.

HAC materia eum in modum definita in *Occidente*, alia res accidit in *Oriente*, quae simile decretum inuexit in ecclesiam *Alexandrinam*, si veteribus historicis, SOCRATI, SOZOMENO & RVFFINO, eam narrantibus, fides vlla habenda est. RVFFINVS historiam ex eorum ore se accepisse dicit, qui cum ATHANASIO sint conuersati, ab eoque res memoriae est prodita in hunc modum: *Tempore, quo apud Alexandriam Petri martyris diem Alexander episcopus agebat, quum post expleta sollemnia conuenturos ad conuiuium suum clericos exspectaret in loco mari vicino, videt eminus puerorum supra oram maris ludum imitantium, vt fieri solet, episcopum, atque ea, quae in ecclesia geri mos est. Sed quum intentius diutine pueros inspectaret, videt ab his geri quaedam etiam secretiora & mystica. Perturbatus illico vocari ad se clericos iubet, atque eis, quid eminus ipse videret, ostendit. Tum abire eos & comprehensos ad se perducere omnes pueros imperat. Quumque adessent, quis eis ludus, & quid egissent, vel quomodo, percunctatur. Illi, vt talis habet aetas, pauidi, negare primo, deinde rem gestam per ordinem pandunt, & baptizatos a se esse quosdam catechumenos confitentur per Athanasium, qui ludi illius puerilis episcopus fuerat simulatus. Tum ille diligenter inquirens ab his, qui baptizati dicebantur* [*g*], *quid interrogati fuerint quidue responderint, simul & ab eo, qui interrogauerat. Vbi videt, secundum religionis nostrae ritum cuncta constare, conlocutus cum concilio clericorum, statuisse traditur, illis, quibus*

(*f*) Auxil. de ordinat. Formosi, ad calcem Morini de ordinationibus, c. X. Baptizati bigami; si necessitas incumbit, baptizare possunt; sacrum vero ordinem canonice accipere nequeunt.

(*g*) Ruffin. histor. lib. I. cap. XIV.

inte-

integris interrogationibus & responsionibus aqua fuerit infusa, iterari baptismum non debere, sed adimpleri ea, quæ a sacerdotibus mos est. SOCRATES [b] & SOZOMENVS [i] eamdem historiam narrant, nec non auctor vitæ ATHANASII [k] apud PHOTIVM, vna cum IOANNE MOSCHO [l] & compluribus aliis. Qui hac relatione sese premi sentiunt, varias vias ineunt vim eius euadendi. MICHAEL GLYCAS historicus *Græcus* plane inuertit episcopi decisionem, dicitque, eum pueros istos denuo tingi iussisse. Quæ autem tam manifesta est & in omnium veterum historicorum fidem iniuriosa præuaricatio, vt haud vllum aliud responsum mereatur, quam vt vero nomine temerariæ deprauationis & imposturæ appelletur. Alii eo propendent, vt vniuersam historiam in dubium vocent; dicuntque, viros doctos iam generatim eo inclinare, vt eam reiiciant tanquam fictionem. Noui equidem FRIDERICVM SPANHEIMIVM & paucos alios sic sentire; plerique tamen viri docti non sunt in ea opinione. IOANNES WHITGIFTVS, GEORGIVS ABBOTVS, IO. BAPTISTA COTELERIVS, ANTONIVS PAGIVS & multi alii, quos nominare poteram, æui sui magni viri, pro veritate istius historiæ scripserunt, eamque vt genuinam defenderunt. Et quodammodo inde etiam confirmatur, quod RVFFINVS eam se accepisse dicit ex ore eorum, qui cum *Athanasio* conuersati sint. Et NICEPHORVS CALLISTVS,* qui eamdem quoque historiam refert, parallelum exemplum alius cuiusdam & similis facti exhibet, quod ipsius ætate acciderit *Constantinopoli.* Quod ostendit, non esse omnino rem adeo singularem & incredibilem, vti quidem nonnulli sibi persuadent. Fac autem, esse narrationem fabulosam, æquum tamen est de antiquis historicis *Græcis* pariter ac *Latinis* id habere persuasum, ipsos saltem credidisse, quod memoriæ prodiderunt, nimirum eiusmodi quid *Alexandriæ* contigisse. Quod si generali sententiæ & praxi ecclesiæ istius æui id contrarium fuisset, vix cum tali approbatione narrassent, sed potius censu-

(b) Socrat. histor. lib. I. c. XV. tot.

(i) Sozomen. lib. II. c. XVII.

(k) Phot. cod. CCLVIII. pag. 1429. 1430.

(l) Mosch. pratum spirit. cap. CXCVII.

* Niceph. histor. lib. III. cap. XXXVII.

ram

ram & animaduersionem quamdam subiunxissent; vti fecerunt recentiores quidam *Græci*, qui factum non probant, & propterea reprehendunt, non quidem vt narrationem fabulosam, sed vt actionem consuetæ regulæ contrariam. Quod quum veteres historici non fecerint, merito hinc concludi potest, illos saltem existimasse, decisionem ALEXANDRI eiusque concilii generali sententiæ & praxi ecclesiæ esse conformem. Alia autem obiectio aduersus hunc casum a MATTHAEO BLASTARE [n], recentiore quodam legum ecclesiasticarum expositore *Græco*, formatur, qui singulare tantum exemplum & præter canones factum esse dicit. Quæ responsio est, plus habens modestiæ, & ex vna parte plus roboris illi facto adferre videtur, quam alterutra antegressarum. Haud vllum enim credo inueniri canonem, qui in antecessum adolescenti cuidam det auctoritatem baptizandi alium, præter necessitatem. Sed vero a sensu quæstionis quodammodo aberrat, vtpote, quæ non ad factum ATHANASII, sed ad sententiam ALEXANDRI, de isto facto latam, attinet. De facto enim ATHANASII quiuis libenter fatebitur, nec canonem nec forsassis præiudicium vspiam fuisse, quo illud nitatur; & mirum foret, si eiusmodi canon in ecclesia esset conditus. Quod autem ad determinationem attinet ALEXANDRI, quod baptismus in debita forma, etsi præter regulas ecclesiæ, datus per manum laici validus esse possit, ita vt eum non necesse sit iterari: non existimo adeo facile fore, vti qvidem putat BLASTARES, antiquum quemdam canonem producere, huic rei directe oppositum, qui baptismos illos, præter regulam administratos omnino nullos & irritos de-

(n) Blastar. syntagma canon. ap. Beuereg. pandect. tom. II. p. 43. ὥσπερ οἱ τῶν Ἀγαρηνῶν βαπτιζόμενοι παῖδες τῷ μὴ δυσωδίας ἀπόζειν, χριστιανοὶ οὐ λογίζονται, οὕτως οὐδ' οἱ μύρῳ χριόμενοι πρὸς τῶν ἀνιέρων· ὅτι μὴ δέδοται τοῖς τοιούτοις ἁγιασμοῦ τινος ὅλως μεταδιδόναι. εἰ δέ τις ἀνθυποφέρει τὸ παρὰ τοῦ μεγάλου Ἀθανασίου ὅτι παιδὸς ὄντος γεγονός, ἐνθυμηθήτω τὸν θεσπίζοντα πολιτικὸν νόμον, ὅτι τὸ παρὰ κανόνας οὐχ ἕλκεται εἰς ὑπόδειγμα. Καὶ οὐ νόμος ἐκκλησίας τὸ σπάνιον. *Quemadmodum Agarenorum infantes baptizati, vt non male olerent, christiani non iudicantur, ita neque ii, qui a non ordinatis chrismate inunguntur; quia talibus non est indultum aliquam omnino sanctificationem participare. Quod si quisquam in contrarium adducat, quod a magno Athanasio, quum puer adhuc esset, factum erat, attendat ad legem ciuilem statuentem, quod aliquid præter canones factum non trahitur in exemplum. Et lex ecclesiæ non est, quod raro fit.*

claret, quamuis ab ecclesia, in qua facti erant, postea permissos, quæ peculiaris præsentis casus ratio erat. Duæ enim heic viæ videntur esse actum quempiam permittendi, nimirum vel per antecedentem auctoritatem, quæ alicui detur eum perficiendi, vel per subsequentem confirmationem rei, præter regulam factæ & sine auctoritate, quæ ex post facto in permissione eius hæret. Atque ita baptismos, ab ATHANASIO datos, permissos & confirmatos esse ab *Alexandro* in ecclesia, manifestum est.

§. XI.

Testimonio Hieronymi.

SAECVLO quarto exeunte vixerunt HIERONYMVS & AVGVSTINVS, qui de praxi ecclesiæ, quod ad baptismi laicalis permissionem certis in casibus attinet, perspicue loquuti sunt. HIERONYMVS, vti obseruauimus supra, presbyterorum & diaconorum potestatem baptizandi ex primitiua potestate episcopi derivat: si tamen necessitas cogat [o], frequenter etiam laicis licere baptizare dicit: Vt enim quis acceperit, ita eum & dare posse. Hoc HIERONYMI testimonium tam graue tamque planum est, vt sæpius sim miratus, quomodo IOANNES FORBESIVS [r] vir doctus & acri iudicio præditus, ingeniosus item GVILIELMVS REEVESIVS [q] in eiusmodi errorem abripi potuerint, vt dicerent „post concilium *Nicænum* hanc propositionem, Quos baptizarit laicus, eos esse denuo baptizandos, vsque adeo firmitatem obtinuisse apud orthodoxos, vt ea, tamquam indubitato principio, hæreticos *Luciferianos* confutarint." Qui hæc verba in his eruditis scriptoribus legit neque circumspicit longius, anne is primo intuitu inducetur, vt cogitet, concilium *Nicænum* alicubi fecisse decretum, vt ii, qui a laicis baptizati sint,

(o) Hieron. dial. contr. Lucifer. cap. IV. Sine chrismate & iussione episcopi neque presbyter neque diaconus ius habent baptizandi. Quod frequenter (si tamen necessitas cogit) scimus etiam licere laicis. Vt enim accipit quis, ita & dare potest.

(p) Forbes. instruct. histor. lib. X. c. XIV. n. 5. Vsque adeo autem apud orthodoxos etiam post Nicænum concilium maior ille propositio: (*Quos baptizavit laicus, ii sunt denuo baptizandi* num. 4) firmitatem obtinuit, vt ea, tamquam indubitato principio, errorem Luciferi confutarint.

(q) Reeues. *Not.* ad Vincent. Lirin. p. 263.

denuo

denuo baptizentur; et catholicos generatim hoc tamquam indubitato principio vſos eſſe ad confutandos *Luciferianos?* Et re ipſa tamen nihil eiuſmodi inuenias. Concilium *Nicænum* nullum vnquam decretum fecit de denuo baptizandis iis, qui a laicis eſſent baptizati, ſed tantum a ſacerdotibus hæreticis. Neque catholici ea propoſitione tanquam indubitato principio vſi ſunt aduerſus *Luciferianos.* HIERONYMVS contra *Luciferianos* ſcripſit, tantum autem abeſt, vt generatim eos, quos homo laicus tinxerit, iterum tingendos eſſe ſtatuat, vt diſerte contrarium tueatur, nimirum ſi neceſſitas cogat, laicis etiam licere baptiſmum adminiſtrare. REEVESIVS aliquando iſtum mihi honorem exhibuit, vt opinionem meam & iudicium apud ſe aliquid valere fuerit, & ſi hanc materiam denuo conſiderarit, cauſſam eum habiturum confido opinionem ſuam hac in re mutandi, quum ſit vir æque ingenuus ac doctus; et tanto magis, quia plerique facile in errorem abripiuntur magnorum & in primis eruditorum hominum auctoritate, eaque vt vera amplectantur, quæ ipſis ab aliis traduntur, qui in altiore quodam dignitatis gradu ſunt conſtituti. Quod niſi veritus eſſem, non potuiſſem a me impetrare, vt hunc errorem in viro notarem, cuius vtiliſſimos labores maximi æſtimo.

§. XII.
Teſtimonio Auguſtini.

AVGVSTINVS contemporaneus fuit HIERONYMO & eamdem quam hic opinionem hac in re fouit. In epiſtola ad FORTVNATVM, in GRATIANO [*r*] conſeruata, in hunc modum ſcribit: *In neceſſitate, quum epiſcopi aut presbyteri, aut quilibet miniſtrorum non inueniuntur, & vrget periculum eius, qui petit, ne ſine iſto ſacramento hanc vitam finiat, etiam laicos ſolere dare ſacramentum, quod acceperunt, ſolemus audire.* Et hanc conſuetudinem deriuat ex auctoritate, per apoſtolos tradita epiſcopis. Nam in eadem epiſtola [*s*] ait: *Sanctum eſt baptiſma per ſe ipſum,*

(*r*) Ap. Grat. de conſecrat. diſt. IV. cap. XXI.

(*s*) Ibid. ap. Gratian. cap. XXXVI. Ibid. Non poteſt quiſquam dicere, relinquendum eſſe illum, qui morte imminente baptizari deſiderat. Quem baptizatum a pœnitente quiſquis non credat contigiſſe, oportet vt credat poſſe contingere.

quod datum est IN NOMINE PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI: Ita vt in eodem ſacramento ſit etiam auctoritas traditionis per Dominum noſtrum ad apoſtolos, per illos autem ad epiſcopos & alios ſacerdotes, vel etiam laicos chriſtianos, ab eadem origine & ſtirpe venientes. Hiſtoriam etiam ibi narrat de quodam catechumeno, qui quum eſſet in mari & periculo mortis, a pœnitente baptizatus ſit, quod alius chriſtianus non eſſet in naui. Et hinc concludit, quod, licet iſtiusmodi res non contigiſſet, quemuis tamen credere oporteat, contingere poſſe, adeoque non poſſe quemquam dicere, *relinquendum eſſe illum, qui morte imminente baptizari deſideret.* Si quis vero hæc loca dubia eſſe dixerit, eo quod tantum a GRATIANO exhibeantur, is idem in indubitatis AVGVSTINI operibus legere poteſt. In libris ſuis contra *Parmenianum Donatiſtam* [t], baptiſmum hæreticorum non iterandum eſſe probaturus, ſic argumentatur: *Si laicus aliquis pereunti dederit, neceſſitate compulſus, quod quum ipſe acceperit, dandum eſſe addidicit, neſcio, an pie quisquam dixerit eſſe repetendum. Nulla enim, neceſſitate ſi fiat, alieni muneris vſurpatio eſt; ſi autem neceſſitas vrgeat, aut nullum aut veniale delictum eſt.*

§. XIII.

Teſtimonio Gelaſii *epiſcopi* Romani, *ad an. CCCCXCII.*

PROXIMVS ab AVGVSTINO ſcriptor, qui hac de re quidquam dixit, GELASIVS eſt, epiſcopus *Romanus*, qui in epiſtola ſua ad epiſcopos *Lucaniæ, Brutiæ* & *Siciliæ* [u] miniſterium baptizandi in ordinariis caſibus ſolis epiſcopis & presbyteris vindicat, diaconis ab eo excluſis, præterquam ſi extrema neceſſitas compellat, & miniſtri ſuperiores longius abſint. Rebus ſic ſe habentibus laicis chriſtianis plerumque concedi dicit id facere. Vt adeo laicis tantumdem auctoritatis tribuat hoc officium explendi, abſentibus diaconis, quantum diaconis, epiſcopo & presbyteris abſentibus.

(t) Auguſtin. contr. epiſt. Parmen. lib. II. c. XIII.

(u) Gelaſ. epiſt. IX. ad epiſc. Lucan. cap. IX. Absque epiſcopo vel presbytero baptizare non præſumat diaconus: niſi prædictis fortaſſe officiis longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat: Quod & laicis chriſtianis facere plerumque conceditur.

§. XIV.

§. XIV.

Testimonium Isidori, episcopi Hispalensis ad annum DXCV.

ISIDORVS HISPALENSIS episcopus centum circiter annis post GELASIVM vixit, mentemque suam in eumdem modum declarat: *Quod nec priuatis [w] nec clericis sine gradu baptizare liceat, nisi tantum sacerdotibus: In evangelio legimus, apostolis tantum permissum, IESV post resurrectionem dicente, sicut me misit Pater, & ego mitto vos. Et hoc quum dixisset, insufflauit & ait eis: Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis; et quorum retinueritis, retenta erunt. Et in alio loco: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Vnde constat, baptismum solis sacerdotibus esse traditum, eiusque mysterium nec ipsis diaconibus explere est licitum absque episcopis vel presbyteris, nisi illis absentibus ultima languoris cogat necessitas. Quod & laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quisquam sine remedio salutari de saeculo euocetur.* Ita per sexcentos annos generalem opinionem & praxin antiquae ecclesiae vidimus, fundatam, quemadmodum illi credunt, missione data apostolis: qua episcopi, tanquam apostolorum successores, primo potestatem acceperint dandi baptismum per se ipsos, deinde aliis etiam concedendi auctoritatem faciendi idem; idque vel presbyteris & diaconis tantum, vel presbyteris solis in casibus ordinariis: et extra ordinem atque in extrema necessitate diaconis & laicis.

§. XV.

Ad obiectionem ex Chrysostomo, Basilio & Cypriano *responsio.*

HVIC generali antiquitatis consensui IOANNES FORBESIVS [x] & nonnulli alii, qui ipsum sequuntur, CHRYSOSTOMI, BASILII & CYPRIANI auctoritatem opposuerunt, quorum testimonium etiamsi omnino ab opponentium partibus staret, non multum tamen ponderis haberet, quod tantum priuatam eorum

(w) Isidor. de offic. eccles. lib. II. cap. XXV.

(x) Forbes. instruct. lib. X. cap. XIV. Chrysostomus, non obstante necessitate baptismum solis vindicat sacerdotibus. Manifestum, inquit, demonstratum est, cetera.

ſententiam, non praxin eccleſiæ, de qua in præſenti diſſertatione quæſtio eſt, loqueretur. Enim vero iam §. V. oſtendi, mentem CHRYSOSTOMI omnino perperam intelligi a FORBESIO. Quando enim CHRYSOSTOMVS officium baptiſmi ad manus ſacerdotum reſtringit, de ordinariis tantum caſibus id intelligit; alioqui diaconi, qui non ſunt ſacerdotes, ſimpliciter & ſemper ab illo excluderentur non minus quam laici. Atqui CHRYSOSTOMVS diaconis baptizare permittit, ſi qua neceſſitas ingruat; vnde apparet, ſermonem tantum eſſe de ordinaria baptiſmi adminiſtratione. Non repetemus heic CHRYSOSTOMI verba, quia ſupra, vbi de poteſtate diaconorum diximus, adducta ſunt, quo lectores noſtros remittimus. Quod ad BASILIVM attinet, libenter concedo, ipſum hac in re quodammodo ſingularem fouiſſe opinionem. Nam eos omnes denuo baptizandos eſſe ſtatuit, qui tantum a laicis baptizati erant, quemadmodum pro iterando baptiſmo illorum ſententiam ſuam dixit, qui ab hæreticis vel ſchiſmaticis ſacerdotibus eſſent tincti. Nam CYPRIANVM, & FIRMILIANVM anteceſſorem ſuum in ſede CAESAREENSI inducit in hunc modum argumentatos :[y] *Hæretici & ſchiſmatici ab eccleſia abrupti ſunt, laici effecti, adeoque nec baptizandi nec ordinandi habent poteſtatem, vt qui non poſſint amplius Spiritus Sancti gratiam aliis quoque præbere, a qua ipſi exciderunt. Quare eos, qui ab ipſis baptizati ſunt, tamquam a laicis baptizatos oportet, ad eccleſiam venientes, vero eccleſiæ baptiſmo expurgari.* Si hoc non eſſet teſtimonium BASILII, ego ſane dubitarem, an tali argumento vnquam vſus ſit CYPRIANVS, qualehoc eſt 1.) Quia eiuſmodi argumentum, quantum ego ſcio, in operibus eius haud inuenitur. 2.) Quia TERTVLLIANVS, quem CYPRIANVS magiſtrum ſuum vocare ſolet, magnam diſtinctionem facit inter baptiſmum hæreticorum & baptiſmum laicorum catholicorum, ſaltem in neceſſitate datum, ſicut vidimus ſupra. Nam repetitioni baptiſmatis eorum, qui ſic a laicis baptizati erant,

(y) Baſil. epiſt.ad Amphiloch. can. I. *Οἱ δὲ ἀπορραγέντες, λαϊκοὶ γενόμενοι, οὔτε τοῦ βαπτίζειν οὔτε τοῦ χειροτονεῖν εἶχον ἐξουσίαν, οὐκέτι δυνάμενοι χάριν πνεύματος ἁγίου ἑτέροις παρέχειν, ἧς αὐτοὶ ἐκπεπτώκασι. Διὸ ὡς παρὰ λαϊκῶν βαπτιζομένους τοὺς παρ' αὐτῶν ἐκέλευσαν ἐρχομένους ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν τῷ ἀληθινῷ βαπτίσματι, τῷ τῆς ἐκκλησίας ἀνακαθαίρεσθαι.*

con-

contradicebat, licet eos, qui ab hæreticis [z] tincti eſſent, denuo baptizandos eſſe non minus contenderet, quam CYPRIANVS ipſe. 3.) CYPRIANVS catholicorum laicorum longe maiorem rationem habebat, quam ſacerdotum hæreticorum, illos quidem membra eccleſiæ, hos autem ab ea prorſus abruptos reputans. Illos ad concilia ſua admittebat, nec quidquam ſine eorum conſenſu faciebat in pluribus cauſſis eccleſiaſticis; hos autem fugiebat & deteſtabatur, tamquam homines, qui fidem deſeruiſſent & chriſtianæ religioni per doctrinas hæreticas miſiſſent nuntium. Hæc argumenta probabilia ſunt, vt quis illis inducatur ad cogitandum, CYPRIANVM in eadem, qua magiſter ipſius, fuiſſe ſententia in capite de baptiſmo laicorum, niſi auctoritas BASILII obſtaret. Quomodocunque autem res ſe habet, BASILIVS huic opinioni & peculiari eccleſiæ ſuæ praxi non ita pertinaciter inhæſit, vt a chriſtiana religione eos alienos declararet, qui a ſchismaticis eſſent tincti, aut communionem eccleſiæ propterea ſolueret. Conſilium enim ſuum proxime ſequentibus verbis ſuppeditat, vt homines ad regulas eccleſiæ, in qua viuant, placide ſeſe componant. *Sed quoniam*, inquit, *nonnullis Aſiaticis omnino viſum eſt propter multorum œconomiam & diſpenſationem eorum baptiſma ſuſcipi, ſuſcipiatur* [a]. Vnde inferri poſſe exiſtimo, quod, licet ſua ſententia neque ſchiſmaticorum neque laicorum baptiſma probarit BASILIVS, ratum tamen haberi poſſe crediderit, ſi eccleſiæ placuerit id recipere & confirmare. Atque hoc ſtatuere videtur ex communi veterum principio, quod doctoribus & gubernatoribus eccleſiæ plena poteſtas relicta ſit iſtiusmodi baptiſmata approbandi, ſi id ad beneficium & ædificationem eccleſiæ neceſſarium eſſe viderent. Sin autem ſecus fuerit, opinio BASILII & CYPRIANI contrariæ doctrinæ fraudi eſſe vel communi ſententiæ & praxi eccleſiæ opponi haud poteſt. Attamen obſeruari potuerit, BASILIUM fortaſſis non loqui de baptiſmo laicorum ex neceſſitate dato, ſed de vſurpatione officii, quam ſibi ſumebant hæretici in caſibus ordinariis. Quæ res ma-

(z) Vid. Tertull. de baptiſmo cap. XV. tot.

(a) Baſil. epiſt. ad Amphiloch can. I. Ἐπειδὰν δὲ ὅλως ἔδοξέ τισι, μὲν κατὰ τὴν Ἀσίαν οἰκονομίας ἕνεκα τῶν πολλῶν δεχθῆναι αὐτῶν τὸ βάπτισμα, ἔστω δεκτόν.

gnam

gnam differentiam gignit in hac cauſſa, & ad difficiliorem attinet quæſtionem, quæ eſt, Num baptiſmi auctoritate vacui vnquam rati habiti & ſubſequuta confirmatione ac receptione in eccleſiam approbati fuerint? Quæ res eſt iam proxime conſideranda.

§. XVI.

Num vſurpatus & auctoritate deſtitutus baptiſmus laicorum validus fuerit?

HAEC quæſtio, vti dixi, plus difficultatis quam prior illa habet, quia multi ex ſcriptoribus illis, qui baptiſmum, a laico in neceſſitate adminiſtratum, legitimum eſſe declararunt, de hoc momento penitus ſilent. Neque enim vel TERTVLLIANVS, vel concilium *Illiberitanum*, vel HIERONYMVS, vel GELASIVS, vel ISIDORVS quidquam de eo dicunt, de ſolo neceſſitatis, nec vllo alio, caſu loquentes. Et auctor *conſtitutionum apoſtolicarum* ſeuere contra vſurpatas & auctoritate deſtitutas actiones pronuntiare videtur, tanquam plane nullas & vacuas. Integrum caput habet ſub hoc titulo. *Quod horrenda res ſit, hominem ſe immittere in aliquam dignitatem: vt Coritæ, vt Saul, vt Ozias:* Et mentem ſuam aperit in hunc modum: *Quemadmodum alienigenæ, qui non erat de tribu Leuitica, non licebat offerre aliquid, aut ad aram accedere ſine ſacerdote, ita & vos ſine epiſcopo nihil agite. Quod ſi quis ſine epiſcopo aliquid faciat, illud fruſtra* [b] *facit, nec ipſi in opus reputabitur. Et ſicut Saul, quum abſque Samuele obtuliſſet, audiuit; Inaniter a te actum eſt: ſic quicunque laicus ſine ſacerdote quidquam operatur, in caſſum laborat. Et vt rex Ozias, quum officia ſacerdotum non ſacerdos vſurparet, propter*

(b) Conſtitut. Apoſtol. lib. II. cap. XXVII. Ὅτι φρικῶδες, ἄνθρωπον ἑαυτὸν ἐπιῤῥιπτεῖν ἀξιώματί τινι ἱερατικῷ. Ὡς οἱ Κορεῖται, ὡς Σαοὺλ, ὡς Ὀζίας. Ὡς οὖν οὐκ ἐξὸν ἀλλογενῆ, μὴ ὄντα Λευΐτην, προσενέγκαι τι, ἢ προσελθεῖν εἰς τὸ θυσιαστήριον, ἄνευ τοῦ ἱερέως, οὕτω καὶ ὑμεῖς ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν ποιεῖτε. Εἰ δέ τις ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου ποιεῖ τι, εἰς μάτην ποιεῖ αὐτό· οὐ γὰρ αὐτῷ εἰς ἔργον λογισθήσεται. Ὡς γὰρ ὁ Σαοὺλ ἄνευ τοῦ Σαμουὴλ προσενέγκας, ἤκουσεν, ὅτι μεματαίωταί σοι· οὕτω καὶ πᾶς λαϊκὸς ἄνευ τοῦ ἱερέως ἐπιτελῶν τι, μάταια ποιεῖ· καὶ ὡς Ὀζίας ὁ βασιλεὺς οὐκ ὢν ἱερεὺς τὰ τῶν ἱερέων ἐπιτελῶν ἐλεπρώθη διὰ παρανομίαν, οὕτω καὶ πᾶς λαϊκὸς οὐκ ἀτιμώρητος ἔσται, καταφρονήσας Θεοῦ, καὶ τῶν αὐτοῦ καταμαρεὶς ἱερέων, καὶ τὴν τιμὴν ἁρ-

trans-

transgressionem lepra tactus est: ita non impune feret laicus, qui Deum contemserit, & in sacerdotes eius insanierit, atque honorem sibi arripuerit; minime imitatus CHRISTVM, qui semetipsum non clarificauit, vt fieret pontifex, sed exspectauit, vt Patrem audiret; Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum; Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedeci. Iam vero hic sermo, ad baptismum adplicatus, declarabit, quemlibet vsurpantem officium baptizandi, quod ad se non pertineat, in conspectu Dei grandis delicti reum esse; omnesque eius actiones vanas esse, quod ad ipsum vsurpatorem attinet; nunquam enim ei in acceptum ministerium reputatum iri, præmio dignum, sed eum potius ineuitabili iræ & pœnæ obnoxium fore. Sed vero quæstio adhuc manet, Num isti actus, quantumlibet vani respectu eius, qui administrauit, omnino vani sint & vacui respectu etiam illius, qui accepit? Quo de capite vt hic auctor nihil præcise definiuit, ita mihi non sumo pro ipso illud determinare. Contra vero decisio, facta ab ALEXANDRO & ecclesia *Alexandrina*, plane indicat, eiusmodi baptismos, etsi auctoritate vacuos & a regula alienos in administratore, non tamen prorsus nullos ac vacuos esse ratione effectus in baptizatis. *Athanasium*, certum est, non potuisse habere legem ecclesiæ, quæ auctoritatem ei dederit baptizandi in isto casu & eo modo, quo baptizauit; neque tamen ALEXANDER sic ab illo baptizatos denuo baptizari voluit. AVGVSTINVS in eadem fuit opinione. Libere quidem fatetur, baptismum, a laico sine necessitate administratum, illicitam vsurpationem esse officii alterius: putat tamen, non esse eum omnino nullum & irritum in baptizato, sed verum baptismum nec repetendum. Verba eius sic habent: *Etsi nulla necessitate* [c] *vsurpetur & a quolibet cuilibet detur; quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamuis recte dici potest illicite datum. Illicitam ergo vsurpationem corrigit reminiscentis & pænitentis affectus. Quod si non correxerit, manebit ad pænam vsurpatoris, quod*

πάσας ἑαυτῷ, μὴ μιμησάμενος χριστὸν, ὃς οὐχ ἑαυτὸν ἐδόξασε γενηθῆναι ἀρχιερέα, ἀλλὰ περιέμενεν ἀκοῦσαι τοῦ πατρός. Ὤμοσε κύριος, καὶ οὐ μεταμεληθήσεται, σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ.

(c) Augustin. contr. Parmen. lib. II. cap. XIII.

datum est, vel eius, qui illicite dedit, vel eius, qui illicite accepit: non tamen pro non dato habetur. Neque vllo modo per deuotum militem, quod a priuatis vsurpatum est, signum regale videbitur. Si enim aliqui furtim & extraordinarie, non in monetis publicis aurum vel argentum, sed æs percutiendo signauerint: quum fuerit deprehensum, nonne illis punitis aut indulgentia liberatis, cognitum regale signum thesauris regalibus cogetur inferri? Vnde claret, sensisse AVGVSTINVM, baptismum a laico extra necessitatem datum, vtut illicitam ministerii sacerdotalis vsurpationem, non esse iterandum. Et hoc alio loco contra *Donatistas* adserit; non tamen tamquam a generali quodam concilio definitum, sed vt suam ipsius sententiam. Ait enim, si quis forte se in concilio constitutum, vbi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus talibus, quorum sententiam sequi mallet, vrgeret, vt diceret, quid ipse sentiret: se nequaquam dubitaturum adfirmare [*d*], *habere eos baptismum, qui vbicumque & a quibuscumque illud verbis euangelicis consecratum, sine sua simulatione & cum aliqua fide accepissent: Quamquam eis ad salutem spiritualem non prodesset, si caritate caruissent, qua catholicæ insererentur ecclesiæ.* Manifesto idem sensit OPTATVS: Christum apostolis mandatum baptizandi dedisse statuit, non tamen eiusmodi, vt omnia baptismata, a quocunque alio exhibita, prorsus nulla & irrita declararit. *In quo baptizarentur gentes*, inquit, *a saluatore* [*e*] *mandatum est: per quem baptizentur, nulla exceptione discretum est. Non dixit apostolis, Vos facite, alii non faciant. Quisquis in nomine PATRIS, FILII & SPIRITVS SANCTI baptizauerit, apostolorum opus impleuit.* Vnde concludit, *Nomen* (sacrosanctæ Trinitatis) *esse, quod sanctificet, non opus* ministrorum, baptisma administrantium, & hos *operarios esse, non dominos.* Et ex hoc fundamento docet, baptismum schismaticorum, eorumque hæreticorum, qui in fidem TRINITATIS baptizent, esse validum, licet non omnino tamquam fidi ecclesiæ ministri legitima ratione auctoritatem habeant & potestatem id faciendi. Qua de re postea loco suo plura.

(*d*) Aug. de bapt. lib. VII. cap. LIII.
(*e*) Optat. contr. Parmen. lib. V. p. 90.

§. XVII.

§. XVII.

De baptismo mulierum, an vllam auctoritatem illæ habeant baptizandi.

PROXIMA quæstio ad baptismum mulierum pertinet, Num vllam auctoritatem habeant vel licentiam baptizandi in ecclesia? De ordinariis casibus inter omnes constat, eis simpliciter interdictum esse, in vllam functionem ecclesiasticam, & in specie in baptismi administrationem, sese ingerere. Hæc controuersia erat inter ecclesiam & diuersos veteres hæreticos, an mulieribus sacerdotibus esse & baptizare liceret æque ac viris. *Marcionitæ* id licere adfirmabant; idem sentiebant *Collyridiani*, *Pepuziani* & *Cataphryges*, *Montanistarum* surculi. Catholici vero huic rei tamquam illicitæ & minus christianæ praxi sese semper mascule opposuerunt, quemadmodum in alio opere vberius ostendendi habui occasionem, vbi de officio diaconissarum [*f*] in ecclesia antiqua disserui; quo lectorem remitto. *Lutherani* & *Pontificii*, qui baptismum mulierum in extrema necessitate defendunt, hoc non negant; aduersarios autem suos sibi iniuriam facere dicunt, quum ipsis praxin imputent *Marcionitarum* & *Montanistarum*, quam vehementer detestentur. Vnde cardo controuersiæ in eo situs est, Num ecclesia antiqua mulieribus extra ordinem & extrema vrgente necessitate permiserit baptizare? Et heic quidem, salua aliorum sententia, illam eis hoc non permisisse existimo. Nam TERTVLLIANVS eodem loco, quo id a viris legitime fieri posse adfirmat, a mulieribus id fieri absolute vetat; et quidem ex hoc principio disputat, quod viri ad officium sacerdotale vocati sint, mulieres non item, & quod adeo, necessitate exigente, illis non his illud perficere liceat. Petulantiam [*g*] vocat

(*f*) Origin. ecclef. lib. II. cap. XXII. n. VII.

(*g*) Tertull. de bapt. cap. XVII. Petulantia autem mulierum, quæ vsurpauit docere, vtique nunc etiam tingendi ius sibi pariet; vt quemadmodum illa baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat. Quod si quæ Pauli perperam scripta legunt, exemplum Teclæ ad licentiam mulierum docendi tingendique defendunt: sciant, in Asia presbyterum, qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, conuictum atque confessum, id se amore Pauli fecisse, loco decessisse. Quam enim fidei proximum videretur, vt is docendi & tingendi daret feminæ potestatem, qui ne discere quidem constanter mulieri permisit?

in mulieribus, vſurpare ius baptizandi. Et quum nonnulli id defenderent exemplo *Teclæ*, prouocantes ad auctoritatem antiqui ſcripti, quod ſub nomine *actorum Pauli* & *Teclæ* prodierat, & ab ipſo apoſtolo exaratum credebatur, declarat illis, rem ita ſeſe non habere, ſed a presbytero quodam in *Aſia* ſub nomine *Pauli* conſtructum, eumque conuictum & confeſſum eſſe, id ſe amore *Pauli* feciſſe, ſed hoc non obſtante propter impoſturam iſtam de gradu deiectum fuiſſe: Omnino enim improbabile videri, Apoſtolum mulieribus dediſſe poteſtatem docendi & baptizandi, qui ne quidem eis diſcendi ergo in publico conuentu interrogare permiſerit. Alio loco [*b*] hac de re ſic loquitur: *Non permittitur mulieri in eccleſia loqui: ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec vllius virilis muneris, nedum ſacerdotalis officii, ſortem ſibi vindicare.* Vnde id manifeſto apparet, non conceſſiſſe eum feminis eamdem poteſtatem & auctoritatem baptizandi, ſi ingruat neceſſitas, quam maribus conceſſit, ſiquidem in vno caſu exceptionem admittit, non autem in altero. Atque ita in concilio *Carthaginenſi* quarto [*i*] mulieres a baptizandi miniſterio ſine vlla exceptione excluduntur. Et quamquam GRATIANVS & PETRVS LOMBARDVS verba iſta, *niſi neceſſitate cogente*, antiquo ſyſtemati illius canonis adiiciant; tamen vel propria ipſorum interpretatio eſt, vel manifeſta fraus: neque enim eiusmodi lectio hodie in vllo conciliorum tomo habetur, & GERARDO IOANNE VOSSIO obſeruante [*k*] aliquot ſæculis ante illos aliter citatus eſt a WALAFRIDO STRABONE [*l*]; quod argumento eſt, priorem lectionem eſſe genuinam, nec habuiſſe

(*b*) Tertull. de veland. virgin. cap. IX.

(*i*) Concil. Carth. IV. can. C. Mulier baptizare non præſumat.

(*k*) Voſſ. de bapt. diſput. XI, n. XV, p. 148. Iuniores (Lombardus & Gratianus) hæc verba adiungunt, *niſi neceſſitate cogente.* Vnde Pamelius ad Tertullianum libro de baptiſmo cap. XVII. iam olim ſic lectum fuiſſe concludit. Sed quum, vti dixi, nec Walafridus ea legerit verba, nec hodie ea lectio in vllis reperiatur conciliorum libris: magis ſit veriſimile, Lombardum illa ac Gratianum adieciſſe, tamquam canonis interpretamentum.

(*l*) Strabo de offic. cap. XXVI. In hoc & ſimilibus non tribuitur quibuscunque baptizandi indiſcreta licentia, quum *concilio Carthaginenſi mulieres prohibeantur baptizare.*

cano-

canonem initio eiusmodi exceptionem. Neque vero HIERONYMVS vel AVGVSTINVS vel GELASIVS vel ISIDORVS vllam feminis auctoritatem baptizandi, ſicut viris, concedunt. Quare ex eorum ſilentio concludi poteſt, non exiſtimaſſe eos, mulierum cauſſam ſimilitudinem quamdam habere cum cauſſa virorum. Praeterea hoc etiam concludi poteſt, praxin & regulas hodiernae eccleſiae *Graecae*, *Romanenſium* & *Lutheranorum*, qui obſtetricibus & aliis quibuscunque feminis, neceſſitate requirente, baptizare permittunt, quibuscunque aliis rationibus innitantur, non poſſe tamen defendi regulis & canonibus eccleſiae antiquae, quia non dantur, qui iſti praxi concilient auctoritatem.

§. XVIII.

Num vſurpatum baptiſmum mulierum validum reputaverint veteres.

AT ENIM VERO roget quis porro, Quid? ſi mulieres vſurpauerint auctoritatem baptizandi, ſiue ordinarie, vti ſacerdotes haeretici, ſiue extraordinarie in neceſſitate quadam, vti fortaſſis nonnulli in eccleſia catholica, licet contra legem fecerint; Num baptiſmus illarum reputatus eſt nullus & vacuus, an vero validus eſſe iuſſus eſt ab eccleſia? Quum diuerſis partibus haec quaeſtio conſtet, non poſſum ad ſingulas partes eodem prorſus modo reſpondere. Non autem heic dubium eſſe puto, quin *primo* omnes iſtae eccleſiae, quae haereticorum virorum baptiſmum reiecerunt, etiam haereticarum feminarum baptiſmum, ſiue in ordinariis ſiue extraordinariis caſibus datum, omnino reieciſſe exiſtimandae ſint. Vnde TERTVLLIANI, CYPRIANI & FIRMILIANI [*m*] plana hac de re eſt ſententia, quod omnia iſta baptiſmata ſint inualida. Probabile etiam mihi videtur, eos, qui baptiſmum haereticorum virorum extra eccleſiam vt validum, & baptiſmum catholicorum laicorum in eccleſia non tantum vt validum, ſed etiam auctoritate praeditum admiſerunt, nihilo minus reieciſſe baptiſmum mulierum vtrobique, quia mulieres tam praeciſe ab omnibus ſacerdotalibus miniſteriis excludunt, & id quidem ſemper ſine vlla exceptione & quibuscunque in caſibus.

(*m*) Firmil. epiſt. LXXV. ap. Cyprian. p. 223. tot.

Vt autem nullum antiquum ſcriptorem noui, qui directe ac definite de hac parte quæſtionis loquutus ſit; & rationes dantur, quibus quis induci poteſt, VT AVGVSTINVM diuerſæ opinionis fuiſſe credat; ita aliorum iudicio & diligentiori diſquiſitioni hoc relinquo.

§. XIX.

Num ſacerdotes hæretici & ſchiſmatici & clerici de gradu deiecti vllam legitimam auctoritatem baptizandi habuerint?

PROXIMVM, quod in diſceptationem vocatur, ad baptiſmum attinet, ab hæreticis & ſchiſmaticis epiſcopis, presbyteris & diaconis, nec non ab illis clericis adminiſtratum, qui de gradu ſuo, ob violatas functionis ſuæ regulas, ex auctoritate eccleſiæ legitime deiecti ſunt. Quam materiam recte conſtituere & examinare magni ponderis & momenti res eſt; quia eiusmodi caſus practicus eſt, qui eccleſiæ ſemper plus negotii faceſſiuir, quam baptiſmus mere laicorum. Accedit, quod vniuerſa eccleſia *Anglicana* & omnes eccleſiæ reformatæ ipſam eſſentiam baptiſmi ſui & chriſtianiſmi illi acceptam ferant. Omnes enim baptiſmum ſuum ab hæretica & ſchiſmatica eccleſia *Romana* acceperunt. Perinde igitur, vt hæreticus & ſchiſmaticus baptiſmus definitur eſſe validus vel non validus baptiſmus, ita ſit oportet omnium iſtarum eccleſiarum conditio, vt aut verum & validum baptiſmum acceperint, aut, hoc eis deficiente, omnes denuo baptizari neceſſe habeant. Vt autem, quid antiqua eccleſia de hac magni momenti re ſenſerit, aperte & diſtincte oſtendam, de quatuor his quæſtionibus ſeparatim agere me oportebit: 1.) Num hæretici & ſchiſmatici ab eccleſia habeant vllam legitimam auctoritatem baptizandi? 2) Num poſito, eos non habere legitimam auctoritatem, baptiſmus eorum, hoc non obſtante, verus & validus baptiſmus ſit? 3) Quænam priuilegia conferantur per eiuſmodi baptiſmum, quinam ſint eius defectus, & quomodo hi ipſi ſuppleantur, hominibus ad ſanctæ catholicæ eccleſiæ vnitatem redeuntibus? 4.) Vtrum hæretici, ſchiſmatici & deiecti de gradu clerici hac in re agant tamquam clerici, an vero tamquam laici? Diſtincta harum diuerſarum quæſtionum conſi-

consideratio magni vsus erit. Nihil enim vel ecclesiam magis turbauit, vel homines in hac disputatione confudit, quam neglecta distinctio baptismi cum auctoritate dati ab eo, qui omnino validus est, nec non priuilegiorum vnius a defectibus & imperfectionibus alterius. Ex non distincte instituta harum rerum consideratione factum est, vt CYPRIANVS omnesque eius socii in errorem de iterando baptismo inciderint. Nullum baptismum validum esse posse existimabant, nisi & baptizans esset homo auctoritate instructus, & baptismus eius exhibere etiam posset omnes illas spirituales gratiæ dotes, quæ sunt ordinariæ baptismi catholici effectiones. Vtraque autem res in baptismo hæreticorum deficiebat, auctoritas videlicet & spiritualis gratia, & hinc baptismum eorum inualidum esse concludebant. Eadem neglectio distinctionis inter baptismum auctoritate carentem & inualidum baptismum est, quæ hodieque multos in errorem abripit. Semper hæc duo confundunt, quæ tamen sunt diuersissimæ considerationis. Nam omnes baptismi hæreticorum, schismaticorum & ministrorum de gradu deiectorum auctoritate destituuntur; neque vero tutum erit statim inde inferre, quod propterea absolute sint inualidi. Alioquin ecclesia catholica & ecclesia *Anglicana* iniqua esset conditione, vti ex iis apparebit, quæ in hac dissertatione sequuntur.

NAM primum omnium in hoc consentiebant vniuersi, quod hæretici, schismatici & clerici loco moti non habeant ab ecclesia legitimam auctoritatem baptizandi. Hæc opinio non solum defendebatur a CYPRIANO eiusque sectatoribus, istiusmodi baptismos inualidos esse contendentibus, sed ab AVGVSTINO etiam & reliquis omnibus, qui iustum eorum valorem aduersus necessitatem rebaptizandi tuebantur. Et quidem hoc nitebantur fundamento, quod qui ecclesiam deseruissent eique sese opponerent, legitima eius destituantur vocatione, adeoque non solum præter sed etiam contra auctoritatem illius in omnibus functionibus suis agant. Nihil hanc in rem planius esse potest canone secundi concilii *Carthaginensis*, qui habet: *Si quis presbyter a præposito suo excommunicatus vel correptus fuerit, debet vtique apud vicinos episcopos conqueri, vt ab ipsis eius caussa possit audiri, ac per ipsos suo episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbia, quod absit,*

absit, inflatus secernendum se ab episcopi sui communione [*n*] *duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur, ac locum amittat.* Si istiusmodi presbyter schismaticus se ipse facit anathema, quod sacramentum exhibeat in conuentu separato, quamquam in se validum esse potest sacramentum, manifesto tamen contra auctoritatem agit ecclesiae, omnesque eius functiones vitiosae sunt & illicitae in tali separatione. Hoc est, quod supra ab IGNATIO [*o*] audiuimus inculcatum, " Non licere sine episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare, sed quodcunque ille probet, hoc & Deo gratum esse ". Quid vero illud vitiosum Deoque ingratum efficeret, si presbyter baptizet sine suo episcopo, nisi quod sic agens praeter & contra auctoritatem episcopi sui agat, eique sese opponat, quem Deus praecipuum ecclesiae rectorem fecit? Hoc etiam est, quod ab HIERONYMO percepimus antea [*p*], " sine iussione & auctoritate episcopi neque presbyterum neque diaconum ius habere baptizandi, quia is sit summus sacerdos ecclesiae". Sed iam plus satis de hoc capite diximus, vbi de primitiua episcoporum potestate & de potestate presbyterorum ac diaconorum, tamquam ab illis solum deriuata, loquuti sumus ad demonstrandum, neminem habere posse vllam legitimam auctoritatem siue ordinariam potestatem baptizandi, nisi eatenus solum, quatenus in subordinatione subter illos, secundum statas leges ac regulas ecclesiae catholicae, agat. Modo obseruanda est heic distinctio, quam de vocabulo *potestatis* adhibet AVGVSTINVS; quod vel regularem auctoritatem & potestatem administrandi legitimo modo baptismum significat, de qua sumus loquuti, vel talem potestatem, quae in hominibus sita esse potest ad dandum baptismum, qui firmus ac validus sit, etiamsi ad hanc functionem non sint secundum regulas ecclesiae idonei, sed contra notas regulas & per manifestam vsurpationem id faciant. Quo in sensu haereticis, schismaticis & contumacibus seu deiectis de gradu episcopis & presbyteris adhuc potesta-

(*n*) Concil. Carth. II. can. VIII.

(*o*) Ignat. epist. ad Smyrn. n. VIII. cit. supra §. III. ad litt. (f). pag. 6.

(*p*) Hieron. dial. adu. Lucifer. cap. IV. cit. §. III. ad litt. (m). pag. 7.

tem

tem baptizandi esse largitur: tum vero non esse eum baptismum regulis ecclesiæ vere conformem, eiusque auctoritate munitum, sed potestatem vsurpatam & muneris ad alios spectantis illicitam inuasionem. Vt adeo de hoc capite inter veteres non fuerit controuersia. Omnium enim iudicia & opiniones in hoc concordabant, quod si potestas tantum pro potestate regulis ecclesiæ fundata, & pro iusta ac legitima auctoritate accipiatur, hæretici, schismatici ac sacerdotes munere suo exuti, non habeant legitimam auctoritatem baptizandi; sed quidquid faciant, id fiat, proprie loquendo, per vsurpationem auctoritate cassam, criminosam & anti-episcopalem, vtpote notis regulis ac legibus verorum ecclesiæ catholicæ gubernatorum maxime contrarium.

§. XX.

Num baptismus hæreticorum & schismaticorum fuerit validus.

IAM VERO, non obstante eorum consensione hac in re, Quod hæreticorum & schismaticorum baptismus sit auctoritate vacuus & illicitus, tamen quod ad proximam quæstionem de eiusmodi baptismatum valore attinet, inter se dissidebant. TERTVLLIANVS etsi baptismum laicorum in necessitate legitimum & validum esse concedebat, baptismum tamen hæreticorum vt plane nullum & vacuum simpliciter & generatim reiiciebat. In hunc enim modum argumentatur: *Vnus omnino baptismus est nobis tam ex Domini euangelio* [q], *quam ex apostoli litteris: Quoniam vnus Dominus & vnum baptisma & vna ecclesia in cælis. Sed circa hæreticos sane quid custodiendum sit, digne quis retractet. Ad nos enim editum est. Hæretici autem nullum habent consortium nostræ disciplinæ, quos extraneos vtique testatur ipsa ademtio communicationis. Non debeo in illis cognoscere, quod mihi est præceptum; quia non idem Deus est nobis & illis; nec vnus Christus, id est idem: Ideoque nec baptismus vnus, quia non idem; quem quum rite non habeant, sine dubio non habent: nec capit numerari, quod non habetur. Ita nec possunt accipere, quia non habent.* Librum etiam *græce* hanc in rem se scripsisse [q*]

(q) Tertull. de bapt. cap. XV.

(q*) Ibid. Sed de isto plenius iam nobis in græco digestum est.

dicit. Et in libro de *præſcriptionibus aduerſus hæreticos* [r] eam tangit, *Nemo*, inquiens, *inde ſtrui poteſt*, *vnde deſtruitur. Nemo ab eo illuminatur*, *a quo contenebratur.* Et alio libro multo explanatius docet, hæreticos vt gentiles per baptiſmum recipi. *Apud nos*, inquit [s], *vt ethnico par*, *immo & ſuper ethnicum hæreticus etiam per baptiſma veritatis vtroque homine purgatus admittitur.* Nonnulli TERTVLLIANVM heic de ſchola MONTANI loqui putant, quia *librum de pudicitia* ſcripſerit, MONTANI placita iam amplexus. Sed vero alii libri ſcripti ſunt ab eo adhuc catholico; adeoque potius arbitror, loqui eum ſententiam eccleſiæ *Carthaginenſis*, & fortaſſis totius eccleſiæ *Africanæ* iſtius æui. *Agrippus* enim epiſcopus *Carthaginenſis* cum ſynodo prouinciarum *Africæ* & *Numidiæ* non multo poſt eamdem rem confirmauit, vti ex epiſtolis [t] CYPRIANI diſcimus. Et opinio

(r) Tertull. de præſcript. cap. XII.

(s) Id. de pudicit. cap. XIX.

(t) Cyprian. epiſt. LXXI. ad Quint. p. 196. Retulit ad me, frater cariſſime, Lucianus, compresbyter noſter, te deſideraſſe, vt ſignificaremus tibi, quid ſentiamus de his, qui apud hæreticos & ſchiſmaticos baptizati videntur. De qua re quid nuper in concilio plurimi coëpiſcopi cum compresbyteris, qui aderant, cenſuerimus, vt ſcires; eiuſdem epiſtolæ exemplum tibi miſi. Neſcio etenim, qua præſumtione ducantur quidam de collegis noſtris, vt putent eos, qui apud hæreticos tincti ſunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere, eo quod dicant vnum baptiſma eſſe, quod vnum ſcilicet in eccleſia catholica eſt. Quæ eccleſia ſi vna eſt, eſſe baptiſma extra eccleſiam non poteſt. Nam quum duo baptiſmata eſſe non poſſint, ſi hæretici vere baptizant, ipſi habent baptiſma. Et qui hoc illis patrocinium de auctoritate ſua præſtat, cedit illis & conſentit, vt hoſtes & aduerſarii Chriſti habere videantur abluendi & purificandi & ſanctificandi hominis poteſtatem. Nos autem dicimus, eos, qui inde veniunt, non rebaptizari apud nos, ſed baptizari. Neque enim accipiunt illic aliquid, vbi nihil eſt; ſed veniunt ad nos, vt hic accipiant, vbi & gratia & veritas omnis eſt; quia & gratia & veritas vna eſt. cetera.

Idem epiſt. LXXIII. ad Iubaian. p. 199. Scripſiſti mihi, frater cariſſime, deſiderans ſignificari tibi motum animi noſtri, quid nobis videatur de hæreticorum baptiſmo, qui foris poſiti & extra eccleſiam conſtituti vindicant ſibi rem nec iuris ſui nec poteſtatis, quod nos nec ratum poſſumus nec legitimum iudicare, quando hoc apud eos eſſe conſtet illicitum, cetera.

CYPRIANI [u] ac diuerforum conciliorum, eius ætate [w] celebratorum, tam nota eft, vt ei immorari neceffe non fit. FIRMILIANVS quoque epifcopus *Cæfareæ* in *Cappadocia* CYPRIANO fe iunxit longamque ad eum fcripfit epiftolam [x] ad eamdem opinionem defendendam, vbi decretum etiam citat fynodi, in *Iconio Phrygiæ* habitæ, in eamdem fententiam. Ita quoque DIONYSIVS *Alexandriæ* epifcopus eamdem doctrinam [y] tuetur, & in epiftola quadam fua decretorum in conciliis apud *Iconium* & *Synada* meminit in eius confirmationem. E contrario STEPHANVS, epifcopus *Romanus*, & ecclefiæ fub ipfo conftitutæ oppofitam opinionem defendebant, ftatuentes omnes eos, qui in nomine fanctæ TRINITATIS tincti effent, recipiendos effe cum fola impofitione manuum, fine iteratione baptifmatis, quibuscumque ex hærefibus vel fchifmatibus ad ecclefiam catholicam venirent. Ita enim opinionem eorum in epiftola ad CYPRIANVM [z] exacte & candide enarrat FIRMILIANVS. Noui equidem, multos viros doctos, & hos inter GERARDVM IOANNEM VOSSIVM, DAVIDEM BLONDELLVM & IOANNEM PEARSONIVM [a] exiftimare, *Stephanum* epifcopum *Romanum* doctrinæ *Cypriani* fefe opponendo inconfiderate in contrarium errorem lapfum effe, omnesque ab hæreticis fiue in nomine TRINITATIS, fiue alio quocunque modo tinctos, indifcriminatim recipiendos effe, contendiffe. Enimuero multa ab erudito ANTONIO PAGIO [b] ad liberandum ab hac incufatione STEPHANVM, &, mea quidem fententia, iufte ac cum ratione adferuntur.

(u) Cyprian. epift. LXIX. LXX. LXXI. LXXII. LXXIII. cet.

(w) Concil. Carthagin. ap. Cyprian. p. 229. (p. 158 feqq. edit. Amftel. MDCC.) Epiftol. LXX. ad Ianuar. tot.

(x) Firmil. epift. LXXV. ap. Cyprian. p. 221.

(y) Dionyf. ap. Eufeb. lib. VII. cap. VII.

(z) Firmil. epift. LXXV. p. 221. Non putant quærendum effe, quis fit ille, qui baptizauerit, eo quod qui baptizatus fit, gratiam confequi potuerit inuocata Trinitate nominum Patris & Filii & Spiritus Sancti.

(a) Pearfon. annal. Cyprian. an. CCLVI. n. III. p. 54. (p. 42. edit. Amftel. MDCC.) Si Stephanum fpectes, cetera. vid. not. feq. (b)

(b) Pagi critic. in Baron. ann. CCLVI. num. IV. Pearfonius exiftimat, Cypriani & Stephani papæ fententiam vniuerfali propofitione conftare: Si Ste-

Nam hic vnus locus FIRMILIANI (qui tamen virorum doctorum ab vtraque parte obseruationem fugit) abunde eum ab hac culpa vindicat. Plane enim ostendit, non decertasse eum pro quocunque baptismate hæreticorum, sed pro illo tantum, quod factum sit in sollemni forma ecclesiæ in nomine videlicet sanctæ TRINITATIS. Et si quae locutiones in litteris STEPHANI ad CYPRIANVM habentur, quæ plus videntur significare, cum hac restrictione & limitatione dextre sunt interpretandæ. Id quod propter recentiores quosdam ingeniosos scriptores obseruo, qui, a venerabili PEARSONII episcopi auctoritate pendentes, & ipsi incaute lapsi sunt & alios in eamdem falsam opinionem de STEPHANO episcopo *Romano* induxerunt; quum VINCENTIVS LIRINENSIS [c] doctrinam eius ab omni erroris suspicione prorsus vindicet, eamque vere antiquam catholicæ ecclesiæ opinionem esse contendat. Neque vllum vetustum scriptorem noui, qui graui aliqua censura in eum propterea vsus sit, si ab illis discesseris, qui manifesti opinionum CYPRIANI fautores fuerunt, tametsi violentum & immoderatum eius animum improbarunt.

ITA se habuit initio controuersia de rebaptizandis hæreticis & schismaticis. Proxima ætate disputatio resumta & doctrina STEPHANI cum aliqua variatione generatim recepta est, CY-

phanum spectes, omnes ab hæreticis quibuscumque baptizati, reuersi ab hæresi in ecclesia recipi debent sine legitimo baptismo: si Cyprianum spectes, nullus in aliqua hæresi aut schismate primo baptizatus, ab hæresi aut schismate reuersus, sine baptismo legitimo recipi debet: quæ Blondelli, immo & aliquorum catholicorum sententia fuit. Existimarunt enim, Stephanum damnando morem Cypriani & Africanorum antistitum, nec non Firmiliani & orientalium de rebaptizandis hæreticis, in extremum errorem lapsum esse ac decreuisse, quorumcumque hæreticorum baptisma, etiamsi consueta & sollemni ecclesiæ forma & ritu collatum non esset, ratum esse ac legitimum, proindeque non iterandum. Verum hæc opinio improbabilis. Si enim in eum errorem lapsus fuisset Stephanus, vniuersa ecclesia his temporibus versata esset in errore: omnes quippe episcopi vel Cypriani vel Stephani sententiam tuebantur; & vtraque secundum Blondelli hypothesin erronea erat. cetera.

(c) Vincent. commonitor. adu. hæres. cap. CX. Agrippinus Carthaginensis episcopus primus omnium mortalium contra diuinum canonem, contra vniversalis ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem ac instituta maiorum rebaptizandum esse censebat. -- Quum ergo

PRIANI

PRIANI doctrina interim damnata in *Donatiſtis*, qui illius ſententiam ſequi præ ſe ferebant. Iam diſtinctio primum facta eſt inter hæreticos & ſchiſmaticos, deinde inter diuerſa genera hæreticorum. Alii enim baptizabant in nomine TRINITATIS in ſollemni forma eccleſiæ, alii non; et eorum, qui baptizabant in nomine TRINITATIS, alii heterodoxi erant ratione fidei TRINITATIS; alii orthodoxi in hoc capite, hæretici autem in aliis opinionibus. Et ſecundum has diſſimilitudines diſcrimen habebatur in recipiendis eorum baptiſmis. Schiſmaticorum baptiſmus generatim accipiebatur vt validus ſine vllo diſcrimine. Baptiſmus iſtorum hæreticorum, qui non baptizabant in nomine TRINITATIS & forma eccleſiæ, generatim reiiciebatur. De eorum autem baptiſmate, qui in nomine TRINITATIS baptizabant, neque vero rectam fidem TRINITATIS tenebant, vti *Ariani* & alii quidam, quædam adhuc ſupererat dubitatio. Nam ATHANASIVS, OPTATVS & pauci alii non tantum neceſſe eſſe exiſtimabant, homines baptizari in nomine TRINITATIS, ſed etiam in vera fide TRINITATIS; adeoque *Arianorum* baptiſmum reiiciebant, quia, licet formam baptizandi in nomine TRINITATIS in eccleſia vſitatam obſeruarent, tamen non baptizabant in vera fide TRINITATIS, vtpote FILII & SPIRITVS SANCTI diuinitatem negantes: quo circa eorum baptiſmum non veri nominis baptiſmum, adeoque repetendum eſſe ducebant. Maxima autem pars eccleſiæ aliter ſentiebant, & idcirco etiam baptiſmum *Arianorum* admittebant, quia baptiſmum dabant in

vndique ad nouitatem rei cuncti reclamarent atque omnes quaquauerſum ſacerdotes pro ſuo quisque ſtudio reniterentur, tunc beatæ memoriæ papa Stephanus, apoſtolicæ ſedis antiſtes, cum ceteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ ceteris reſtitit: dignum, vt opinor, exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei deuotione vinceret, quantum loci auctoritate ſuperabat. Denique in epiſtola, quæ tunc ad Africam miſſa eſt, idem his verbis ſanxit, nihil nouandum, niſi quod traditum eſt. Intelligebat etenim vir ſanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi vt omnia, qua fide a patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur: noſque religionem, non qua vellemus ducere, ſed potius qua illa duceret, ſequi oportere: idque eſſe proprium chriſtianæ modeſtiæ & grauitatis, non ſua poſteris tradere, ſed a maioribus accepta ſeruare. Quis ergo tunc vniuerſi negotii exitus? quis vtique niſi vſitatus & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet antiquitas & explorata nouitas.

nomine TRINITATIS, etiamsi fides eorum de illa minus vera esset. Hic verus status huius materiæ fuit sæculo quarto, quum occasione schismatis *Donatistarum* diligentius perpenderetur. Quæ omnia ita sese habere, ex testimoniis in medium proferendis lector perspiciet.

PRIMVM decretum in hac materia factum est in magno concilio *Arelatensi* ad ann. CCCXIV. in quo, memorante AVGVSTINO [*d*], ducenti circiter episcopi ex Occidente congregati fuerunt, licet iam perpaucæ ex eorum subscriptionibus supersint. In hoc concilio disputatio de baptismis hæreticorum secundum nouam IACOBI SIRMONDI editionem ita est terminata: *De Afris, qui propria sua lege vtuntur [e], vt rebaptizent, placuit, si ad ecclesiam aliqui de hac hæresi venerint, interrogent eos nostræ fidei sacerdotes symbolum. Et si peruiderint, in PATRE & FILIO & SPIRITV SANCTO eos baptizatos; manus eis tantum imponatur, vt accipiant Spiritum Sanctum. Quod si interrogati non responderint hanc TRINITATEM, baptizentur.* Quidquid heic requiritur ad faciendum baptisma hæreticorum validum, hoc tantum est, vt quis in nomine TRINITATIS, aut ad summum in fide TRINITATIS baptizatus sit. Neque in magna synodo *Nicæna* amplius quid requiritur, quæ duos canones hanc in rem habet: Quorum alter [*f*] schismaticos *Nouatianos* ad ecclesiam redeuntes admitti iubet ad eumdem gradum inter clericos, quo gauisi sint antea, haud alio ritu quam impositione manuum. Alter autem [*g*] præcipit, vt *Paulianistæ* siue *Samosateniani* hæretici rebaptizentur. Vnde genera-

(*d*) August. adu. Parmen. lib. I. cap. V. Vsque adeo dementes sunt homines, vt *ducentos iudices*, apud quos victi sunt, victis litigatoribus credant esse postponendos.

(*e*) Concil. Arelat. I. can. VIII. Not. Vetustæ editiones hunc canonem aliter exhibent: *De Arianis, qui propria sua lege vtuntur, vt rebaptizentur, placuit* &c. Et sic in GRATIANO de consecrat. distinct. IV. cap. 109. adducitur.

(*f*) Concil. Nic. can. VIII. Περὶ τῶν ὀνομαζόντων μὲν ἑαυτοὺς καθαρούς ποτε, προσερχομένων δὲ τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς, μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. *De iis, qui se Catharos, id est puros, quandoque nominant, ad catholicam autem & apostolicam ecclesiam accedunt, sanctæ magnæ synodo visum est, vt impositis eis manibus sic in clero maneant.*

(*g*) Ibid. can. XIX. Περὶ τῶν παυλιανισάντων, εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκ-

lis

lis regula facta eſt, ſchiſmaticos generatim admittendos eſſe ſine iteratione baptiſmi: hæreticos autem cum quadam exceptione. Illi enim, qui *Pauli Samoſateni* dogmata ſequebantur, rebaptizandi erant. Quæri autem poteſt, Qua de cauſſa *Pauliani ſtæ* iuſſi ſint rebaptizari potius quam alii hæretici? Vtrum ideo, quia non baptizarint in nomine TRINITATIS, an quia doctrinam de TRINITATE reiecerint, ſeruata licet eccleſiæ forma? ATHANASIVS in ea videtur fuiſſe opinione, quod ob hanc poſteriorem rationem factum ſit. Reiiciebat enim baptiſma *Arianorum*, quantumuis baptizarent in nomine PATRIS FILII & SPIRITVS SANCTI; quia, etſi formam baptiſmi adhibebant in eccleſia vſitatam, tamen non ſentiebant, vti quidem eccleſia, de diuinitate FILII & SPIRITVS SANCTI. Hunc ergo ſenſum eſſe puto memorabilis illius loci in tertia eius oratione adverſus *Arianos* [b] vbi ait: *Non in PATRIS & FILII nomine dant baptiſmum Ariani, ſed in nomine creatoris & rei creatæ, effectoris & rei factæ.* Quibus verbis non id vult indicare, quod *Ariani* baptiſmatis formam mutarint, quod nunquam fecerunt ad ætatem vſque *Eunomii;* ſed quod, licet baptizent in NOMINE PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI, per iſta nomina non id intelligant, quod intelligat eccleſia, ſed FILIVM & SPIRITVM SANCTVM meras res creatas eſſe credant. Adeoque baptiſmum nullius effectus eſſe exiſtimat, quia, licet forma baptiſmatis eccleſiæ vtantur, non tamen baptizent in fide ſanctæ TRINITATIS. Idem de *Manichæis* & *Samoſatenianis* concludit, quos catholica verborum forma vti, ſed verum eorum ſenſum repudiare putat. Vnde liquet, fuiſſe ATHANASIVM ex illis, qui nec generatim receperunt nec generatim reiecerunt hæreticorum baptiſmos; ſed ipſum illos tantum, qui in catholica verborum forma & vera fide in TRINITATEM dati fuerint, admiſiſſe, ceteris omnibus tamquam inualidis reiectis, in quibus vel forma vel fides manca fuerit.

κλησίᾳ, ὅρος ἐκτέθειται ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος. De Paulianiſtis, qui deinde ad eccleſiam confugerunt, ſtatutum eſt, vt ii omnino rebaptizentur.

(*b*) Athanaſ. orat. III. adu. Arian. tom. I. p. 413. (p. 510. edit. Par. MDCXCVIII.) *οὐ γὰρ εἰς πατέρα καὶ υἱὸν διδόασιν οἱ Ἀρειανοί, ἀλλ' εἰς κτίστην καὶ κτίσμα, καὶ εἰς ποιητὴν καὶ ποίημα.*

OPTA-

Optatvs eamdem hac de re opinionem habuit, quod baptiſmus ſchiſmaticorum admitti debeat tamquam validus ſine vllo diſcrimine, quia & in nomine & in fide TRINITATIS [i] ſit adminiſtratus; et idcirco *Donatiſtis* narrat, non habere catholicos de eorum baptiſmo vllum ſcrupulum, nec velle eos denuo lauari: quamdiu enim fides eadem ſit, tamdiu etiam eumdem eſſe baptiſmum [k], & *Donatiſtas* potius reprehenſioni obnoxios eſſe, quod iterum baptizent eos, qui iam in fide TRINITATIS ſint baptizati. Quod autem ad hæreticorum baptiſma attinet, diſtinctionem aliquam facit. Nonnulli enim nec in nomine, nec in fide TRINITATIS tingebant; et horum quidem baptiſma ſacrilegum vocat & profanum [l] nec vnum & idem eſſe atque illud eccleſiæ concedit. Rationes, cur ita diſtinguat, ſequentibus verbis adfert, quando ait [m]. *In hoc ſacramento baptiſmatis celebrando tres eſſe ſpecies conſtat, quas & vos nec augere nec minuere, nec prætermittere poteritis. Prima ſpecies eſt in Trinitate, ſecunda in Credente, tertia in Operante. Sed non pari libramine ponderandæ ſunt ſingulæ. Duas enim video neceſſarias, & vnam quaſi neceſſariam. Principalem locum TRINITAS poſſidet, ſine qua res ipſa non poteſt geri: Hanc ſequitur fides credentis. Iam perſona operantis vicina eſt, quæ ſimili auctoritate eſſe non poteſt. Duæ priores permanent ſemper immutabiles & iunctæ: Trinitas enim ſemper ipſa eſt: fides in ſingulis vna eſt, vim ſuam retinent ambæ. Perſona vero operantis intelligitur duabus prioribus ſpeciebus par eſſe non poſſe, ideo quod ſola videatur eſſe mutabilis..* cetera. Vnde concludit, baptiſma in nomine & fide TRINITATIS adminiſtratum non eſſe repetendum, qualiscunque fuerit perſona eius, qui adminiſtrauit.

(i) Optat. contr. Parmen. lib. V. p. 85. Quia quidquid in Trinitate factum fuerit, bene eſt: Inde eſt, quod ſimpliciter a vobis venientes accipimus, quum dicit, *Non habet neceſſitatem iterum lauandi.*

(k) Optat. ibid. p. 86. Si datis alterum baptiſma, date alteram fidem: Si datis alteram fidem, date alterum Chriſtum: Si datis alterum Chriſtum, date alterum Deum.

(l) Ibid. Per quod vnum eſt ab hæreticorum profanis & ſacrilegis baptiſmatibus ſeparatur.

(m) Ibid.

BA-

BASILIVS autem sententiam suam de his baptismis eodem modo aperit. De *Nouatianis* enim & aliis eiusmodi schismaticis, in fide non errantibus, iudicat, vniuscuiusque regionis morem sequendum esse, vtrum denuo baptizandi sint an non, inde ad ecclesiam reuersi. De *Pepuzenis* [n] autem siue *Montanistis* prorsus aliter sentit & miratur, quomodo hoc magnum *Dionysium* præterierit. Antiquos enim illo modo baptismum suscipiendum putasse, qui nihil a fide recedat. Vnde illos alia hæreses, alia schismata, alia παρασυναγωγὰς, seu illegitimos conuentus, nominasse dicit. Hæreses quidem eos, qui omnino abrupti & in ipsa fide abalienati sint: schismata autem eos, qui propter aliquas ecclesiasticas caussas & medicabiles quæstiones inter se dissideant: illegitimos autem conuentus congregationes, quæ fiant a rebellibus presbyteris vel episcopis, qui quum se peccauisse conuicti sint, a sacra obeundi ministerio prohibiti, legibus & canonibus ecclesiæ sese submittere nolint, sed nihilo secius sibi prælatum & sacrum ministerium attribuant, populumque ad se alliciant, ecclesia catholica relicta. Visum esse ergo veteribus, narrat, baptismum hæreticorum, vt *Manichæorum*, *Valentinianorum*, *Marcionistarum* & *Pepuzenorum* omnino reiicere, quia de ipsa in DEVM fide dissentiant: baptismum autem schismaticorum, vt qui adhuc sint ecclesiæ, admittere, eos autem, qui sint in parasynagogis & illegitimis conuentibus tincti, conuenienti pœnitentia & conuersione correctos rursus ecclesiæ coniungere; eos etiam, qui in gradu collocati cum rebellibus abierint, postquam eos pœnituerit, in eumdem ordinem admitti. Hinc concludit, *Pepuzenos* reiiciendos esse tanquam apertos hæreticos, quia in SPIRITVM SANCTVM sint contumeliosi, *Montano* & *Priscillæ* paracleti appellationem nefarie & impudenter attribuentes, nec in SPIRITVM SANCTVM, sed in PATREM & FILIVM & *Montanum Priscillamque* baptizent. Quare etiamsi hoc magnum DIONYSIVM latuerit, nobis non tamen esse seruandam erroris imitationem. De *Nouatianis* autem CYPRIANO & FIRMILIANO visum esse, illos & *Encratitas* & *Hydroparastatas* & *Apota-*

(n) Basil. epist. can. I. ad Amphiloch. can. I. tom. III. opp. pag. 20. 21. edit. Paris. MDCXXXVIII.

ſtitas vni calculo ſubiicere, quia per ſeparationem ab eccleſia ſe abiunxerint, nec habeant amplius in ſe gratiam SPIRITVS, nec eam aliis poſſint præbere laici effecti, qui nec baptizandi nec ordinandi habeant poteſtatem; quare eos omnes, tamquam a laicis baptizatos, iuſſiſſe ad eccleſiam venientes vero eccleſiæ baptiſmate expurgari. Verumtamen quum nonnullis eccleſiis *Aſiaticis* placuerit, iſtorum baptiſma beneficio diſpenſationis ſuſcipere; ſuſcipi poſſe monet, modo vt redeuntes chriſmate vngantur & confirmentur. Vnde manifeſto apparet, BASILIVM non æque durum ſe præbuiſſe ac CYPRIANVM baptiſmo ſchiſmaticorum; hæreticorum autem, qui a fide aberrant, baptiſmum generatim ſine vlla exceptione reieciſſe.

SED VERO generalior & vſitatior canonis *Nicæni* interpretatio erat, baptiſmum omnium hæreticorum & ſchiſmaticorum, catholicam baptizandi formam in nomine TRINITATIS non reiicientium, quantumuis in fide & opinionibus ſuis errantium, eſſe admittendum. *Paulianiſtas* enim ideo rebaptizandos eſſe ſtatuebant, quia alia baptiſmi forma vtebantur. Hæc certe ſententia fuit concilii *Laodiceni*, ſecundi generalis concilii *Conſtantinopolitani*, & ſecundi concilii *Arelatenſis* & *Trullani;* AVGVSTINI item, HIERONYMI, GENNADII, VRSINI AFRI, SIRICII, LEONIS, INNOCENTII, perſonati IVSTINI MARTYRIS, & plerorumque veterum ſcriptorum.

CONCILIVM *Laodicenum* duos habet hanc in rem canones, quorum in priore ii, qui apud *Nouatianos*, *Photinianos* & *Teſſaradecatitas* ſint baptizati, ad ſacrorum myſteriorum participationem [*o*] admitti iubentur, poſtquam hæreſin ſuam pleniſſime

(*o*) Concil. Laodic. can. VII. Περὶ τοῦ, τοὺς ἐκ τῶν αἱρέσεων, τουτ' ἔστι Ναυατιανῶν ἤτοι Φωτεινιανῶν ἢ Τεσσαρεσκαιδεκατιτῶν ἐπιστρεφομένους, ἤτε πιστοὺς τοὺς παρ' ἐκείνοις, μὴ προσδέχεσθαι, πρὶν ἀναθεματίσωσι πᾶσαν αἵρεσιν, ἐξαιρέτως δὲ ἐν ᾗ κατείχοντο· καὶ τότε λοιπὸν τοὺς λεγομένους παρ' αὐτοῖς πιστοὺς, ἐκμανθάνοντας τὰ τῆς πίστεως σύμβολα, χρισθέντας τε τῷ ἁγίῳ χρίσματι, οὕτω κοινωνεῖν τῷ μυστηρίῳ τῷ ἁγίῳ. *Eos, qui ex hæreſibus, hoc eſt, Nouatianis ſiue Photinianis vel Teſſaradecatitis conuertuntur, ſiue catechumenos, ſiue qui apud illos fideles dicuntur, non admitti, priusquam omnem hæreſin anathematizauerint & præcipue eam, in qua detinebantur; & tunc deinceps eos, qui apud illos fideles dicebantur, fidei ſymbola diſcentes, & ſancto chriſmate inunctos, ſic ſancto myſterio communicare.*

con-

condemnarint, fidei catholicæ ſymbolum didicerint, & ſancto chriſmate vncti fuerint. Nulla heic noui baptiſmatis, ſed tantum confirmationis mentio habetur, redeuntibus ad eccleſiam impertiendæ. In proxime autem ſequente canone ii, qui ab hæreſi eorum, qui *Cataphrygæ* ſiue *Montaniſtæ* nominentur, ſiue ſint in clero, qui apud illos exiſtimetur, ſiue titulo *maximorum* gaudeant, ab eccleſiæ epiſcopis & presbyteris diligenter catechizandi & baptizandi [*p*] dicuntur. Iam vero quæ ratio foret eiuſmodi faciendi diſcriminis inter baptiſmum *Photinianorum* & *Montaniſtarum* (ſiquidem *Photiniani* æque opinione ſua errabant de TRINITATE atque *Montaniſtæ*) niſi hoc, Quod *Photiniani*, licet diuinitatem CHRISTI haud crederent, formam tamen baptizandi, in eccleſia catholica vſitatam, ſeruabant: *Montaniſtæ* vero, vti nonnulli putant, eam mutarant. Neque enim *in nomine PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI*, ſed *in nomine PATRIS & FILII* & *Maximillæ* vel *Montani* baptizabant, quemadmodum THEOPHYLACTVS [*q*] & eruditus IO. CASPAR SVICERVS [*r*] aliique ex eo obſeruarunt: aut certe erroribus ſuis ipſam baptiſmi eſſentiam [*s*] deſtruebant.

(*p*) Ibid. can. VIII. Τὲς ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν λεγομένων Φρυγῶν ἐπιστρέφοντας, εἰ καὶ ἐν κλήρῳ νομιζόμενοι παρ' αὐτοῖς τυγχάνοιεν, εἰ καὶ μέγιστοι λέγοιντο· Τὲς τοιέτες μετὰ πάσης ἐπιμελείας κατηχεῖσθαί τε, καὶ βαπτίζεσθαι ὑπὸ τῶν τῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπων τε καὶ πρεσβυτέρων. *Eos, qui ab eorum hæreſi, qui Phryges dicuntur, convertuntur, ſiue ſint in clero, qui apud eos eſſe creditur, ſiue maximi dicantur: omnes eos cum omni ſtudio catechizari ſeu initiari & baptizari ab eccleſiæ epiſcopis & presbyteris.*

(*q*) Theophylact. comm. in Luc. XXIV. Πῦ λοιπὸν αἱ βορβορώδεις γλῶσσαι τῶν βαπτιζόντων εἰς Μοντανὸν καὶ Πρίσκιλλαν καὶ Μαξιμίλλαν; ἀληθῶς ἐδεμία ἔτω τοῖς βαπτιζομένοις ἄφεσις, ἀλλὰ καὶ προσθήκη ἁμαρτιῶν ἐπιγίνεται. *Vbi igitur fœtulentæ linguæ baptizantium in Montanum & Priſcillam & Maximillam? vere nulla his, qui ſic baptizantur, remiſſio, ſed peccatorum augmentatio eſt.* Baſil. epiſt. ad Amphiloch. I. can. I. Τί ἂν λόγον ἔχει τὸ τέτων βάπτισμα ἐγκριθῆναι, τῶν βαπτιζόντων εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ Μοντανὸν καὶ Πρίσκιλλαν; *Quam ergo habet rationem, verum eorum baptiſma iudicari, qui in patrem & filium & Montanum Priſcillamque baptizant?*

(*r*) Suicer. theſaur. eccleſ. tom. I. p. 638. Theophylactus in cap. XXIV. Lucæ p. 546. interrogat, πῦ αἱ βορβορώδεις γλῶσσαι κ. τ. λ.

(*s*) Vid. hanc materiam plenius excuſſam a docto auctore recentioris hiſtoriæ *Montaniſmi*, lingua Anglicana conſcriptæ, artic. XIII. p. 168.

 SIMI-

SIMILE discrimen factum eſt a concilio ſecundo generali *Conſtantinopolitano* anno CCCLXXXI. inter baptiſmum *Arianorum* & *Macedonianorum* ab vna, & inter baptiſmum *Eunomianorum*, *Montaniſtarum* & *Sabellianorum* ab altera parte. *Arianis* & *Macedonianis* iunguntur *Sabbatiani* & *Nouatiani* & *Teſſaradecatitæ* & *Appollinariſtæ;* qui omnes ſignati ſiue vncti ſancto chriſmate & frontem, & oculos & nares & os & aures cum hac verborum formula, *Signaculum doni ſpiritus Sancti;* recipi iubentur: *Eunomiani* autem, *Montaniſtæ* & *Sabelliani* [*t*] vt ethnici, hoc eſt ita, vt per omnes ſtationes catechumenorum illic recenſitas eant, primo die chriſtiani, ſecundo catechumeni efficiantur, deinde tertio adiurentur & ter ſimul in faciem eorum & aures inſuffletur, & ſic catechizati & ad diſciplinam eccleſiæ longo tempore formati tandem baptizentur. Heic igitur obſervandum eſt, *Arianos* & *Eunomianos* eiusdem hæreſis ſurculos eſſe, & tamen hos rebaptizandos dici, illos non item. Cuius rei ratio manifeſto hæc fuit, quod altera pars eamdem baptizandi formam, quæ in eccleſia obtinebat, ſeruabant, altera autem pars nouam a ſe excogitatam introduxerant. *Eunomius* enim ſpeciatim notatur multa hac in materia adulteraſſe. In vnam demerſionem, vti in hoc canone habetur, baptizabat; et SOCRATES [*u*] hoc eum feciſſe dicit non in TRINITATEM ſed in mortem CHRISTI. EPIPHANIVS [*w*] etiam obſeruat, illos reiecta forma TRINITATIS baptizaſſe in nomine DEI increati, & in no-

(*t*) Concil. Conſtant. I. can. VII. *Ἀρειανοὺς μὲν καὶ Μακεδονιανοὺς, καὶ Σαββατιανοὺς - - καὶ τοὺς Τεσσαρεσκαιδεκατίτας, εἴτουν Τετραδίτας καὶ Ἀπολλιναριστὰς δεχόμεθα - - σφραγιζομένους, ἤτοι χριομένους πρῶτον τῷ ἁγίῳ μύρῳ τό τε μέτωπον, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰς ῥῖνας, καὶ τὸ στόμα, καὶ τὰ ὦτα. Καὶ σφραγίζοντες αὐτοὺς λέγομεν Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Εὐνομιανοὺς μέν τοι, τοὺς εἰς μίαν κατάδυσιν βαπτιζομένους, καὶ Μοντανιστὰς, τοὺς ἐνταῦθα λεγομένους Φρύγας, καὶ Σαβελλιανοὺς - - ὡς Ἕλληνας δεχόμεθα. Καὶ τὴν πρώτην ἡμέραν ποιοῦμεν αὐτοὺς χριστιανοὺς, τὴν δὲ δευτέραν κατηχουμένους· εἶτα τὴν τρίτην ἐξορκίζομεν αὐτοὺς μετὰ τοῦ ἐμφυσᾷν τρίτον εἰς τὸ πρόσωπον καὶ εἰς τὰ ὦτα αὐτῶν. Καὶ οὕτως κατηχοῦμεν αὐτοὺς, καὶ ποιοῦμεν αὐτοὺς χρονίζειν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἀκροᾶσθαι τῶν γραφῶν, καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν.*

(*u*) Socrat. lib. V. cap. XXIV. *Πλὴν, ὅτι τὸ βάπτισμα παρεχάραξαν· οὐ γὰρ εἰς τὴν τριάδα, ἀλλ' εἰς τὸν τοῦ Χριστοῦ βαπτίζουσι θάνατον.*

(*w*) Epiphan. hæreſ. LXXVI. Anomœor. p. 992. *ἀναβαπτίζει δὲ αὐτοὺς εἰς ὄνομα θεοῦ ἀκτίστου καὶ εἰς ὄνομα υἱοῦ κεκτισμένου, καὶ εἰς ὄνομα πνεύματος ἁγιαστικοῦ, καὶ ὑπὸ τοῦ κεκτισμένου υἱοῦ κτισθέντος.*

mine

mine FILII creati, & in nomine SPIRITVS sanctificantis & a creato FILIO procreati. Et GREGORIVS NYSSENVS, qui aduersus *Eunomium* scripsit [x] de eadem corruptione eum arguit. Vt adeo manifesta fuerit ratio, cur concilia *Eunomianos* rebaptizari iusserint, dum de *Arianis* aliter decreuerunt. *Ariani* enim proprie sic dicti non fecerunt istiusmodi commutationem, quae *Eunomii* sectatoribus peculiaris fuit.

CONCILIVM secundum *Arelatense* duos canones de haereticis cum simili distinctione condidit. In altero quidem canone *Photiniani* siue *Paulianistae* [y] denuo baptizari iubentur secundum patrum statuta, quo nomine sine dubio decretum intelligitur patrum *Nicaenorum*, hunc in finem factum. *Bonosiaci* autem, licet iisdem erroribus infecti, quum sicut *Ariani* in nomine TRINITATIS baptizarent, in altero canone [z] cum chrismate & manuum impositione sine nouo baptismo iubentur recipi.

CONCILIVM *Trullanum* conciliorum *Nicaeni* & *Constantinopolitani* vestigiis insistit de rebaptizandis *Paulianistis* [a], *Eunomianis*, *Montanistis* & *Sabellianis*, quibus iungit *Manichaeos*, *Valentinianos*, *Marcionistas* & similes haereticos. *Arianos* autem, *Macedonianos*, *Tetraditas*, *Nouatianos* & *Apollinaristas*, &, vti addit, *Nestorianos* solo chrismate sine nouo baptismate recipi posse statuit.

AVGVSTINVS mentem suam de canone *Nicaeno* respectu *Paulianistarum* eodem modo declarat. Rationem, cur conci-

(x) Nyssen. adu. Eunom. lib. XI. tom. II. opp. p. 706. Μὴ εἰς πατέρα τε καὶ τὸν υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, καθὼς ἐνετείλατο τοῖς μαθηταῖς, παραδιδοὺς τὸ μυστήριον, ἀλλὰ εἰς δημιουργὸν καὶ κτίστην, καὶ οὐ μόνον πατέρα τοῦ μονογενοῦς, ἀλλὰ τὸν Θεόν. *Non in patrem & filium & spiritum sanctum baptisma fieri oportere, sicut praecepit discipulis tradens mysterium, sed in opificem & creatorem, & non solum patrem vnigeniti, sed etiam Deum.*

(y) Concil. Arelat. II. can. XVI. Photinianos siue Paulianistas, secundum patrum statuta, baptizari oportet.

(z) Ibid. can. XVII. Bonosiacos, autem ex eodem errore venientes, (quos, sicut Arianos, baptizari in trinitate manifestum est) dum interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, chrismate & manus impositione in ecclesia recipi sufficit.

(a) Concil. Trull. can. XCV. al. XCVI. Ἀρειανοὺς μὲν, cet. vid. can. VII. Concil. Constant. sub litt. anteced. (t) pag. 52.

lium eos baptizari iusserit in ecclesia, eam esse existimat [b], quod non tenuerint formam seu regulam baptismatis, quam multi hæretici, facta ab ecclesia secessione, secum abstulerint, eamque custodiant. Vt adeo, quemadmodum alio loco [c] dicit, facilius sit inuenire hæreticos, qui omnino non baptizent, quam qui verbis illis euangelicis non baptizent, quibus symbolum constat, & sine quibus non sit baptismus CHRISTI. Quum igitur plerumque hac forma baptizandi vterentur, baptismus eorum vt integrum sacramentum admittebatur, licet erronea esset eorum fides. Hinc adfirmare non dubitat [d] "ipsum *Marcionis* baptismum integrum fuisse sacramentum, si euangelicis eum verbis *In nomine PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI* consecrasset, quamuis eius fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quam catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata". Fundamentum etiam & rationes huius praxis adfert, quamobrem ecclesia catholica eorum baptismum non iteret [e], quia baptismus, apud hæreticos datus, non sit proprie loquendo eorum baptismus, sed baptismus CHRISTI; quem qui semel acceperint in ecclesia, amittere non possint, de ecclesia exeuntes, adeoque in ecclesiam non per nouum baptismum, sed per pœnitentiam, rursus esse admittendos. Ecclesiam, dicit, errores intellectus eorum corrigere [f],

(b) Augustin. de hæres. cap. XLIV. Istos sane Paulianos baptizandos esse in ecclesia catholica Nicæno concilio constitutum est. Vnde credendum est, eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi hæretici, quum de catholica discederent, abstulerunt eamque custodiunt.

(c) Augustin. de bapt. lib. VI. cap. XXV. Quis nescit, non esse baptismum Christi, si verba euangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint? sed facilius inueniuntur hæretici, qui omnino non baptizant, quam qui illis verbis non baptizant.

(d) Augustin. de bapt. lib. III. cap. XV.

(e) Augustin. de bapt. lib. III. cap. XI. Catholica vero propterea non debet iterare baptismum, qui apud hæreticos datus est, ne iudicare videatur ipsorum esse, quod Christi est; aut eos non habere, quod intus quum acceperint, amittere vtique foras exeundo non possunt, cetera.

(f) Augustin. de vnico baptismo cont. Petilian. cap. III. Si de ipsa trinitatis vnitate dissentientem hæreticum inuenio, & tamen euangelica & ecclesiastica regula baptizatum; intellectum hominis corrigo, non Dei violo sacramentum.

non

non DEI violare ſacramentum. Prouocat etiam *Donatiſtas* [*g*], vt ſibi aliquem oſtendant a Catholicis rebaptizatum, qui ſemel in nomine TRINITATIS baptizatus ſit, quod *Donatiſtæ* quidem faciant. Quæ verba hanc peculiarem praxin *Donatiſtarum*, non *Catholicorum*, fuiſſe indicant.

HIERONYMVS eodem modo argumentatur contra HILARIVM diaconum, quem *Deucalionem orbis* vocat, quod eos omnes, qui ab *Arianis* hæreticis baptizati eſſent, rebaptizandos eſſe contenderet. HILARIVS paullo longius progreſſus eſſe videtur quam LVCIFER magiſter eius & ceteri *Luciferiani*. Illi enim baptiſma *Arianorum* [*h*] admittebant, licet ordines eorum non admitterent, nec eos vllo ſenſu chriſtianos, ſed de Satanæ ſynagoga eſſe dicerent. Nihilo minus eos, qui ab *Arianis* baptizati erant, recipiebant, non dando illis nouum baptiſmum, ſed tantum admittendo eos ad ſtatum pœnitentiæ. Ita eorum admittebant baptiſmum, quos non ſacerdotes, immo ne quidem laicos chriſtianos, eſſe ſinebant. HILARIVS autem, ducibus ſuis heic deſertis, rem adhuc longius proſequebatur. Dicebat enim, ſacerdotes *Arianos* non ſolum de gradu ſuo deiiciendos ſed laicos etiam eorum rebaptizandos eſſe. Aduerſus quem HIERONYMVS [*i*] non ſolum vrget contrariam conceſſionem ac praxin LVCIFERI magiſtri eius, ſed teſtimonium etiam ſcripturæ, [*k*] ex *Apocalypſi* demonſtrans, ab hæreticis baptizatos, ſi ad eccleſiam venerint, cum pœnitentia accipiendos eſſe ſine nouo baptiſmo. *Nicolaitas* enim fuiſſe hæreticos, neque tamen manda-

(*g*) Auguſtin. adu. Fulgent. cap. VII. Da mihi, aliquem ſanctorum poſt trinitatem rebaptizare, quod facis.

(*h*) Hieron. dial. adu. Lucif. cap. I. Orthodox. Si Ariani, vt dicis, gentiles ſunt, & Arianorum conuenticula caſtra ſunt diaboli: quomodo in caſtris diaboli baptizatum recipis? Lucif. Recipio; ſed pœnitentem. - - Aio laicum ab Arianis venientem recipi debere pœnitentem, clericum vero non debere. It. cap. V. Orthod. Eadem ratione a nobis epiſcopum recipi, qua laicus a vobis recipitur.

(*i*) Ibid. cap. VIII. Differas, quid aduerſum Hilarium dicendum ſit, qui nec baptizatos quidem recipiet ab Arianis.

(*k*) Ibid. cap. VIII. De Apocalypſi quoque approbemus, hæreticis ſine baptiſmate debere pœnitentiam concedi. - - Numquid dixit, Rebaptizentur, qui in Nicolaitarum fidem baptizati ſunt?

tum

rum exstare de iis, qui apud illos baptizati fuerint, denuo baptizandis. Deinde idem illud probat ex constanti ecclesiae *Romanae* consuetudine, in qua ipse *Hilarius* baptizatus sit, qui christianus esse non possit, si ipsius doctrina vera sit. In ea quippe ecclesia eum baptizatum esse, quae semper ab haereticis baptismum recipiat. Immo eum ipsum [*l*], quum fuerit istius ecclesiae diaconus, a *Manichaeis* baptizatos recepisse, & *Hebionis* baptismum comprobasse; repente autem, postquam exortus sit ARIVS, totum sibi displicere coepisse, & nouum balneum seu baptisterium aperuisse, ecclesiae oppositum. Ipsum, in sinu natum ecclesiae eiusque vberum lacte nutritum, aduersum eam gladium leuare, vocando eam meretricem, & tamen hanc meretricem matrem eius esse oportere, quia aliter christianus esse nequeat. Tandem contra HILARIVM eiusque magistrum LVCIFERVM ex auctoritate synodi *Nicaenae* pugnat, quae omnes haereticos susceperit, exceptis PAVLI SAMOSATENI discipulis, & non solum *Nouatianorum* baptisma admiserit, sed eorum etiam clericos stationem suam in ecclesia seruare iusserit.

SIMILEM in modum GENNADIVS [*m*] nobis narrat, eos, qui apud haereticos baptizati sint in nomine siue confessione TRINITATIS, vt vere baptizatos recipi, venientes ad ecclesiam. Et si consentiant veram fidem profiteri, confirmari ma-

(*l*) Ibid. cap. IX. Si haeretici baptisma non habent, & ideo rebaptizandi ab ecclesia sunt, quia in ecclesia non fuerunt, ipse quoque Hilarius non est christianus: in ea quippe ecclesia baptizatus est, quae semper ab haereticis baptismum recepit. Antequam Ariminensis synodus fieret; antequam Lucifer exularet, Hilarius Romanae ecclesiae diaconus ab haereticis venientes, in eo, quod prius acceperant, baptismate suscipiebat. - - Diaconus eras, o Hilari, & a Manichaeis baptizatos recipiebas, diaconus eras, & Hebionis baptisma comprobabas: repente, postquam exortus est Arius, totus tibi displicere coepisti. Segregas te cum tuis vernulis & nouum balneum aperis. - - Synodus quoque Nicaena omnes haereticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis, & quod his maius est, episcopo Nouatianorum, si conuersus fuerit, presbyteri gradum seruat.

(*m*) Gennad. de eccles. dogmat. cap. LII. Si qui apud illos haereticos baptizati sunt, qui in sanctae trinitatis confessione baptizant, & veniunt ad nos, recipiantur quidem vt baptizati. - - Et si consentiunt credere, vel acquiescunt confiteri, purgati iam fidei integritate confirmentur manus impositione, cetera.

nus

nus impositione, & tum ad sacræ eucharistiæ admitti participationem.

IDEM auctor libri cuiusdam VRSINI AFRI [n] mentionem facit, aduersum eos scripti, qui omnes hæreticos rebaptizandos decernant, in quo doceat, „ nec legitimum, nec Deo dignum „ rebaptizari illos, qui in nomine vel simpliciter CHRISTI, vel „ in nomine PATRIS, FILII & SPIRITVS SANCTI, quam„ vis prauo sensu, baptizentur: Iis autem post sanctæ TRINI„ TATIS & CHRISTI simplicem confessionem sufficere ad sa„ lutem manus impositionem catholici sacerdotis."

CIRCA hanc tempestatem vixit auctor *quæstionum & responsionum*, qui sub nomine IVSTINI MARTYRIS scripsit. Inter alias quæstiones & hanc proponit: *Si falsus est & frustraneus* [o], *qui ab hæreticis confertur, baptismus: quare orthodoxi ad orthodoxiam rectamque sententiam confugientem hæreticum non baptizant, sed in adulterino illum perinde atque vero iustoque permanere sinunt baptismo?* Ad quam respondet: *Hæretici, ad orthodoxiam transeuntis, lapsus corrigitur, prauæ quidem opinionis, mutatione sententiæ: baptismi autem, vnguenti sancti vnctione.* Videmus heic, non dissimulare hunc scriptorem, baptismum hæreticorum esse falsum, adulterinum, spurium & frustraneum, respectu spiritualium effectuum, quoad in hæresi permaneant; attamen si ad catholicam ecclesiam transeant, baptismum eorum non statuit esse repetendum vt simpliciter nullum & inualidum, sed corrigendum & perficiendum ministerii catholici confirmatione, quam *Græci* χρίσμα *vnctionem* & ἅγιον μύρον *sanctum vnguentum* vocitant. Atque ita intelligendum est vocabulum μάταιος, *vanus*, sicut ab IGNATIO, auctore *constitutionum*, & aliis *Græcis* scriptoribus adhibetur, vbi de baptismo hæretico-

(n) Gennad. de scriptor. eccles. cap. XXVII. Vrsinus monachus scripsit adversus eos, qui rebaptizandos hæreticos decernunt, docens, nec legitimum, cetera.

(o) Iustin. quæst. XIV. ad orthod. Εἰ ἐψευσμένον τυγχάνει καὶ μάταιον τὸ ὑπὸ τῶν αἱρετικῶν διδόμενον βάπτισμα, διὰ τί οἱ ὀρθόδοξοι τὸν προσφεύγοντα τῇ ὀρθοδοξίᾳ αἱρετικὸν οὐ βαπτίζουσιν, ἀλλ', ὡς ἐν ἀληθεῖ, τῷ νόθῳ ἐῶσι βαπτίσματι; Ἀπόκρισις. Τοῦ αἱρετικοῦ ἐπὶ τὴν ὀρθοδοξίαν ἐρχομένου τὸ σφάλμα διορθοῦται, τῆς μὲν κακοδοξίας, τῇ μεταθέσει τοῦ φρονήματος· τοῦ δὲ βαπτίσματος, τῇ ἐπιχύσει τοῦ ἁγίου μύρου.

rum & ſchiſmaticorum loquuntur, non quaſi eo declarare velint, baptiſmum illum ſimpliciter nullum & irritum eſſe, ſed tantum vitioſe datum extra eccleſiam, nec quidquam ad ſalutem aut vllos alios ſpirituales effectus conferre, antequam homines ab hæreſibus aut ſchiſmatibus ſuis ad eccleſiæ vnitatem redeant.

LEO, pontifex *Romanus*, ſpiritualem baptiſmi hæretici efficaciam tam negat, quam qui maxime, & tamen contra iterationem eius fortiter reſiſtit & repugnat. Id quod ex epiſtola eius ad *Nicetium*, epiſcopum *Aquileienſem*, apparet, in qua ſcribit in hanc ſententiam [p]: *Hi, qui baptiſmum ab hæreticis acceperunt, quum baptizati antea non fuiſſent, ſola inuocatione SPIRITVS SANCTI per impoſitionem manuum confirmandi ſunt, qui formam tantum baptiſmi ſine ſanctificationis virtute ſumſere.* Simile reſponſum ad quæſtionem dat *Ruſtici Narbonenſis* [q]: *Qui ſe baptizatos ſciunt, ſed cuius fidei fuerint, qui ſe baptizauere, ſe neſcire profitentur, quolibet modo formam baptiſmatis acceperint, rebaptizandi non ſunt: Sed per manus impoſitionem, inuocata virtute SPIRITVS SANCTI, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi ſunt.* Et hoc didicit ex INNOCENTII & SIRICII anteceſſorum ſuorum praxi, de qua eorum alter ſic ſcribit [r]: *Arianos cum Nouatianis aliisque hæreticis, ſicut eſt in ſynodo conſtitutum, per inuocationem ſolam ſeptiformis SPIRITVS, epiſcopalis manus impoſitione, catholicorum conuentui ſociamus.* Per *ſynodum*, in qua hoc conſtitutum ſit, concilium *Nicænum* intelligit vel *Arelatenſe*, in quorum vtroque decretum hanc in rem factum eſt. Addit SIRICIVS: *Quod etiam totus oriens occidensque cuſtodit.* Alter eius anteceſſor INNOCENTIVS idem adfirmat [s], *Eorum*, inquiens (*Arianorum* videlicet, ceterarumque huiusmodi peſtium) *laicos con-*

(p) Leo epiſt. LXXVII. al. LXXIX. ad Nicet. cap. VII.

(q) Leo epiſt. XCII. ad Ruſtic. cap. XVI. It. epiſt. XXXVII. ad Leon. Rauen. cap. II. Quod ſi ab hæreticis baptizatum quempiam fuiſſe conſtiterit, erga hunc nullatenus ſacramentum regenerationis iteretur: ſed hoc tantum, quod ibi defuit, conferatur, vt per epiſcopalem manus impoſitionem virtutem ſancti Spiritus conſequatur.

(r) Siric. epiſt. I. ad Himerium Tarracon. cap. I.

(s) Innocent. epiſt. XVIII. ad Alexand. Antioch. cap. III.

verſos

versos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ ac SANCTI SPIRITVS sanctificatione per manus impositionem suscipimus --- quoniam iis solum baptisma ratum esse permittimus, quod vtique in nomine PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI perficitur. Ita quoque de *Nouatianis* & *Donatistis* decernit [*t*]: *Vt venientes a Nouatianis & Montensibus per manus tantum impositionem suscipiantur: quia quamuis ab hæreticis, tamen in CHRISTI nomine, sunt baptizati.*

ALIO loco [*u*] rationem exponit, cur synodus *Nicæna* baptismum *Nouatianorum*, non autem *Paulianistarum*, receperit. *Idcirco*, inquit, *distinctum esse ipsis duabus hæresibus ratio manifesta declarat: quia Paulianistæ in nomine PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI minime baptizabant: Et Nouatiani iisdem tremendis venerandisque nominibus baptizant.* Legem itaque ecclesiæ *Romanæ* esse narrat [*w*] "venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sint, per manus impositionem laicam tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem subrogare". Quod posterius quum esset res disciplinæ, ecclesia libertate sua vtebatur censuras suas vel extendendi vel relaxandi, quomodo pro sapientia sua vtile esse & expedire iudicabat. Facile foret plura alia eiusdem generis testimonia addere; puto autem, hæc ipsa abunde sufficere ad demonstrandam & explanandam generalem ecclesiæ sententiam hac de re, quod baptismum omnium hæreticorum, quotquot in nomine TRINITATIS baptizarunt, vt validum acceperit; licet pauci quidem patres eos in vera fide æque ac vera forma tingi voluerint, ad baptismum eorum perficiendum.

§. XXI.

Quid in baptismo hæreticorum & schismaticorum defuerit, & quomodo hoc consueuerit compensari.

IAM VERO licet baptismus hæreticorum & schismaticorum, nec non eorum clericorum, qui de gradu suo deiecti vel sacro-

(*t*) Innocent. epist. I. ad Victricium. cap. VIII.

(*u*) Id. epist. XXII. ad episc. Macedon. cap. V.

(*w*) Ibid. cap. IV. Nostræ lex ecclesiæ est, venientibus, cetera.

rum vſu excluſi eſſent, validus haberetur, ita vt iterari non eſſet neceſſe; tamen non ita perfectus, quod ad omnes reſpectus & rationes, exiſtimabatur, vt quidem baptiſmus ad regulam & ex auctoritate eccleſiæ datus, quia tam ex parte eius, qui illum receperat, quam ex parte illius, qui dederat, quædam in eo deeſſe credebantur. Inquirendum igitur nunc eſt, primo, Quid veteres iſtum baptiſmum dare poſſe ſenſerint? Deinde, Quid in eo defuerit, & quid dare non potuerit? Et, Quomodo iſti defectus ſuppleri ſoliti ſint. Quantum ad explicationem harum quæſtionum attinet, AVGVSTINVS, qui hanc materiam omnium ſtudioſiſſime tractauit, ſæpe inculcat notam diſtinctionem inter externum ſeu viſibile ſacramentum, & inuiſibilem ſeu ſpiritualem gratiam; illud eſſe [x] & in bonis & in malis poſſe, hanc autem propriam bonorum eſſe, dicit. In eodem autem ſtatu baptizatos ab hæreticis & ſchiſmaticis eſſe putat, in quo ſint mali in eccleſia: recipere quidem viſibile ſacramentum, ſed non inviſibilem, internam & ſanctificantem gratiam SPIRITVS SANCTI. Vt adeo dici non poſſint omnino nihil accipere; accipiunt enim fere tantumdem, quantum mali in eccleſia, de quibus vere prædicari poteſt, quod acceperint ſacramentum baptiſmi, nullo vmquam tempore rebaptizandi. Et porro, quod hac re participes facti ſint omnium priuilegiorum, quæ externum & viſibile ſacramentum baptiſmi illis dare poteſt, qui ſeſe (per oppoſitum quoddam ſuæ ipſorum impeditionis obſtaculum) inuiſibili & ſpirituali gratia eius priuant. Baptiſmus eos aliquanto potiores facit quam gentiles, quibus baptiſmus opus eſt, priusquam eccleſiam intrare poſſint. Dat ipſis, vt ſint membra eccleſiæ viſibilis, in amplitudine ſua ſpectatæ, quamuis non ſint vera membra inuiſibilis & ſpiritualis eccleſiæ, quia per SPIRITVM CHRISTI nondum ſunt ſanctificati. Reddit eos, redeuntes ad ſanitatem, idoneos, qui veniam conſequantur, ſi a vitioſis moribus ſuis deſciſcant, remoueantque repagula & obſtacula, quæ impediuere, quo minus in prima eorum admiſſione deſcenderit SPIRITVS SANCTVS; immo vero licet fiant hæ-

(x) Aug. contr. litter. Petilian. lib. II. cap. CIV. Diſcerne viſibile ſanctum ſacramentum, quod eſſe & in bonis & in malis poteſt, illis ad præmium, iſtis ad iudicium, ab inuiſibili vnctione caritatis, quæ propria bonorum eſt.

retici,

retici, vel schismatici, vel tales, quos lapsos vel excommunicatos vocant, vel ipsam adeo fidem christianam deserant, non opus eis est nouo baptismate, sed tantum resipiscentia & absolutione, vt ad ecclesiam reuertantur; siquidem signum & character baptismi hoc respectu in illis manet indelebilis, ita vt postea semper admitti possint ad veniam & remissionem peccatorum, si vere resipiscant. Sunt hæc priuilegia, quæ malus quisque ex accepta externa baptismi forma, seu visibili ecclesiæ sacramento, habet, tametsi ex sua ipsius culpa peccatorum venia & omni inuisibili gratia omnibusque operationibus Spiritus Sancti destituatur. Perinde vt baptismus *Simonis Magi* verus baptismus fuit, licet indigne atque adeo sine salutari fructu eum recepisset: et vt sacramentum eucharistiæ verum est sacramentum, licet multi eo non vtantur in animæ suæ salutem, sed ipsi sibi damnationem edant & bibant, quia indigne accipiunt.

QVEMADMODVM igitur comparata est hominum malorum ratio, qui dicto modo baptismum accipiunt in ecclesia, vt hoc ipso quædam lucrentur priuilegia, non autem vniuersa, nec præcipua ex iis, quæ ad eum pertinent: Ita veteres eorum putant esse comparatam conditionem, qui, auctoritate ecclesiæ inhumane neglecta vel contemta, ab hæreticis vel schismaticis, vel constitutis sub censura ecclesiastica aut de gradu prorsus deiectis clericis baptizati fuerint. Baptismum eorum, iusta quidem forma datum, quædam illis priuilegia concedere statuunt, non autem omnia, quæ ab eo exspectari possint in ecclesia: Esse visibile sacramentum baptismi, adeoque eos aliquanto potiores quam ethnicos reddere & idoneos ad accipienda quædam, licet non omnia, priuilegia ante memorata; ita, vt si resipiscant & ad ecclesiam redeant, non oporteat eos suscipi vt mere ethnicos baptismatis iteratione: Deesse autem internam & inuisibilem gratiam, speciatim gratiam vnitatis & caritatis, quæ reliqua gratiæ genera omnia perficiat, ad quæ danda hæretici & schismatici non sint apti, & quæ ab iis, qui baptismum ab his desiderent, accipi nequeant, vsque dum vera pœnitentia & caritate ducti ad ecclesiæ vnitatem reuertantur: Tum vero ecclesiam per manus impositionem & inuocationem SPIRITVS SANCTI impetrare illis posse eas gratiæ dotes eaque spiritualia beneficia; quæ in baptismo

ptiſmo accipi potuiſſent, ſi ipſi non fuiſſent impedimento, nec poſuiſſent illis obicem. Hunc ego verum ſtatum totius huius rei eſſe puto, quemadmodum ab iſtis veteribus ſcriptoribus generatim traditur, qui ratum baptiſmatis hæretici valorem defendunt. Nam quod ad eos attinet, qui aduerſam tuentur ſententiam & baptiſmi vrgent iterationem, ex plane contraria & falſa argumentantur notione, Quod viſibile ſacramentum & inuiſibilis gratia neceſſario vna adeſſe debeat ad verum aliquod ſacramentum efficiendum, & quod nec Spiritus ſine aqua, nec aqua ſine Spiritu, operari poſſit. Quod præcipuum argumentum erat, quo in concilio *Carthaginenſi* de baptizandis hæreticis vtebatur *Nemeſianus* a *Thubunis*. Ad quod autem AVGVSTINVS ex ipſius CYPRIANI principiis ſcite reſpondet diſtinguendo inter duplicem ſpiritus notionem [y]: *Aliud eſt*, inquit, *Omnis, qui introibit in regnum cælorum, prius naſcitur ex aqua & ſpiritu, quia niſi renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit in regnum cælorum: quod Dominus dixit & verum eſt. Aliud autem, Omnis, qui naſcitur ex aqua & ſpiritu, intrabit in regnum cælorum: quod vtique falſum. Nam & Simon ille Magus natus erat ex aqua & ſpiritu, & tamen non intrauit in regnum cælorum. Sic fieri poteſt, vt hæreticis etiam contingat. Aut ſi non naſcitur ex ſpiritu, niſi qui veraci conuerſione mutatur, omnes, qui ſæculo verbis & non factis renuntiant, non vtique de ſpiritu, ſed ex aqua ſola naſcuntur, qui tamen & intus, teſte Cypriano, ſunt. Neceſſe eſt enim, vt vnum de duobus concedatur: aut illi, qui fallaciter ſæculo renuntiant, naſcuntur de ſpiritu, quamuis ad perniciem, non ad ſalutem, atque ita poſſunt & hæretici: Aut ſi illud, quod ſcriptum eſt: Sanctus ſpiritus diſciplinæ effugiet fictum, etiam ad hoc valet, vt fallaciter ſæculo renuntiantes non naſcuntur de ſpiritu; poteſt quis baptizari aqua, & non naſci de ſpiritu. Et fruſtra Nemeſianus ait, Neque ſpiritus ſine aqua operari poteſt, nec aqua ſine ſpiritu.* Manifeſtum eſt ex hoc ſermone AVGVSTINI, id maxime deſiderari in baptiſmo hæreticorum, quod SPIRITVM vel plane non miniſtret, vel certe non eo gradu, vt ad ſanctificationem & ſalutem valeat. Et idcirco

(y) Aug. de bapt. lib. VI. cap. XII.

hoc

hoc neceſſario ſuppleri oportere, ſi ad eccleſiam catholicam redeant. Vnum ſolum caſum eſſe putat, in quo baptiſmus ab hæreticis adminiſtratus alicui ad ſalutem prodeſſe poſſit, nimirum, *ſi forte accipiendi neceſſitas* [z] *vrgeat & recipientis animus ab vnitatis vinculo non recedat.* In ceteris vero caſibus omnibus baptiſma eorum inutiliter accipi dicit, vt autem vtile fiat accipientibus, ab hæreſi vel ſchiſmate eis recedendum eſſe & eccleſiæ catholicæ cohærendum. Perinde vt illi, qui ſic ſunt in eccleſia per communionem ſacramentorum, vt extra eam ſint per diuerſitatem morum, vitam ſuam corrigere debeant, vt baptiſma ipſis vtile incipiat eſſe ſacramentum, quod antea inutile fuerit. Vnde AVGVSTINVS dicit, ſibi non eſſe hac de re cum CYPRIANO controuerſiam, ſed ei ſe omnino conſentire [a], hæreticos remiſſionem dare non poſſe; hoc ipſum eſſe, quod in baptiſmo eorum deſit, & tam dantibus quam recipientibus ad perniciem valeat, tamquam tanto munere Dei male vtentibus. Subiicit vero, idem ſæpe numero in baptiſmo eorum, qui in eccleſia baptizentur, deſiderari, quia fratres oderint, & in ipſo odio baptizentur, neque adeo in iſto ſtatu peccata eis dimitti poſſe: id vitium autem non compenſari nouo baptiſmate, ſed reſipiſcentia & vera conuerſione, in qua venia, quam antea accipere non meruerint, præſtetur.

(z) Aug. ibid. lib. VII. cap. LII. Illi qui ſic ſunt in magna domo tanquam vaſa in contumeliam - - - neque omnino vtiliter habent baptiſmum, neque ab eis vtiliter accipitur, niſi forte accipiendi neceſſitas vrgeat & recipientis animus ab vnitatis vinculo non recedat: tamen & habent, quamquam inutiliter habeant, & accipitur ab eis, etiam quum inutile eſt accipientibus: Quod vt fiat vtile, ab hæreſi vel ſchiſmate recedendum eſt & illi domui cohærendum: quod non ſolum hæretici & ſchiſmatici, ſed etiam illi facere debent, qui ſic ſunt in domo per communionem ſacramentorum, vt extra domum ſint per diuerſitatem morum, ſic etiam ipſis vtile incipit eſſe ſacramentum, quod aliter inutile eſt.

(a) Aug. de bapt. lib. V. cap. XXII. Proinde conſentimus Cypriano, hæreticos remiſſionem dare non poſſe; baptiſmum autem dare poſſe, quod quidem illis & dantibus & accipientibus valeat ad perniciem, tamquam tanto munere Dei male vtentibus. - - - Quanto magis fieri non poteſt, vt eis peccata dimittantur, qui fratres oderunt, & in ipſo odio baptizantur: quibus tamen poſtea correctis non rurſus baptiſmus datur, ſed ipſa venia, quam tunc accipere non meruerunt, in vera conuerſione præſtatur.

NE-

NEQVE vero hæc singularis opinio AVGVSTINI fuit de eo, quod desit in baptismo hæreticorum, sed generalis sententia ecclesiæ. Quamobrem manus imponi iusserunt ad ecclesiam redeuntibus, vt SPIRITVS SANCTI gratiam per preces obtinerent, qua antea carebant, vt qui baptismum ab illis accepissent, qui non habeant potestatem dandi SPIRITVM SANCTVM. Ita enim INNOCENTIVS, episcopus *Romanus*, qui AVGVSTINO contemporaneus fuit, de baptismo *Arianorum* iudicat, administrationem eorum hoc vitio laborare [*b*], quod SPIRITVM SANCTVM dare non possit; et idcirco baptizatos ab illis imperfectos, & ad SANCTI SPIRITVS percipiendam gratiam cum manuum impositione recipiendos esse. LEO [*c*] dicit, hos, qui baptismum ab hæreticis acceperint, sumsisse formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute; redeuntes igitur ad ecclesiam catholicam non quidem rebaptizandos esse, id tamen, quod in eorum baptismo defuerit, suppleri debere, vt per manus impositionem Spiritus sancti virtutem accipiant. Hanc autem fuisse veram eamque vnam & solam rationem supplendi ea, quæ in baptismis hæreticis defuerint, ex omnibus locis liquet, quæ in antecedente sectione produximus, & quæ de vsu sancti vnguenti loquuntur, quod impositioni manuum ac precibus iungi solebat, ad gratiam remissionis peccatorum, aliaque SPIRITVS SANCTI dona, quæ antea non acceperant, expetenda. Quibus omnibus duas tantum obseruationes adhuc subiungam, vt necessitatem ostendam, ea, quibus baptismus hæreticus & schismaticus caruit, per confirmationem seu manus impositionem & preces supplendi, si quis ad ecclesiam catholicam veniret, eamque sibi reconciliare studeret. *Vna* est, Quod impositio manuum seu confirmatio tam necessaria credita fuerit in admittendis iis,

(*b*) Innocent. epist. XVIII. ad Alexand. Antioch. cap. III. Nec Spiritum sanctum eos habere ex illo baptismate illisque mysteriis arbitramur: quoniam cum a catholica fide eorum auctores desciscerent, perfectionem spiritus, quam acceperant, amiserunt. - - - Horum laicos imperfectos, vt dixi, ad sancti Spiritus percipiendam gratiam cum pœnitentiæ imagine recipimus.

(*c*) Leo epist. LXXIX. ad Nicet. cap. VII. Et epist. XCII. ad Rustic. cap. XVI. cit. supra sect. XX. sub litt. (p) & (q) intextu. It. epist XXXVII. ad Leon. Rauan. cap. II. vid. l. c. in margine.

qui baptizati apud hæreticos ad ecclesiam reuerterentur, vt licet ordinarie officium ipsius esset episcopi eam perficere, tamen in extrema necessitate, si quis in periculo mortis versaretur, nec ad episcopum adire posset, presbyter tum auctoritatem haberet manus impositionem, in precibus confirmationis & inuocatione SPIRITVS SANCTI adhiberi solitam, ei potius conferendi, quam vt sine ea ex vita decedere necessum haberet. Patet id ex concilio *Arausicano* primo [*d*], in quo decretum habetur in hanc sententiam: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderent, si desit episcopus, a presbyteris cum chrismate & benedictione consignare placet.* Idem decretum in concilio legitur *Epaunensi* [*e*]: *Presbytero, propter salutem animarum, quam in cunctis optamus desperatis & in lecto decumbentibus hæreticis, si conuersionem subitam petant, chrismate subuenire permittimus. Quod etiam omnes conuersuri, si sani sunt, ab episcopo nouerint expetendum.* Obseruare heic licet, hanc confirmationem, siue sollemnem SPIRITVS SANCTI inuocationem, magis necessariam creditam esse iis, qui apud hæreticos & schismaticos baptizati erant, si ad ecclesiam redirent, quam illis, qui in ecclesia baptismum acceperant. Nam multi eorum, qui in ecclesia baptizati erant in villulis & in castellis, moriebantur, obseruante HIERONYMO, [*f*], ante, quam ab episcopo confirmarentur; neque tamen eiusmodi regula facta est pro presbyteris, vt in simili statu eos confirmarent. Cuius rei ratio erat, quod SPIRITVS SANCTI gratiam in baptismo suo acceperant (quam hæretici non habebant) neque adeo eiusmodi absoluta necessitas confirmandi eos erat, vt placide & in pace obdormirent. Hæretici autem secure mori sine ea haud poterant; adeoque ecclesia moribundorum hæreticorum miserta etiam presbyteris auctoritatem

(*d*) Concil. Arausic. can. I.

(*e*) Concil. Epaunens. can. XVI.

(*f*) Hieron. dial. adu. Lucifer. cap. IV. Id factum reperimus ad honorem potius sacerdotii quam ad legis necessitatem. Alioquin si episcopi tantum imprecatione Spiritus Sanctus defluit: lugendi sunt, qui in villulis aut in castellis aut in remotioribus locis per presbyteros & diaconos baptizati, ante dormierunt, quam ab episcopis viserentur. *Paulo ante ait:* Spiritum Sanctum nos adserimus in vero baptismate tribui.

se habere sicut baptisma, vt repeti non possit, sed nihil aliud esse quam orationem super hominem ad obtinendam ei benedictionem, quae repeti possit, quotiescunque eam exigat necessitas. Quare adhibenda credebatur haereticis, ad ecclesiam transeuntibus, ad supplendum id, quod defuerat in eorum baptismo, qui ante non suppeditarat cum externa & visibili forma inuisibilem SPIRITVS SANCTI gratiam.

Sic satis dixi de hoc argumento, vt ostenderem, quae fuerit antiquis temporibus vera methodus reconciliandi eos, qui in haeresi vel schismate essent baptizati, vera item ratio secure moriendi in pace & communione ecclesiae. Et si omnes illi, ad quos hoc attinet, hanc methodum obseruare vellent, nullus locus foret controuersiis de rebaptizatione in ecclesia. Constat enim, baptismum haereticorum & schismaticorum auctoritate destitutum, recipi licere vt validum, & id, quod in eo defuerit, per manus impositionem in confirmatione posse suppleri.

§. XXII.

Num baptismus haereticorum & schismaticorum pluris sit, quam baptismus laicorum, auctoritatem baptizandi non habentium.

Restat adhuc vna quaestio dissoluenda de haereticis, schismaticis & deiectis de gradu clericis; num in eo statu, vbi in omnibus functionibus suis sine auctoritate agebant, crediti fuerint esse de clericis, an de laicis, an vero de medio quodam inter vtrosque ordine? Et num baptismi ab eis administrati pluris fuerint quam baptismi laicorum, auctoritatem baptizandi non habentium? Haec quaestio prorsus eiusdem naturae est atque illa, Num haereticus sit christianus? Quae resolui non potest sine adcurata quadam distinctione. Si enim per christianum intelligatur is, qui non est mere gentilis, sed qui baptismum accepit ita firmum ac validum, vt, si euadat haereticus ac schismaticus, vel desertor fidei, vel a sacrorum vsu & commu-

repeti non potest. Quid enim aliud est, nisi oratio super hominem?

Alcim. Auit. epist. XXIV. ad Stephan. Manus impositionem personae, de qua scribitis, adhibete; quam constat, si reuera in supradicti schismatis professione versata est, cum ministerio baptismatis etiam chrismate consignatam.

nione fidelium excludatur, baptiſmus eius nihilominus indelebilis & inuiolabilis manſurus ſit, ita vt nunquam futurum ſit neceſſe nouo quodam baptiſmate in eccleſiam denuo admitti: Hoc ſenſu veteres non dubitauerint dicere, hæreticos eſſe chriſtianos. Si vero per chriſtianum intelligas eum, qui eſt de catholica & orthodoxa fide & in gremio atque vnitate ſanctæ catholicæ eccleſiæ; tunc nihilo magis dubitauerint negare, hæreticos chriſtianos eſſe, ſed compárauerint eos cum iudæis & ethnicis, quippe qui ſint veræ religionis inimici & deſtituantur remediis ſalutis æque ac alii; quemadmodum alio loco [*k*] oſtendimus.

IAM ad quæſtionem, vtrum hæretici ſint clerici an laici, ſintne ſacerdotes nec ne, ſintne epiſcopi, an non ſint, eadem ratione reſpondendum eſt. Si per epiſcopum vel ſacerdotem intelligatur is, qui ab eccleſia ordinatus eſt ad officium epiſcopi vel ſacerdotis, ita, vt ſi fiat hæreticus vel ſchiſmaticus, vel fidei chriſtianæ deſertor, vel cenſuræ eccleſiaſticæ ſubiiciatur, vel gradu ſuo moueatur, tamen ordinatio eius indelebilis & inuiolabilis maneat; vt, ſi eccleſiæ viſum fuerit, ipſum poſt omnia crimina ſua & cenſuras vere reſipiſcentem admittere, vt rurſus in iſta ſtatione miniſtret, haud noua ordinatione hanc in rem indigeat: Hoc ſenſu veterum nulli negauerint, hæreticos & ſchiſmaticos eſſe epiſcopos vel ſacerdotes ex ſuo quemque ordine. Sunt quidem, qui eis in tali dignitate miniſtrandi licentiam concedi nolunt, & redeuntibus ad eccleſiam catholicam hoſce honores omnino adimendos eſſe contendunt, indignos eos iudicantes, qui his priuilegiis fruantur, quum adeo perfidioſe egerint cum eccleſia & contra, atque per munerum ſuorum rationes debuerint: Nemo autem omnium dixit, ſi eccleſia iudicaret expedire, vt in ſtatione ſua manerent, noua eis ordinatione opus eſſe. Eatenus igitur de clero eſſe ſiti ſunt, & hac ratione multæ eccleſiæ & ſynodi eos admiſerunt, quemadmodum alio loco [*l*] oſtendi, illisque in officiis ſuis permanendi dederunt facultatem, ſine noua quidem ordinatione. Quod ſi ratio diſciplinæ & eccleſiæ exigeret, vt & gradus ſui honore & poteſtate priuarentur, neque tamen ſic eccleſia acce-

(*k*) Origin. eccleſ. lib. I. cap. III. n. IV.

(*l*) Origin. eccleſ. lib. IV. c. VII. n. VII. VIII.

præ

ptæ ordinationis valorem negatum iuit, eum tam ſaluum & integrum manere rata, vt, ſi poſtea illos ad hæc officia reuocandos duceret, id nihilo magis noua ordinatione, quam nouo baptiſmate, fieri debere cenſeret. Quam rem contra *Donatiſtas* pluribus vrget AVGVSTINVS [*m*] & contra *Luciferianos* HIERONYMVS [*n*]; quæ ambæ ſectæ ordinationes hæreticorum invalidas eſſe contendebant, hoc autem eccleſiæ catholicæ principio confutabantur, Quod baptiſmatis & ordinationis ſacramenta, etſi vitioſe adminiſtrata, ſi valida ſint, non ſint prorſus abroganda nec poſtea repetenda. Hoc ſenſu hæretici, ſchiſmatici & loco moti ſacerdotes, ſacerdotes eſſe eorumque actus validi crediti ſunt, quamuis a regula alieni, vitioſi, illegitimi & contra præſcriptum & auctoritatem eccleſiæ in ſuam ipſorum perniciem facti.

CONTRA EA, ſi per ſacerdotes intelligantur tantum presbyteri, ex iuſta & legitima agentes epiſcopi ſui auctoritate, in debita ſubordinatione ſubter illum & in vnitate eccleſiæ eiuſque ad leges & regulas catholicas; ita vt ſi vel eccleſiæ communionem deſerant, vel propter crimina de ſtatione ſua iuſte deturbentur, non amplius dici poſſint agere ex legitima eius auctoritate, ſed cum manifeſto regularum eius contemtu & proculcatione. Et ſi per laicos intelligantur omnes illi, qui per diſciplimam & iuſtas cenſuras eccleſiæ officiis clericalibus priuati & ad ſtatum communionis laicæ reducti ſunt: Hoc ſenſu veteres nunquam conceſſiſſent, hæreticos & ſchiſmaticos eſſe de clero, ſed cenſura in eos animaduertiſſent, vt in homines, extra officia eccleſiaſtica conſtitutos, vel vſurpatores antiepiſcopales, altare contra epiſcopum ſuum erigentes; eorumque actus reputauiſſent æque vitioſos & illicitos, atque quorumlibet laicorum, auctoritatem nul-

(*m*) Aug. contr. Parmen. lib. II, cap. XIII. Si viſum eſt opus eſſe, vt eadem officia gererent, quæ gerebant, non ſunt rurſus ordinati, ſed ſicut baptiſmus in eis, ordinatio ita manſit integra. - - - Ac quum expedire hoc iudicatur eccleſiæ, vt præpoſiti eorum, venientes ad catholicam ſocietatem, honores ſuos ibi non adminiſtrent, non eis tamen ipſa ordinationis ſacramenta detrahuntur, ſed manent ſuper eos.

(*n*) Hieron. dial. adu. Luciferian. Not. Nihil in hoc decalogo, quod huc ſpectet, inuenias. Gr.

hæretici, in isthoc statu agentes, considerentur 4. vt clerici, siue vt laici, siue in medio quodam inter vtrosque statu; quocunque enim in statu agunt, baptismi eorum non sunt proprie legitimi & auctoritatem ecclesiæ habentes baptismi, adeoque subsequente quadam auctoritate, qua confirmentur, indigent. Hæc summa est doctrinæ veterum de baptismo hæreticorum eorumque receptione in ecclesiam.

§. XXIII.

Quomodo ecclesia Anglicana *auctoritatem habeat baptizandi, quum baptismum suum non nisi ab hæretica ecclesia* Romana *acceperit.*

Si quæras, Quomodo ecclesia reformata *Angliæ* plenam & amplam habeat auctoritatem baptizandi, quæ antehac hæretica & schismatica ecclesia fuerit sub iugo seruitutis *Romanæ?* Respondeo, illam deiiciendo hoc iugum & errores suos corrigendo atque ad ecclesiæ catholicæ gremium reuertendo hanc auctoritatem consequutam esse. Quæ vetusta erat ratio, quam schismatici & hæretici episcopi ceterique clerici inire debebant ad obtinendam illam legitimam auctoritatem, quæ illos potestate instruebat iuste & legitime peragendi officia, quam non habebant nec habere poterant, quoad in erroribus suis & extra ecclesiæ catholicæ vnitatem perseuerarent. Ita magna synodus *Nicæna* in caussa *Nouatianorum* decreuit, vt "si aliquando venirent ad ecclesiam catholicam [o], impositionem tantum manus acciperent, & manerent sic in clero." Et vi huius decreti iam plenam potestatem & licentiam habebant instruendi eos auctoritate ministeria sua obeundi, quam certe non habebant antea. Eiusmodi etiam erat res *Donatistarum* tempore AVGVSTINI, quemadmodum ex huius patris scriptis & diuersis canonibus in codice *Africano* apparet, qua de re alibi loquutus sum vberius [p]. Eadem autem regula & methodus, quæ obtinuit in ecclesia primitiua, fuit, per quam *Anglicani* episcopi & presbyteri nacti sunt auctoritatem legitime fungendi muneribus ecclesiasticis, vbi hæreticis & schismaticis er-

(o) Concil. Nic. can. VIII. vid. supra §. XX. sub litt. (f).

(p) Origin. eccles. lib. IV. cap. VII. n. VII. VIII.

roribus

vna cum aurea hiſtoria perſecutionum eccleſiæ *Bohemicæ;* in quorum ſcriptorum plerisque doctrinas eorum & principia eadem eſſe inuenias, quæ reformationis. Ingens heic multitudo erat catholicorum & viſibilium confeſſorum, quemadmodum facile ad iudicandum eſt vel ex hac vna obſeruatione, quam multo poſt ex ABRAHAMI BZOVII annalibus fecit RICHARDVS CRAKANTHORPIVS [q], " Quod non minus centum & quadraginta " duo millia, nongenti & nonaginta de *Albingenſibus*, vno eo- " demque ſæculo, intra ſexaginta annorum decurſum in regno " *Galliæ* miſere trucidati fuerint." Et ſubiungit, *Quis enumerare aut etiam animo ac mente concipere poteſt, quot centena millia in reliquis Europæ partibus intra quadringentos annos & amplius, inde a temporibus Hildebrandi papæ, igne ac ferro a beſtia ſanctorum ſanguine ebria peremta ſint? Aut quis de hiſce rebus loqui ſine lacrimis poteſt? Si tot fuerunt martyres, integer eccleſiæ numerus multo maior fuerit neceſſe eſt. Sanguine enim martyrum ſemper creſcit eccleſia.* Fuerunt itaque, vt ne inquirendo vltra progrediamur, fidei catholicæ confeſſores numero ſatis multi, quibuſcum eccleſia *Anglicana*, priſtinis erroribus & hæreſibus *Romanis* repudiatis, ſe coniungeret. Et ne quid deeſſe videatur, fuerunt adeo eccleſiæ epiſcopales, & magna ſemper opera nauata eſt, vt epiſcopatus inter eos conſeruaretur. Ipſe HENRICVS SPONDANVS [r] fidem nobis facit, *Albingenſibus* aliquando in *Galliis* tantam fuiſſe potentiam, vt ex epiſcopis ſuis aliquem quaſi vniuerſalem ordinis ſui patriarcham antipapam conſtituerint, cuius vices *Bartholomæus* quidam *Carcaſſone* oriundus in *Gallicanis* ditionibus geſſerit. Habuiſſe eos inter ſe epiſcopos, ex hiſtoria etiam perſecutionum eccleſiæ *Bobemicæ* conſtat, quæ a

(q) Crakanthorp. defenſ. eccleſ. Anglic. contr. Spalat. cap. XVIII. p. 101.

(r) Spond. an. MCCXIII. num. VII. Quod Albingenſes ſpectat, quum circa hæc tempora in Galliis illi & Hiſpaniis - - nimium quam exagitati, pars in fines Bulgarorum, Croatiæ & Dalmatiæ iuxta Hungariam abſcedentes, nonnullis epiſcopis & quam plurimis aliis in ſuas partes allectis, etiam antipapam conſtituiſſent, ad quem vndique conſultationes ſuas deferrent; iſque vices ſuas in Galliis Bartholomæo cuidam Carcaſſone oriundo, epiſcopo a ſe creato delegaſſet, qui - - epiſcopos ſuæ ſectæ creandi atque eccleſias ordinandi auctoritatem ſibi arrogabat, cetera.

IOANNE AMOSO COMENIO, *Bohemorum* episcopo, superiore sæculo conscripta esse creditur, qui rem memorabilem narrat, " *Bohemis* " maximam aliquando fuisse anxietudinem de animarum pasto- " ribus, vnde hos essent habituri, postquam, quos haberent in " præsens, decessuri essent. Misisse igitur tres de ministris suis, " *Matthiam Kunwaldium, Thomam Przelaucium* & *Eliam Krze-* " *nouium* ad *Waldenses*, qui tum essent in confiniis *Moraniæ* & " *Austriæ*, vt eos episcopos ordinarent. Inuenisse illos episco- " pum eorum *Stephanum*, qui accito episcopo altero & aliquot " e ministris, tribus illis ministros creandi potestate collata, ma- " nuum impositione eos episcopos crearit, & ad suos remise- " rit [s]." Atque hinc catholicorum episcoporum successio in *Bohemia* orta est, quæ vsque ad extremam eorum exstirpationem durauit, quæ superiore sæculo ex infelici successu belli *Bohemici* exstitit, in quo factio papistica præualuit. Hoc certissimo argumento est, *Waldenses* & *Albingenses* semper habuisse inter se episcopos. Neque vero hi auctoritatem suam a papa *Romano* deriuarunt, sed primitus inter se ipsos habuerunt a temporibus inde *Constantini* sibi traditam; quemadmodum *Bohemis*, quum eorum ministros ordinarent, in antememorato conuentu declararunt [t]. Et hæc cum iis exacte congruunt, quæ ipse RAINERIVS, scriptor pontificius, sed aliquanto magis ingenuus quam reliqui ex ista societate conuiciatores, de illis narrat. *Inter omnes sectas*, inquit [u], *quæ adhuc sunt vel fuerunt, non est perniciosior ecclesiæ, quam Leonistarum. Et hoc tribus de caussis. Prima est, quia est diuturnior. Aliqui enim dicunt, quod durauerit a tempore Syluestri: aliqui a tempore apostolorum. Secunda, quia est generalior: fere enim nulla est terra, in qua hæc secta non sit. Tertia, quia quum omnes aliæ sectæ immanitate blasphemiarum in Deum audientibus horrorem inducant, hæc, sci-*

(s) Histor. persecut. eccles. Bohem. cap. XX. p. 68. 70. 71.

(t) Ibid. p. 71. Originem suam vsque a Constantini temporibus, doctrinæ item suæ articulos & quid hactenus horrendi per Italiam & Galliam passi essent, explicant.

(u) Rainer. contr. Waldens. cap. IV. citat. a Crakanthorpio contr. Spalat. cap. XVIII. p. 100. & in bibl. patr. tom. IV. part. II. p. 749. Vide sis etiam *Origin. eccles.* auctoris vol. X. præfat. p. 32.

licet

licet Leonistarum, magnam habet speciem pietatis, eo quod coram hominibus iuste viuant, & bene omnia de Deo credant, & omnes articulos, qui in symbolo continentur. Solummodo Romanam ecclesiam blasphemant & clerum. Hi erant antiqui illi numerosi & pii ecclesiæ catholicæ ciues, a catholicorum episcoporum collegio inde a *Constantini* & ipsorum apostolorum ætate gubernati, quorum ad communionem ecclesiam *Anglicanam*, ab erroribus & hæresibus papatus repurgatam, se coniungere oportuit. Quæ quum ita sint, non possum non obstupescere ad ausum IEREMIAE COLLIERII [w] eiusque mirari consilium in historia ecclesiæ *Anglicanæ*, in qua *Albingensium* famam ignominiæ maculis obscurare ex calumniis & criminationibus aduersariorum illorum inique studet, ita vt ne vel minima ex iis suggerat, quæ a tot eruditis hominibus in defensionem eorum dicta sunt vel dici potuerunt. Hoc non erat iuste agere partes historici, multo minus partes amici ecclesiæ *Anglicanæ*, eam testimonio & confessione tam conspicuæ societatis dignissimorum auitæ religionis defensorum & martyrum priuatum ire, quorum in communione (sicut ostendi) illa tam singulare emolumentum habet in singulis fere reformationis suæ gradibus & momentis. Quod quum iam dixi, non possum, quin vnam adhuc rem notem in hoc auctore, quæ in scriptore quodam protestante probari minime potest; quæ est narratio eius de *Lutheranis* & *Caluinianis* (in nouissimo supplemento ad dictionarium historicum) quæ ex LVDOVICI MAIMBVRGII, capitalis eorum hostis, historia desumta est. Quum tamen fugere eum non potuerit, quam eximia apologia *Lutheranorum* edita sit aduersus MAIMBVRGIVM ab illustri & erudito VITO LVDOVICO SECKENDORFIO; ad quam alias lectorem suum remittit; quod eam illi haud ignotam fuisse ostendit. Sed hæc obiter tantum. Reuertamur iam ad antiquæ ecclesiæ historiam.

§. XXIV.

De baptismo Turcorum, Iudæorum & Infidelium.

VLTIMA quæstio ad baptismos attinet eorum, qui omnino sunt extra ecclesiam, nec vllo sensu christiani, quales sunt *Turci, Iudæi* & *Infideles:* Num baptismus, ab horum quopiam in forma

(w) Collier. eccles. histor. lib. V. p. 388. &c.

quidem ecclesiæ administratus, reputandus sit validus æque ac alii? Nullam huius quæstionis fecissem mentionem, nisi ecclesia *Romana* rem eo vsque persequuta esset, vt contra sententiam & praxin ecclesiæ antiquæ illam adfirmaret. Nam in rituali suo [x] de baptismo hanc habet rubricam: *Legitimus quidem baptismi minister est episcopus, parochus, vel alius sacerdos a parocho vel ab ordinario loci delegatus; sed quoties infans aut adultus versatur in vitæ periculo, potest sine sollemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, siue clerico siue laico, etiam excommunicato, siue fideli siue infideli, siue catholico siue hæretico, siue viro siue fœmina, seruata tamen forma & intentione ecclesiæ.* Ita quoque NICOLAVS papa [y] in lege canonica & EVGENIVS in concilio *Florentino* [z] imperiose definierunt. Enimuero hoc ex nouis dogmatibus papisticis est; veteres enim prorsus aliter loquuntur. HIERONYMVS [a] rem nouam se audisse profitetur ex quodam *Luciferiano*, qui christianum quemquam fieri posse dixerit ab eo, qui non sit christianus: Hoc enim *Luciferianos* non posse non asserere ex suis principiis, qui recipiant baptismum *Arianorum*, & tamen statuant, esse mere ethnicos, qui eum administrent. Quam rem HIERONYMVS iure suo nouam appellat in christianitate, quod baptismus christianis dari possit ab hominibus, qui ipsi non sint christiani. Et hoc ipsum ostendit verum statum controuersiæ *Hieronymum* inter & *Luciferianos.* Non erat quæstio, vti quidem nonnulli sunt opinati, Num laici baptizare possint poscente necessitate? In hoc enim vtraque pars consentiebat. Sed quærebatur *primo* quidem, An *Ariani*

(x) Ritual. Roman. titul. de ministro baptismi p. 7.

(y) Nicol. respons. ad consulta Bulgaror. cap. CIV. ap. Grat. de consecrat. dist. IV. cap. XXIV. A quodam iudæo nescitis, vtrum christiano an pagano multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de iis sit agendum, consulitis. Hi profecto si in nomine sanctæ trinitatis vel tantum in Christi nomine, sicut in actibus apostolorum legimus, baptizati sunt (vnum quippe idemque est, vt sanctus exponit Ambrosius) constat, eos non esse denuo baptizandos.

(z) Eugen. decret. ad Armenos. Concil. tom. XIII. p. 535. In caussa necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus & hæreticus baptizare potest, dummodo formam seruet ecclesiæ.

(a) Hieron. dial. adu. Lucifer. cap. V. Nouam rem asseris, vt christianus quisquam factus sit ab eo, qui non fuit christianus.

sacer-

ſacerdotes eſſent mere ethnici? Quod *Luciferiani* adfirmabant, negabat *Hieronymus*. Et *deinde*, Num poſito, eos eſſe meros ethnicos, vti *Luciferiani* contendebant, baptiſmus eorum eſſet validus neque adeo iterandus? *Luciferiani* eum validum eſſe concedebant, hoc non obſtante, quod ipſi eſſent pagani. *Hieronymus* autem eorum aſſertionem refutabat ex hoc principio, Quod nemo niſi chriſtianus baptiſmum chriſtianum dare poſſit: et quod hinc *Luciferiani* aut debeant fateri, vti catholici, *Arianos* ſenſu quodam chriſtianos, non mere paganos eſſe; aut eos denuo baptizare, qui ab illis baptizati fuerint, quandoquidem pagani nihil poteſtatis habeant chriſtianum baptiſmum conferendi. TERTVLLIANVS & patres concilii *Illiberritani* in eadem erant opinione; nam eos tantum baptiſmos validos eſſe contendebant, qui a chriſtianis eſſent adminiſtrati. AVGVSTINVS [*b*] " hanc quidem aliam quæ-" ſtionem eſſe, dicit, vtrum & ab iis, qui numquam fuerunt " chriſtiani, poſſit baptiſmus dari: nec aliquid temere inde ad-" firmandum eſſe ſine auctoritate tanti concilii, quantum tantæ " rei ſufficiat." NICEPHORVS inter *Græcos* [*c*] expreſſis verbis declarat, qui ipſe baptiſmi ſacris initiatus non ſit, eum alios baptizare non poſſe. Et GREGORIVS III. a nonnullis in eamdem ſententiam citatur. Vt adeo eccleſiæ *Romanenſis* determinatio de iuſto valore baptiſmi, a iudæis & paganis adminiſtrati, omnino noua ſit & in eccleſia primitiua prorſus incognita. Auctor *chronici Alexandrini* & ADO VIENNENSIS exemplum quidem dant vnius vel duorum hominum, qui a paganis baptizati ſint per ludibrium in theatro, qui etiam dicantur ad religionem CHRISTI conuerſi eiuſque cauſſa interfecti. Enimuero hi effectus inuſitatæ & per miraculum operanti gratiæ Dei, nec vlli eiusmodi baptiſmo, debentur; et idcirco hæc exempla ad probandam vim martyrii fecerint, quod homines ſine baptiſmo ſaluos reddere poſſit, ad confirmandam autem recentioris æui praxin nihil valent.

PERTRACTAVI iam diuerſas quæſtiones initio propoſitas, quæ ad iudicium & praxin eccleſiæ primitiuæ attinent.

(*b*) Aug. contr. Parmen. lib. II. cap. XIII. It. de baptiſmo lib. VII. cap. LIII. fere tot.

(*c*) Niceph. hiſtor. lib. XI. cap. XI. Not. Græca verba deſunt in hoc capite Nicephori.

CAPVT SECVNDVM

DE

PRAXI MODERNORVM GRAECORVM ET MOSCOVITARVM.

§. I.

De praxi modernæ ecclesiæ Græcæ.

PROGREDIMVR nunc sententiam & praxin posteriorum sæculorum consideraturi. Heic autem nihil amplius dicturi sumus de ecclesia occidentali seu *Latina*, quod praxis eius generatim nota, manifesta & testata est. In ecclesia *Græca* quædam hac de re disceptatio fuit, & in decretis conciliorum aliqua apparet variatio, quamquam generalius cum *Latinis* senserunt in tantum, vt baptisma laicorum, in extrema necessitate datum, admiserint; quæ etiam nunc communis eorum consuetudo est. Tempore NICEPHORI patriarchæ, communiter dicti confessoris, qui sæculo nono ineunte quinquaginta circiter annis post PHOTIVM vixit, per synodum id definitum est legitimum. Nam in CONSTANTINI HARMENOPVLI epitome canonum & collectione synodicorum decretorum patriarcharum, a IOANNE LEVNCLAVIO in iure *Græco-Romano* edita, duo canones NICEPHORI hanc in rem exstant. Quorum vnus sic habet [a]: *Infantes non baptizatos oportet, si quo loco reperiatur quis, vbi non sit sacerdos, baptizari. Quod si vel pater, aut quilibet alius, modo sit christianus, baptizet, peccatum non committit.* Alter ita [b]: *In periculo simplex monachus baptizat. Similiter & diaconus, quin etiam laicus, si repertus in loco fuerit, absente sacerdote.* Atque ita res videtur fuisse etiam tempore PHOTII, qui inter omnes, quas aduersus ecclesiam *Romanam* format, obiectiones

(a) Ap Leunclau. iur. Gr. Rom. lib. III. p. 169. Χρὴ τὰ ἀβάπτιστα νήπια, ἐὰν εὑρεθῇ τις εἰς τόπον, μὴ ὄντος ἱερέως, βαπτισθῆναι· Εἰ βαπτίσει δὲ ὁ ἴδιος πατὴρ ἢ οἱοσδήποτε ἄνθρωπος, μόνον ἵνα ἐστὶ χριστιανὸς, οὐκ ἔστιν ἁμαρτία.

(b) Harmenop. epitom. can. sect. IV. tit. II. ap. Leuncl. p. 44. Κατὰ περίστασιν καὶ μοναχὸς λιτὸς βαπτίζει, ὡσαύτως καὶ διάκονος καὶ λαϊκὸς δὲ, ἐὰν εὑρεθῇ εἰς τόπον, μὴ ὄντος ἱερέως.

in celebratiſſima epiſtola ſua encyclica, hanc materiam ne quidem tangit, quod ſine dubio facturus fuiſſet, ſi qua inter eos fuiſſet differentia. Nonnulli tamen ſcriptores priuati circa hanc tempeſtatem de legitima baptiſmi laici ratione in contrariam partem diſputare & eccleſiæ praxin in dubium vocare cœperunt. GEORGIVS HAMARTOLVS chronographus, nondum typis mandatus, acerbe in illum inuehitur; cuius notitiam ſingulari induſtriæ debemus IO. BAPTISTAE COTELERI, qui fragmentum de hac materia ex hoc ſcriptore publicauit. Narrat ille, auctorem, vbi de baptiſmo arenaceo, in quemdam *iudæum* collato, mentionem faciat, in hunc modum loqui: *Vbi nunc ſunt* [c], *qui aiunt, vt laici & mulieres baptizent aliquando in neceſſitate, abſente ſacerdote, quique contendunt, immo potius ex multa ignorantia & peruicacia prodigioſe ac impie adfirmant, hoc in baptiſmum diuinum perfectumque hominibus imputari, nec audiunt ſacram apoſtolorum doctrinam atque præceptionem* (librum intelligit, qui ſub nomine *conſtitutionum apoſtolicarum* editus eſt) *quæ dicit, Non permittimus, vt laicus faciat aliquid rerum ſacerdotalium, verbi gratia, ſacrificium, vel baptiſma, vel impoſitionem manus, vel benedictionem tum paruam tum magnam. Nec enim quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur a Deo. Nam per impoſitionem manuum epiſcopi datur hæc dignitas ſeu auctoritas, qui autem eam non habet ſibi conceſſam, ſed illam ſibi rapuit, ac per tyrannidem occupauit, peccatum ſuppliciumque Saulis & Oziæ ſuſtinebit. Non ſolum hoc, ſed nec reliquos clericos baptiſmum conferre volumus, veluti diaconos aut lectores, aut pſaltas, aut miniſtros, niſi*

(c) Ap. Coteler. not. in conſtit. apoſt. lib. VI. cap. IX. Πῦ νῦν εἰσιν οἱ κοσμικούς τινας καὶ γυναῖκας λέγοντες βαπτίσαι ποτὲ κατὰ περίστασιν, μὴ παρόντος ἱερέως, καὶ εἰς βάπτισμα θεῖον καὶ τέλειον αὐτοῖς λογισθῆναι φιλονεικοῦντες, μᾶλλον δὲ τερατολογοῦντες καὶ βλασφημοῦντες ἐκ πολλῆς ἀγνωσίας καὶ αὐθαδείας· μὴ δὲ τῆς ἱερᾶς τῶν ἀποστόλων διδασκαλίας καὶ παραγγελίας ἀκούοντες, τῆς λεγούσης· Οὐκ ἐπιτρέπομεν λαϊκοὺς ποιεῖν τι τῶν ἱερατικῶν, οἷον θυσίαν ἢ βάπτισμα, ἢ χειροθεσίαν, ἢ εὐλογίαν μικρὰν ἢ μεγάλην, οὐχ ἑαυτῷ γάρ τις λαμβάνει τὴν τιμὴν, ἀλλ' ὁ καλούμενος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. Διὰ γὰρ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ ἐπισκόπου δίδοται ἡ τοιαύτη δόξα (al. ἐξουσία) ὁ δὲ μὴ ἐγχειρισθεὶς ταύτην, ἀλλ' ἁρπάσας καὶ τυραννήσας αὐτὴν ἑαυτῷ, τὴν ἁμαρτίαν καὶ τὴν τιμωρίαν τοῦ Σαοὺλ καὶ Ὀζία (al. Ὀζίου) ὑποστήσεται· οὐ μὴν δὲ ἀλλ' οὐδὲ τοῖς λοιποῖς κληρικοῖς ἐπιτρέπομεν βαπτίζειν, οἷον διακόνοις, ἢ ἀναγνώσταις, ἢ ψάλταις, ἢ ὑπηρέταις, ἀλλ' ἢ μόνοις ἐπισκόποις καὶ πρεσβυτέροις ἐξυπηρετουμένων αὐτοῖς τῶν διακόνων·

ſo-

ſolos epiſcopos & presbyteros, miniſtrantibus diaconis. Qui autem id præſumſerint, Coritarum pœnas ferent. Fruſtra itaque cauillantur, aut, vt verius loquar, cum Deo pugnant, qui ſacerdotii chariſmata ſeu dona & functiones ſæcularibus viris itemque mulieribus tribuunt, ad interitum audientium & fidem habentium vaniloquentiæ ac nugis hominum, qui nullo penitus modo ſciunt, quidnam tandem ſit ſacerdotium, quidue differat laicus a ſacerdote. Hic ſcriptor antememoratos NICEPHORI canones aut ignoraſſe videtur, aut eos contemnere & inſultare. Nam ſeſe tam doctrinæ quam praxi, per illos confirmatæ, opponit, & non minus contra validum pretium baptiſmi pugnat, qui per diaconos in neceſſitate adminiſtratus ſit, quam qui datus ſit per laicos. At vero, non obſtante hac oppoſitione, hi canones vim ſuam inter *Græcos* aliquot ſæculis poſt retinuerunt. Nam CONSTANTINVS HARMENOPVLVS, qui ſæculo duodecimo medio vixit, & epitomen canonum *Græcorum* ſcripſit circa annum MCL, ambos iſtos collectioni ſuæ inſeruit. Et ſunt hi vni ſoli canones, qui de hac materia exſtant; id quod eos tunc vſitatam eccleſiæ *Græcæ* regulam fuiſſe arguit. Fuerunt tamen, qui hac etiam ætate contra illos dixerunt. MICHAEL enim GLYCAS, qui annales ſuos anno circiter MCXX ſcripſit, occaſionem arripit varia vrgendi argumenta aduerſus valorem baptiſmi, per laicos in quacumque neceſſitate exhibiti. Verum vti COTELERIVS [*d*] obſeruauit, argumenta eius diuerſis erroribus in re geſta nituntur, quo ipſo infirmantur & vim concludendi omnem

οἱ δὲ τολμῶντες τοῦτο, τῶν κοριτῶν ὑποίσουσι τὴν δίκην - - Μάταν οὖν ἐρεσχελοῦσι, ἢ τόγε ἀληθέστερον εἰπεῖν, θεομαχοῦσι, οἱ τὰ τῆς ἱερωσύνης χαρίσματα καὶ ἐνεργήματα κοσμικοῖς τε καὶ γυναιξὶν (al. κοσμικοῖς ἀνδράσι καὶ γυναιξὶν) ἀπονέμοντες ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων, καὶ πειθομένων τῇ ματαιολογίᾳ καὶ φλυαρίᾳ (al. φλυαρίᾳ) τῶν μηδὲ ὅ τί ποτέ ἐστιν ἱερωσύνη καὶ διαφορὰ κοσμικοῦ τε καὶ ἱερέως πάμπαν εἰδότων.

(*d*) Cotel. not. in conſtit. apoſt. lib. III. cap. IX. In annalibus Michaëlis Glycæ p. 243. 244. pro falſa ea opinione profertur primo factum Dionyſii præſulis, qui baptizatum a laico baptizauit iterum. Narratio incerta, nec ad rem pertinens, quia baptiſmus arena non aqua peractus dicitur. - - Profertur ſecundo auctoritas canonum apoſtolicorum, laicis prohibentium ſacerdotalia munia, etiamſi neceſſitas ingruat. Cum in toto hoc opere ne verbum quidem de neceſſitate: ſolummodo a ſacris functionibus arcetur plebs lib. II. cap. XXVII. lib. III. cap. X. & lib. vlt. cap. XLVI. Additur in

per-

perdunt. Primum quidem vrget exemplum [e] *Dionysii* antistitis *Ascalonii*, qui aliquem denuo baptizasse perhibetur, qui a laico baptismum in arena acceperit. Heic vero essentialis pars baptismatis defuit, elementum videlicet aquæ, quæ vera fuisse ratio videtur, cur baptizatum iterum baptizarit *Dionysius*, si modo vera est historia, non autem figmentum. Deinde prouocat ad auctoritatem canonum apostolicorum laicis prohibentium sacerdotalia munia, etiam si necessitas vrgeat: quum tamen de necessitate nec in canonibus nec in constitutionibus apostolicis vlla fiat mentio. Tantummodo plebs ab ecclesiasticis functionibus seuere arcetur. Denique ex auctoritate argumentatur ALEXANDRI præsulis *Alexandrini*, a quo pueros per *Athanasium* puerum baptizatos rebaptizatos esse dicit. Verum hoc contra fidem est omnium veterum historicorum, SOCRATIS, SOZOMENI & RVFFINI, qui ALEXANDRVM eos non rebaptizasse, sed ea tantum adimpleuisse dicit, quæ defuerint, & quæ ab episcopo perfici mos sit, hoc est, manus illis imposuisse, addito simul vnguento seu confirmationis chrismate. Atque ita verba intelligenda sunt scriptoris vitæ ATHANASII apud PHOTIVM [f], *Qui bapizati fuerant*, inquientis, *Alexander inunctos Christi signaculo confirmauit.* Quæ GLYCAS male accepit de signaculo baptismatis, loco confirmationis, inductus in errorem istum a recentiore quodam biographo, qui veram huius historiæ rationem non intellexit nec antiquam ecclesiæ linguam, in qua vocabulum σφραγὶς non solum baptismatis sed etiam confirmationis signaculum significat. Centum circiter annis post GLYCAM vixit quidam THEODORVS SCVTARIOTA, qui scholia scripsit in *thesaurum orthodoxæ fidei* NICETAE CHONIATAE, in quibus etiam baptismum per laicos datum inualidum esse contendit,

Glyca ex vita S. Athanasii, pueros per Athanasium puerum baptizatos, ab Alexandro Alexandrino rebaptizatos fuisse. Verum biographus iste - - videtur non intellexisse hæc verba antiquioris biographi apud Photium cod. CCLVIII. τούτους ἐπιχρίσας, διὰ τῆς ἐν Χριστῷ σφραγῖδος ἐτελείωσεν: quæ exponi debent de consignatione & confirmatione, non autem de baptismo, cetera.

(e) Glycas annal. p. 243. 244. vid. sub litt. anteced. (d).

(f) Phot. cod. CCLVIII. p. 229. Τούτους ἐπιχρίσας, διὰ τῆς ἐν Χριστῷ σφραγῖδος ἐτελείωσεν.

quemadmodum narrat COTELERIVS [*g*], qui librum manuſcriptum vidit: opus enim ipſum typis mandatum non eſt. Omnes autem hactenus nominati non niſi priuati ſcriptores ſunt, adeoque priuatæ eorum opiniones parum valent contra publicam eccleſiæ ſententiam, more rato traditam in canonibus NICEPHORI in concilio quodam patriarchali, in quo CCLXX epiſcopi præſentes adfuerunt, ſi concilium *Conſtantinopolitanum* an. DCCC XIV. illud fuit, in quo hi canones facti ſunt. Plus momenti ad infringendam auctoritatem ante dictam habere videtur aliud decretum in concilio *Conſtantinopolitano* ad ann. MDCLXVI. publicatum, LVCA CHRYSOBERGE ſedem patriarchalem tenente. Quæſitum heic erat a MANVELE *Heracliæ* archiepiſcopo, an eum, qui a non ordinato, ſed ordinatum ſimulante, baptizatus eſſet, vt chriſtianum ſuſcipere oporteat? Hoc enim tunc temporis in prouincia eius acciderat [*h*]. Synodus decreuit, eum etiam rebaptizandum eſſe, quoniam ſecundum canones apoſtolicos XLVI & XLVII ſolis epiſcopis & ſacerdotibus baptiſmatis adminiſtratio conceſſa ſit. Negare non poſſumus, concilium hoc diſerte loqui contra omnem baptiſmi laici valorem & pro rebaptizatione in cauſſa, quæ ei tunc fuit propoſita; quæ ad ordinariam baptiſmatis adminiſtrationem attinebat per eos, qui ſpurii ordinis erant & ſacerdotes ſimulabant, ad ſacerdotale munus numquam initiati. An vero hoc ipſo baptiſmum, per diaconos & laicos extra ordinem, ſumma poſcente neceſſitate, datum, vbi nec epiſcopus nec presbyter vllus inueniri potuit, ſimpliciter irritum & inualidum declarare voluerint: vt ipſi ſententiam ſuam de hoc capite ſpecialiter non dixerunt, ita magis arduum eſt, quam vt ex eorum verbis determinare id audeam. Quod ſi autem ſic eſt, tum decretis prioris iſtius concilii ſub NICEPHORO plane contrarium eſſe dixerim, quod tamen in praxi & ante &

(g) Coteler. not. in conſtit. apoſt. lib. III. cap. IX. p. 283.

(*h*) Concil. Conſtantinop. ap. Matth. Blaſtar. ſyntagm. can. in Beuereg. pand. tom. II. p. 42. Ἐζητήθη καὶ τοῦτο τοῦ Ἡρακλείας ἱερωμένου Μανουὴλ, εἰ χρὴ δέχεσθαι ὡς πιστὸν, ὃν ἀνίερος ἐβάπτισε, τὸ ἱερᾶσθαι πλασάμενος. Τοῦτο γὰρ ἐπὶ τῆς ἐνορίας αὐτοῦ τηνικαῦτα συνέβη. Καὶ ἐψηφίσατο ἡ σύνοδος, καὶ τούτους ἀναβαπτίζεσθαι· ἐπεὶ γάρ φησι κατὰ τοὺς τῶν ἀποστόλων κανόνας, τὸν μϛ. καὶ μζ. μόνοις ἐπισκόποις ἐδόθη καὶ ἱερεῦσιν ἡ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος τελετή.

post

post hoc concilium præualuit, & in hodiernum vsque diem in ecclesia *Græca* præualet: quamquam nonnulli viri docti ob neglectam diligentiorem rei considerationem in errorem se abripi passi sunt, vt aliter senserint. Nam optimi scriptores recentioris æui, vbi de ministro baptismatis & ecclesiæ suæ praxi verba faciunt, semper excipiunt extremam necessitatem, qua vrgente laico vel etiam mulieri baptizare potius permittunt, quam vt infantem sine baptismo decedere sinant. Nihil clarius esse potest responso, quod IACOBO ANDREAE & MARTINO CRVSIO, theologis *Tubingensibus*, dedit IEREMIAS, patriarcha *Constantinopolitanus*, de confessione *Augustana*, quam ei miserant, sententiam rogatus. In articulo de administratione baptismi mentem suam secundum interpretationem STANISLAI SOCOLOVII hoc modo explicat: *Instrumentalis caussa sacerdos est, nisi quid aliud præceps necessitas exposcat: Nam & tum* [*i*] *ab alio quam a sacerdote collatus baptismus vim suam retinet.* IOANNES HENRICVS HOTTINGERVS eiusdem responsi meminit [*k*], & verba *Græca* istius antistitis exhibet: Ἀνάγκης δὲ κατεπειγούσης καὶ τοῖς λαϊκοῖς βαπτίζειν ἐξεῖναι. Idem HOTTINGERVS porro obseruat, quod quamuis patriarcha in aliis quibusdam articulis dissensum suum a theologis *Lutheranis* testatus sit, de hoc tamen capite & aliis pluribus illum inter & hosce exacte conuenerit. *Lutheranæ* enim ecclesiæ, vt postea videbimus, baptismum, a laicis vrgente necessitate administratum, validum esse generatim statuunt. De more hodiernæ ecclesiæ *Græcæ* præterea documentum habemus in eo, quod IOANNES CASPARVS SVICERVS [*l*] ex METROPHANE CRITOPVLO obseruauit, recentiore istius communionis scriptore, qui confessionem scripsit ecclesiæ orientalis, vbi de eiusmodi baptismis [*m*] sic fatur: *Cum necessitas vrget, statim post natiuitatem baptizatur, quod genitum est: et si presbyter non ad-*

(*i*) Ierem. ad Germanos ap. Socolou. censur. ecclesiæ oriental. cap. VII. p. 111.

(*k*) Id. ap. Hottinger. hist. eccles. tom. I. p. 632.

(*l*) Suicer. thesaur. eccles. tom. I. p. 632.

(*m*) Metroph. Critopul. confess. eccles. oriental. cap. VII. p. 87. Ἀνάγκης δὲ κατεπειγούσης, εὐθὺς μετὰ τὴν γέννησιν βαπτίζεται τὸ γεννηθέν· κἂν ὁ πρεσβύτερος μὴ πάρεστιν, ἡ μαῖα τοῦτο ποιεῖ. - - Εἰ δὲ τὸ βρέφος ἀναζήσῃ, ἀρκεσθήσεται τούτῳ τῷ βαπτίσματι.

ſit, obſtetrix id facit. - - Quod ſi vero conualuerit infans, hoc baptiſmate contentus erit. Similem obſeruationem habet PETRVS ARCVDIVS [n] ex GABRIELIS SEVERI, epiſcopi *Philadelphenſis*, libro de eccleſiæ ſacramentis [o], vbi ait: *Si ſacerdos non adſit, etiam laicus chriſtianus, ſiue femina ſit ſiue mas, baptizare poteſt.* Et eruditus THOMAS SMITHVS, qui de *Græcæ* eccleſiæ hodierno ſtatu epiſtolam ſcripſit, de praxi illius eadem narrat ex publica quadam fidei confeſſione, lingua *Græca* vulgari ann. MDCLXII. edita, in qua hæc [p] leguntur: *καὶ τὸ διατεταγμένον βάπτισμα* (cetera vide infra in margine) hoc eſt, *Ordinatum illud baptiſma neutiquam decet, vt a quoquam alio quam a legitimo ſacerdote fiat; ſed tempore neceſſitatis conceditur, vt ſacramentum hoc adminiſtret quæuis ſæcularis perſona, modo vir, modo femina.* Vt adeo verba illa, quæ IEREMIAS TAYLORIVS epiſcopus noſtras in libro ſuo, qui *ductor dubitantium* [q] vocatur, ex SIMEONE archiepiſcopo *Theſſalonicenſi* protulit: Ὀυδεὶς βαπτίζει εἰ μὴ χειροτονίαν ἔχει, *Nemo baptizat niſi ordinatus*, aut intelligenda ſunt cum exceptione neceſſitatis, aut reiicienda tamquam falſa; ſiquidem tot clara & indubia teſtimonia adſunt de praxi eorum in partem contrariam, vt ſolem in meridie neget oporteat, qui eis repugnare auſit. Id reſponſi ad hunc locum SIMEONIS ab ARCVDIO [r] datum eſt longe ante, quam TAYLORIVS ſcripſit, neuter vero eorum SIMEONIS librum nominat, vnde

(n) Arcud. de concord. eccleſ. orient. & occid. lib. I. cap. XI. p. 34.

(o) Gabr. Seuer. de ſacram. cap. de baptiſmo. *Μὴ παρόντος ἱερέως δύναται βαπτίζειν καὶ λαϊκὸς χριστιανὸς, ἄντε γυνὴ, ἄντε ἄῤῥην.*

(p) Smith. de eccleſ. græc. ſtatu hodiern. p. 103. 104. edit. Lond. MDCLXXVIII. Hoc in caſu, at ſolo quidem (neque aliter omnino fecerint) ſi ingens, neutiquam fictum, moriendi periculum immineat, ſæculari perſonæ, qualiscunque ſit ſexus, cui interuenire contigerit, moribundum infantem tingere permiſſum eſt. Ita praxin hanc, quæ vbiuis obtinet, populo commendatam & legitimam reddit nupera confeſſio catechetica in vſum plebis lingua græca vulgari edita, *καὶ τὸ διατεταγμένον βάπτισμα δὲν πρέπει, νὰ γίνεται ἀπὸ ἄλλον τινὰ παρὰ ἀπὸ τὸν νόμιμον ἱερέα, μὰ εἰς καιρόν τινος ἀνάγκης ἠμπορεῖ νὰ κάμῃ τὸ μυστήριον τοῦτο καὶ κοσμικὸν πρόσωπον ἀνδρὸς ἢ γυναικός.*

(q) Taylor. duct. dubit. lib. III. cap. IV. regul. XV. p. 638. (pag. 528. edit. Germanic.)

(r) Arcud. de concord. eccleſ. orient. & occid. lib. I. cap. XI. p. 28.

de-

desumtus sit. Ego librum eius esse existimo de *sacramentis ecclesiae*, ex quo SOCOLOVIVS dicit IEREMIAM patriarcham narrationem suam de baptismo accepisse. Quod si ita se habet, plus quam probabile est, eumdem sensum habere in hac materia. Ante autem, quam librum ipsum videro, nihil decernam, sed in responsione ab ARCVDIO data, tamquam iusta replicatione ad hanc exceptionem, adquiescam.

§. II.

De praxi Moscouitarum.

MOSCOVITAE praxin *Graecorum* communiter sequuntur, quippe a quibus primum ad christianam religionem perducti sunt, & quorum in communione adhuc perseuerant. Vnde probabiliter concludi poterit, illorum opinionem & praxin opinioni & praxi ecclesiae *Graecae* esse conformem, tametsi aliud huius rei documentum non habemus. Regulae autem & canones eorum hac de materia specialiter praecipiunt, quemadmodum vir doctus IOANNES GERHARDVS, qui eos habuit cognitos, fidem nobis facit [s]. *Primus canon*, inquit, *Ioannis metropolitae, eorum dicti prophetae, pueros quoque iubet in necessitate absque sacerdote baptizari p. 24.* Plebs quidem hanc regulam non semper obseruat. Auctores enim quidam [t] perhibent, quod multi eorum sacerdotem ad baptizandi munus absolute requiri existiment, ita, vt quaecunque necessitas inciderit, nemo hominum sufficiat, nisi sacerdos extiterit. Enim vero de sententia & praxi alicuius ecclesiae ex regulis & canonibus, per antistites eius factis, iudicare debemus, non ex praxi & consuetudine vulgi, qui regulas saepe per ignorantiam, neglectum, vel contemtum migrat: vbi iniuriosum cuicunque ecclesiae fuerit, de doctrina eius ex contraria imperitae multitudinis praxi iudicare.

(s) Gerhard. loc. commun. tom. IV. de baptismo, num. 37. p. 241.

(t) Io. Fabri. de relig. Moscou. p. 176. Huic muneri fungendo, quaecumque necessitas inciderit, nemo hominum sufficere putatur, nisi sacerdos extiterit.

CAPVT TERTIVM
DE
PRAXI ECCLESIARVM, A CORRVPTELIS PAPATVS REPVRGATARVM.

§. I.

De praxi Lutheranorum.

PERGIMVS ad ecclesias, a corruptelis papatus repurgatas. *Lutherani* per omnes nationes baptismum laicorum, marium & feminarum, in extrema necessitate admittunt. Paullo ante ex IO. HENRICO HOTTINGERO percepimus, theologos *Germanos Tubingenses*, qui *Lutheri* erant discipuli & confessioni *Augustanæ* addicti, de hoc capite cum ecclesia *Græca* perfecte consensisse. Praeterea id ex celeberrimorum scriptorum huius instituti operibus tum in *Germania* tum in *Dania* manifestum est. Quidam ex eorum professoribus peculiares dissertationes de hac materia ediderunt, in quibus tum rationes consuetudinis ecclesiarum suarum adferunt, tum omnibus obiectionibus, quæ in contrarium fieri solent, respondent. Satis erit in præsenti ad eorum duos CASPARVM ERASMVM BROCHMANDVM & IOANNEM GERHARDVM lectores nostros remittere, quorum ille fuit theologiæ professor *Hafniæ* in *Dania*, hic *Ienæ* in *Saxonia*. BROCHMANDVS [a] in systemate vniuersæ theologiæ hanc adsertionem, tamquam doctrinam & regulam ecclesiæ, proponit. *Extraordinarius baptismi administer*, inquiens, *saltem in extremo necessitatis casu, vbi præsentissima mors imminet, & verbi minister haberi non potest, quiuis homo christianus esse potest, siue sit mas siue femina.* Quatuor præcipuas obiectiones, quæ in contrariam partem adferuntur, breuiter diluit [b]. Obiect. 1. *Sa-*

(a) Brochmand. system. theol. tom. II. de baptismo, cap. V. sect. III. p. 418. (p. 2007. edit. Hafn. MDCXXXIII.)

(b) Ibid. cap. VI. p. 432. (p. 2046. cit. edit.)

cramen-

cramentorum administrationem esse ministerii ecclesiastici partem Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 14. Obiect. 2. *Non permitti mulieri, vt doceat in ecclesia* 1 Tim. II, 12. Ad hasce duas obiectiones eodem modo respondet, *Cuiuis homini priuato etiam mulieri permissum esse in extremo necessitatis casu, vt doceat & administret baptismum.* Istas enim regulas tantum ad publicum & ordinarium ministerium in casibus ordinariis referendas esse statuit. Ad tertiam obiectionem, *Non licere vlli priuato administrare sacram cœnam*, respondet, *disparem esse baptismi & sacræ cœnæ necessitatem, illum omnibus necessarium esse, qui eum habere potuerint siue per ordinarium siue per extraordinarium administrum* Ioh. III, 6. *Hanc vero non nisi ab illis vsurpari debere, qui se ipsos probare apti sint* 1 Cor. XI, 18. cetera. Quartæ obiectioni, γυναικοβαπτισμὸν *a Marcione introductum esse*, respondet, *Marcionitas quibusuis concessisse licentiam baptizandi, quod ecclesia Lutheranæ non probent.* GERHARDVS copiosior est in hac materia. Primo doctrinam ecclesiæ suæ ita proponit [c]: *Quamuis baptismi administratio ordinarie pertineat ad ecclesiæ ministros: extraordinarie tamen in extremo necessitatis casu, quando hoc immediatum disiunctum obtinet, aut infantulo absque baptismo moriendum, aut baptismus a priuata persona ei conferendus, in hoc, inquam, necessitatis casu priuatis in ædibus a quouis christiano, in articulis religionis recte instituto, citra sexus respectum baptismum administrari posse statuimus.* Deinde fundamenta adsertionis suæ ostendit, vbi pro necessitate baptismi ex verbis seruatoris nostri Ioh. III, 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare regnum Dei*, argumentatur, & concludit: *Vbicunque ergo substantialia baptismi haberi possunt, ibi baptismus infantulo conferendus, ne quantum in nobis est, a mediis salutis ipsum arceamus; quamuis autem ex hypothesi non adsit ordinarius ecclesiæ minister, non tamen omittenda baptismi administratio, quia ad substantialia baptismi nequaquam requiritur, vt is, qui hoc sacramentum dispensat, sit minister ecclesiæ; proinde necessitati hac in parte cedit ordo.* Postea exceptioni aduersariorum dicentium, *virtutem diuinam regenerandi non esse sacramento baptismi adligatam, quum Deus etiam abs-*

(c) Gerhard. loc. commun. de bapt. num. 33. Tom. IV. p. 239.

que

que baptiſmo poſſit hominem regenerare, reſpondet in hunc modum: *Neceſſitatem heic intelligimus non reſpectu Dei, ſed reſpectu noſtri. Quamuis enim Deus non ita ſit adligatus huic ſacramento, quo minus etiam citra illud in caſu neceſſitatis regenerare poſſit: nobis tamen incumbit neceſſitas, diuino mandato de adminiſtrando baptiſmo, vbicunque eiuſdem ſubſtantialia haberi poſſunt, obſequendi.* Secundo, Argumentatur ex pari caſu circumciſionis: *Circumciſio*, inquit, *vrgente neceſſitate potuit adminiſtrari ab hominibus priuatis, ergo etiam baptiſmus in nouo teſtamento, vrgente neceſſitate, a priuatis adminiſtrari poterit. Paritas probatur ex eo*, 1.) *quia vtrumque eſt initiationis ſacramentum, circumciſio in veteri, baptiſmus in nouo teſtamento.* 2.) *Quia baptiſmus in locum circumciſionis ſucceſſit* Col. II, 11. 3.) *Quia vt de circumciſione dicitur* Gen.XVII,14. *Maſculi non circumciſi anima eradicabitur e populo: ita quoque de baptiſmo pronuntiatur* Io.III, 5. *Niſi quis renatus fuerit*, cetera. *Quinimmo ineſt argumento quodammodo proceſſus a fortiori, Si enim circumciſio a feminis non circumciſis, & quidem in loco pudoris, Iſraeliticis puerulis adminiſtrari potuit, quanto magis a priuatis adminiſtrari poterit baptiſmus. Aſſumtum probatur* Exod.IV,25. *Occurrit Deus Moſi in viam in diuerſorio & voluit eum occidere (lethalem illi immiſit morbum propter omiſſam filioli circumciſionem) tulit ergo Zippora lapidem (cultrum acutum* Ioſ.V, 2. Pſ. CXXXIX,44.) *& circumcidit præputium filii ſui, & tangens pedes eius dixit: Sponſus ſanguinum mihi es.* 1Macc.I,63. *Feminæ, quæ circumciderant pueros ſuos, iuxta Antiochi mandatum occidebantur.* 2Macc.VI,10. *Duæ mulieres adducebantur, propterea quod filios ſuos circumciderant.* Tertio, ex pari ratione abſoluendi & docendi argumentatur. *Vbi eadem ratio, ibi idem ius. Iam vero æqualis eſt ratio inter abſolutionem, quam priuatus quiſpiam morienti ex euangelio adnuntiat & inter baptiſmum, quem priuatus in caſu neceſſitatis confert, abſente ſcilicet ordinario eccleſiæ miniſtro. Ergo idem etiam ius obtinet. Priuati recte faciunt, eccleſiam ordinario paſtore deſtitutam, & homines ægrotos ſeu quouis modo adflictos ex verbo Dei inſtituentes & conſolantes, vt tempore obſidionis, peſtis, perſecutionis &c. Quare ergo priuati in caſu extremæ neceſſitatis non adminiſtrarent baptiſmum,*

ſpiritum, quod tradunt, ſunt regale ſacerdotium 1 Pet. II, 9. facti coram Deo reges & ſacerdotes, Apoc. I, 6. V, 10. Non examino iam horum argumentorum pondera, ſed illa tantum interpono, vti in auctore noſtro inuenio, vt, quæ ſint communia eccleſiarum *Lutheranarum* principia & conſuetudines, oſtendam.

§. II.

De praxi eccleſiarum Zwinglianarum ſeu Heluetiearum.

ALIA reformationis propago ſunt eccleſiæ *Heluetica*, quæ *Huldericum Zwinglium* ſequuntur, quarum doctrina de hoc capite a *Lutheranis* non niſi paullum differt. Ipſius ZWINGLII opinio omnino eadem fuit. Nam in libro de baptiſmo [*d*], loquens de duplici errore, qui in circumſtantias baptiſmi irrepſerit, inter alia hæc habet: *Alter error circa perſonæ circumſtantiam verſatur, quod baptiſmum a nemine alio, quam a ſolo ſacerdote conferri poſſe putarunt: quum interim cuiuis hominum hoc facere poſſit, immo femina quoque, ſi quando neceſſitas ſic poſtulare videatur.* Poſt obitum autem ZWINGLII in generali confeſſione eccleſiarum *Heluetiearum* decretum legimus in hanc ſententiam [*e*]: *Docemus, baptiſmum in eccleſia non adminiſtrari debere a mulierculis vel ab obſtetricibus. Paulus enim remouet mulierculas ab eccleſiaſticis officiis. Baptiſmus autem pertinet ad officium eccleſiaſticum.* Nondum autem vlla prohibitio facta eſt in caſibus neceſſitatis, nec vllum mandatum de iis rebaptizandis, qui per alios eſſent contra regulam eccleſiaſticam baptizati.

§. III.

De praxi Caluiniſtarum, Gallicarum *ac* Belgicarum *eccleſiarum.*

PROXIME nunc in ſententiam & praxin inquirimus eccleſiarum *Gallicarum* & *Belgicarum*, quæ multis in rebus IOANNIS CALVINI ſententiam ſequuntur. Iam vero CALVINVS libere mentem ſuam declarat contra legitimam baptiſmatis, per laicum quocunque in caſu dati, rationem. Exiſtimat, non poſſe vllam neceſſitatem ſufficere ad dandam priuatis viris vel feminis aucto-

(*d*) Zwingl. de baptiſmo tom. I. p. 96.
(*e*) Confeſſ. Heluet. cap. XX. p. 70.

Bingh. Differt. M ritatem

ritatem peragendi aliquam publici miniſtri functionem. Fatetur quidem [*f*], *multis ante ſæculis, adeoque ab ipſo fere eccleſiæ exordio vſu receptum fuiſſe, vt in periculo mortis laici baptizarent, ſi miniſter in tempore non adeſſet,* addit autem, *ſe non videre, quam firma ratione defendi queat.* Non ſimpliciter nullos & vacuos eiuſmodi baptiſmos pronuntiat, ſed contrarium potius tuetur. Nam vti IOANNES WHITGIFTVS, archiepiſcopus noſtras, longe poſt contra THOMAM CARTWRIGHTVM aduerſarium ſuum obſeruauit [*g*], CALVINVS opinionem ſuam alibi hac de re ſic declarat: *Si verum eſt, quod conſtituimus, ſacramentum non ex eius manu æſtimandum eſſe, a quo adminiſtratur, ſed velut ex ipſa Dei manu, a quo haud dubio profectum eſt: inde colligere licet, nihil illi adferri vel auferri eius dignitate, per cuius manum traditur. Ac perinde atque inter homines, ſi qua miſſa epiſtola fuerit, modo ſatis & manus & ſignum agnoſcatur, minime refert, quis aut qualis tabellarius fuerit: ita nobis ſufficere debet, manum & ſignum Domini noſtri in ſacramentis ſuis agnoſcere, a quocunque tandem tabellario deferantur. His Donatiſtarum error pulchre refutatur, qui vim ac pretium ſacramenti metiebantur miniſtri dignitate. Tales hodie ſunt Catabaptiſtæ noſtri, qui rite nos baptizatos pernegant, quod ab impiis & idololatris in regno papali baptizati ſumus: itaque anabaptiſmum furioſe vrgent. Aduerſus quorum ineptias ſatis valida ratione muniemur, ſi cogitemus, nos baptiſmo initiatos, non in nomen alicuius hominis, ſed in nomen PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI: ideoque baptiſmum non eſſe hominis ſed Dei: a quocumque tandem adminiſtratus fuerit.* Hæc fuit ſententia CALVINI.

VERVM TAMEN ſucceſſor eius, THEODORVS BEZA, baptiſmum a priuatis, ſpeciatim a feminis adminiſtratum, licitum ac validum eſſe aperte negat ac pernegat, nec pluris faciendum eſſe cenſet, quam id, quod homo priuatus vltro non iuſſus nomine regis vel reipublicæ agat; aut ſigillum ab homine priuato effictum & in vſum publicum falſo adhibitum. Satius tamen eſ-

(*f*) Caluin. inſtit. lib. IV. cap. XV. n. 20.

(*g*) Whitgift. *Defence of the Anſwer to the Admonit.* Tract. 9. p. 518. ex Caluin. inſtit. lib. IV. cap. XV. num. 16.

ſentia-

ſentialem baptiſmi partem aquam ſcilicet [h] permutari, & alium liquorem adhiberi, quam baptiſmum differri iudicat. Immo vero, ſi GERHARDVS ipſum non repræſentat falſo, (neque enim liber BEZAE, ad quem ille prouocat, mihi ad manus eſt) *ipſius Satanæ baptiſmum in miniſterio non dubitanter ſe velle dicere legitimum, adſerit.* [i] Quæ prorſus mira verba ſunt viri, qui baptiſmum vanum & nullum credidit, a priuato quodam chriſtiano etiam in extremæ neceſſitatis caſu adminiſtratum. Quomodo ecclesiæ *Gallicanæ* BEZAM in his duabus poſterioribus aſſertionibus vindicarint, in præſenti nihil attinet diſquirere: in priore autem, hoc eſt, in doctrina de inualida & vana baptiſmi laicalis ratione certum eſt, omnes illi conſentire. Ad minimum a tempore generalis ſynodi *Pictauienſis* ann. MDLX. habitæ doctrinam illam defendere ſubſcriptione tenentur. In illa enim ſynodo quæſtio propoſita: *Quid agendum, ſi infans [k] baptizatus fuerit a perſona priuata?* et reſponſio data. *Tollendum eſt ſcandalum, quod inde poterat accidere, per plures publicos ſermones, & fidelium mentibus inculcandum, eiuſmodi baptiſmum nullius pretii eſſe; et idcirco infans in eccleſiam Dei introducendus eſt per verum baptiſmum.* Quod etiam libro diſciplinæ eorum inſertum eſt, cui omnes iure iurando ſubſcribunt cap. XI. art. I. (*) *Baptiſmus ab eo, qui nullam habet vocationem, adminiſtratus, omnino vacuus eſt & nullus.* Idem in multis aliis ſynodis nationalibus, videlicet in prima & ſecunda RVPELLANA an. MDLXXI & MDCLXXXI. in ſynodo *Vapincenſi* an. MDCIII & in ſynodo

(*h*) Beza epiſt. II. ad Tillium tractat. theologic. vol. III. p. 196. Deſit etiam aqua & tamen baptiſmus alicuius differri cum ædificatione non poſſit nec debeat, ego certo quouis alio liquore, non minus rite quam aqua baptizarim.

(*i*) Id. quæſt. 144. citante Gerhardo loc. commun. tom. IV. de bapt. num. 22.

(*k*) Vid. La Diſcipline des Egliſes Reformées de France, chapitr. X[I]. p. 313. edit. Salmur. M DC LXIX. 12mo. Au meſme ſynode on forma cette queſtion, *Comment on ſe porteroit, quand un enfant auroit eſté baptiſé par un particulier?* Reponſe: *Il faut oſter le ſcandale, qui en pourroit venir, par pluſieurs predications, & imprimer au cœur des Fideles, qu'un tel Bapteſme n'eſt d'aucune valeur, purquoy il faut introduire l'enfant dans l'Egliſe de Dieu par le vray Bapteſme.*

(*) Ibid. pag. 312. Le Bapteſme adminiſtré par celuy, qui n'a vocation aucune, eſt du tout nul.

 Alen-

Alenconiensi an. MDCXXXVII definitum fuit. Quo licet rex litteras misisset, vt hoc decreto rescisso baptismum mulierum aliorumque, perinde atque in ecclesia *Romana*, admitterent; tamen vllum istiusmodi baptismum admittere obstinatissime recusarunt, tanquam rem fidei suae prorsus contrariam. Haec igitur extra controuersiam praxis est ecclesiae *Gallicanae*. Obseruatio autem, quam vir quidam doctus in eam fecit, " Quod cum ratione statuere possimus ceteras ecclesias reformatas omnes, quae eamdem disciplinam sequantur, in eadem esse opinione, " minus adcurata est. Haec enim solum dicuntur, non probantur. Nulla enim ecclesia, quantum noui, eamdem, quam *Gallicana*, disciplinam obseruat, quippe quae ecclesiae *Gallicae* peculiaris est; et idcirco incongruum est statuere, quod omnes ecclesiae reformatae eamdem disciplinam obseruent, quum fortassis nulla sit, quae obseruet. Neque omnes idem sentiunt de speciali hoc casu, de quo nobis iam sermo est. *Lutherani* enim, sicut ostendi, omnes stant a parte opposita, & contrarium aduersus sectatores CALVINI tuentur. ZWINGLIVS etiam LVTHERO consentiebat, & ecclesiae *Helueticae* ab eius opinionibus non multum discedunt. *Palatinae*, vt mox ostendam, baptismum, a laico in magna ecclesiae dissipatione datum, non repetendum esse statuunt. Neque *Waldenses* vel *Fratres Bohemos* a *Lutheranis* in hac materia dissentire crediderim, quamquam nondum opportunitatem nactus sum in eorum opinionem studiosius inquirendi. Quo pacto igitur statuas, omnes ecclesias reformatas transmarinas idem sensisse atque *Gallicanas?* Confido, amicum meum ingenuum, vbi hoc viderit, iudicaturum, necessarium esse & consuetae suae ingenuitati congruere, vt incautas suas locutiones retractet. Vt summatim dicam, quae hac de re intelligo, ecclesiam *Belgicam* (licet disciplinam *Gallicanam* nihilo magis quam vlla alia ex reformatis obseruet) cum *Gallicana* in hoc speciatim facere existimo, quod baptismus per laicos administratus, prorsus nullus sit & vanus, & idcirco repetendus. Quamquam enim nihil ex actis seu declarationibus eius in rem praesentem habeo, plerosque tamen ex probatis eius scriptoribus (si ab *Arminianis* discessero) hunc cursum tenere video, eosque ecclesiae suae sententiam sine vlla haesitatione loqui existimo. Ita ANDREAS RIVETVS, LEONHARDVS

HARDVS RIISSENIVS, GVILIELMVS AMESIVS, CONRADVS VORSTIVS & alii, quos in re tam plana heic adducere ſuperſedeo, ne lectori moleſtus ſim. Ita vero multum abeſt, vt eccleſia *Belgica* omnes eccleſias, quae a papatu ſeceſſionem fecerunt, efficiat. *Zwinglianae* magnam conſtituunt ſocietatem; *Lutheranae* adhuc maiorem, longe lateque per multas & populoſas nationes & gentes diſperſae. Aliquae earum etiam eccleſiae ſunt epiſcopales, quae hanc libertatem laicis in caſibus extraordinariis concedunt. Quum e contrario *Belgicae* & *Gallicanae* eccleſiae a quibusdam in nullo numero locoue eccleſiarum habeantur, quod epiſcopatu deſtituuntur, neque adeo veras ordinationes & chriſtiana ſacramenta habent, ex eorum iudicio. Et quid tandem valebit earum teſtimonium in tali cauſſa, vbi ſimulac ſententiam ſuam de chriſtiano baptiſmo dixerint, ipſae exauctorabuntur & prorſus non eſſe chriſtianae declarabuntur? Sed pergo ad reliquas eccleſias, reformationis participes factas.

§. IV.

De praxi eccleſiarum Palatinarum.

ECCLESIAE in *Palatinatu* communiter ſequuntur doctrinam *Caluiniſtarum*, in vno tamen caſu quidam theologi ſtatuunt exceptionem, tempore nimirum magnae perſecutionis, vbi eccleſiae latius diſſipatae ſunt, miniſtri huc illuc diſperſi. Id quod ſaeculo ſuperiore per bella in *Palatinatu* factum eſt, & HENRICO ALTINGIO, theologiae profeſſori in academia *Heidelbergenſi*, occaſionem dedit inter problemata ſua hanc materiam tractandi. Quaeſtionem his verbis proponit, *Eſtne baptiſmus legitimus, qui priuatim & a priuatis, ſiue viris ſiue mulieribus, adminiſtratur?* Ad hanc quaeſtionem reſpondet duabus diſtinctis propoſitionibus, quarum *prima* ſic habet: *Baptiſmus priuatim & a priuatis, ſiue viris ſiue mulieribus, adminiſtratus haberi nequit pro legitimo baptiſmo.* Ad quod probandum rationes adfert, quae hac in materia adferri ſolent, 1) *Quia huiuſmodi baptiſmus*, inquiens, *proficiſcitur ex erronea opinione de abſoluta neceſſitate baptiſmi ad ſalutem, quaſi abſque eo ſeruari infans non poſſet.* 2) *Quia baptiſmus non priuatim ſed publice in conſpectu totius eccleſiae adminiſtrandus eſt: tum quia pars eſt miniſterii publici, tum quia admini-*

ministratio eius, separata a verbi prædictione, facile transfertur ad magicas cærimonias & superstitiones Pontificiorum. 3.) *Quia administrare baptismum non est priuatorum, sed eorum, qui ad ministerium verbi vocati sunt. Nam duo hæc CHRISTVS coniungit in institutione* Matth. XXVIII, 19. 4.) *Quia mulieres diserte & nominatim excluduntur ab omni ministerio verbi & sacramentorum* 1 Cor. XIV, 34. 35. 1 Tim. II, 12. Non obstante autem illegitima istiusmodi baptismi ratione, sententiam suam propositione *secunda* contra iterationem eius pronuntiat verbis sequentibus: *Baptismus in dissipatione ecclesiæ* [*l*] *priuatim a viro administratus, idque secundum institutionem CHRISTI, non est repetendus. Eum non dicimus licitum aut legitimum esse; est enim trifariam vitiosus, vt ostendimus: sed non esse iterandum cum hac duplici conditione siue limitatione.* 1. *Si administratus sit iuxta institutionem Christi: infante aqua adsperso in nomine PATRIS, FILII & SPIRITVS SANCTI.* 2. *Si id factum in dissipatione ecclesiæ: qualis nunc passim cernitur in Palatinatu. Siquidem illo ecclesiæ statu multa Deus condonat, quæ nullo modo admittere fas esset in ecclesia bene ordinata. Olim quum vitiata esset religio in populo Israel, haud dubie multis vitiis & corruptelis implicita fuit circumcisio, quam tamen iteratam fuisse non legimus, quum reuocaretur populus ad purum cultum. Ita superiore sæculo baptismus Papistarum fœdatus & vitiatus fuit multis superstitionibus, nec tamen repetitus in ecclesiis reformatis, quum secessio fieret a communione papatus.* Hactenus iudicium vidimus diuersarum ecclesiarum transmarinarum, quæ per salutarem reformationem ab ecclesiæ pontificiæ corruptelis repurgatæ sunt.

§. V.

De praxi ecclesiæ Anglicanæ *ante colloquium* Hamptoncurianum & *postea.*

VENIO postremum ad considerandam praxin ecclesiæ *Anglicanæ.* Vbi differentiam aliquam obseruare licet inter instructiones, quæ in liturgia tempore regis *Eduardi* & reginæ *Elisabethi* præscriptæ, & inter eas, quæ in liturgia sub *Iacobo* rege

(*l*) Alting. theol. problemat. part. II. quæst. XVI. p. 326.

datæ

datæ fuerunt, quarum hæc aliquam mutationem passa est post colloquium *Hamptoncurianum*. In veteri liturgia rubrica de baptismo priuato [m] his verbis concepta est; *Primum illi, qui præsentes adsunt, Dei implorent gratiam, & recitent orationem dominicam, si tempus permiserit, deinde vnus eorum infanti imponat nomen, eumque mergat in aquam, aut aquam fundat in eum, dicens, Baptizo te in nomine PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI.* Hæc rubrica eiusmodi generalibus verbis comprehensa erat, vt baptismus priuatus non adligaretur ad ministrum; vt certum sit, hinc sæpius occasionem a laicis & feminis captatam infantes priuatim baptizandi sine publico ministro. Vnde duæ quæstiones inter viros eruditos istius æui subnatæ sunt. 1.) Num isti baptismi legitime & secundum intentionem ac regulas ecclesiæ essent administrati? Et 2.) Si illegitimi essent & regulæ contrarii, num etiam plane nulli & inualidi, & vt tales iterandi? De primo momento inter se paullum diffidebant viri eruditi. Quidam eorum in ea erant opinione, verba rubricæ non dare laicis, siue viris siue feminis, auctoritatem baptizandi priuatim; sed per baptismum priuatum intelligi tantum baptismum in ædibus priuatis, non publice in ecclesia, administratum, eumque a solis ministris, nec ab vlla persona priuata, dandum. Hæc opinio erat IOANNIS WHITGIFTI archiepiscopi, quemadmodum ex responso eius ad *admonitionem* & *defensione* huius responsi aduersus THOMAM CARTWRIGHTVM patet. Verba illius hæc sunt: *Liber* [n] *precum publicarum vocat baptismum priuatum cum respectu ministri. - - nam in necessitate vicarius mitti potest, aut alius quidam minister, qui citius adesse potest.* Videatur quoque colloquium *Hamptoncurianum.* Alii putant, ecclesiam, etiamsi non adprobarit huiusmodi baptismum, eum tamen ad tempus permittere & tolerare voluisse, vsque dum præiudicatæ hominum opiniones & malæ notiones, quæ longa consuetudine inualuerant, pedetentim imminuerentur, ita vt nihil detrimenti caperet reformatio. Ita GEORGIVS ABBOTVS archiepiscopus *Cantuariensis*

(m) Hamon l'Estrange *Allyance of diuine offices*, Chap. 8. p. 222.

(n) Whitgift. *Defence of the Answer to the Admonition.* Tract. 9. p. 504.

opi-

opinionem ſuam de hac rubrica declarat: *Vt Moſes*, inquit [*o*], *aliquando præ duritia cordium paſſus eſt, diuortii repudiiue libellum in cauſſis leuioribus dare, ſic præ infirmitate hominum aut duritia aliquorum laicos myſteriis imbuere paſſi ſunt* (maiores.) *Quod pro certo exiſtimo in cauſſa fuiſſe, cur in regno olim noſtro, qui, abolita ſuperſtitione, preces noſtras & liturgiam in certam formam librumque redegerunt, priuati baptiſmi mentionem ſubintulerunt; non quod baptiſmum datum per laicos, potiſſimum autem per feminas, legitimum eſſe arbitrati fuiſſent, ſed ne primis euangelii reuocandi auſpiciis indoctam & inſciam multitudinem a vera pietate deterrerent, illud ingerendo, quod imbibitæ per multos annos opinioni expreſſe adeo aduerſaretur. -- Sed toleratio & permiſſio fas & iuſtum eſſe, quod ad tempus toleratur, non concludit.* Hæc opinionum diſcrepantia durauit vſque ad colloquium *Hamptoncurianum.* In eo enim diuerſi diſputatores diuerſo modo animi ſui ſententiam declararunt. WHITGIFTVS adhuc in eadem erat opinione, contendens, "Adminiſtrationem baptiſmi per feminas & perſonas "laicas [*p*] non eſſe in praxin eccleſiæ admittendam, ſed ab epi-"ſcopis in viſitationibus ſuis perquirendam & inueſtigandam, at-"que ſub cenſuram vocandam; neque enim verba in iſto libro "vllum eiuſmodi ſenſum inferre." Rex autem hiſce opponebat vrgebatque verba libri, quod non poſſint non de quadam permiſſione & toleratione baptiſmatis mulierum & priuatarum perſonarum intelligi. GERVASIVS BABINGTONVS, præſul *Vintonienſis*, aiebat "verba iſta eſſe dubia, & in iſtum ſenſum tor-"queri poſſe; videri tamen ex contraria praxi eccleſiæ (mulie-"res hac in cauſſa notantis) compoſitores libri illa eo non deſi-"gnaſſe, & tamen ambigue propoſuiſſe, quod fortaſſe metue-"rint, vt alioqui liber in comitiis regni comprobaretur." Ad quæ BANCROFTVS, epiſcopus *Londinenſis*, reſpondebat. "Viros "illos doctos & reuerendos, qui librum publicarum precum "congeſſerint, non habuiſſe conſilium decipiendi quempiam "per verba ambigua, ſed per ea verba deſignaſſe permiſſionem

(*o*) Abbot. prælect. 2. de baptiſmo p. 70. edit. Oxon. MDXCVII.

(*p*) *Conferenc. at* Hampton-Court p. 14.

"ba-

" baptizandi, dandam hominibus priuatis in casu necessitatis, " eiusque rei testes esse eorum epistolas;" quarum aliqua pars tum prælecta fuit, & simul decretum, conuenire hoc cum praxi ecclesiæ primitiuæ.

BILSONIVS [q], episcopus *Vintoniensis*, etiam docte pariter & grauiter hac de re perorabat, adserens, "Negare hominibus " priuatis licentiam baptizandi in necessitate, idem esse atque " omni antiquitati se opponere, quandoquidem id fuerit vetusta " & communis consuetudo ecclesiæ, si ministri eo tempore in- " veniri non potuerint; esse etiam regulam a theologis receptam, " quod minister non sit de essentia sacramenti." Ad quæ rex respondebat, "Etiamsi minister non sit de essentia sacramenti, " esse tamen eum de essentia veri & legitimi ministerii sacramenti," rationem huius adserti petens ex mandato, quod discipulis suis dedit CHRISTVS Matth. XXVIII, 20. *Euntes docete & baptizate.*

D. ANDREAS WILLETVS, qui controuersias vigente veteri rubrica scripsit, eamdem quoque, quam WHITGIFTVS, habebat opinionem [r]. " Non permittendum esse in bene con- " stituta ecclesia laicis cuiuscunque conditionis vel obstetricibus, " vt infantes baptizent; nec auctoritatem illis dandam hoc fa- " ciendi inter nostrates. "

ERANT hæ diuersæ opiniones, quibus hominum animi tum distrahebantur circa sensum rubricæ ecclesiæ nostræ ea ætate obtinentis. De secundo autem momento concordabant omnes, istos baptismos, siue secundum regulam siue contra regulam dati, siue permissi siue non permissi essent, non tamen omnino nullos & irritos, nec vt tales a legitimo ministro ad obtinendam salutem repetendos esse. WHITGIFTVS pro vi & valore eiusmodi baptismorum tam decertabat quam quisquam alius, licet eos non ad vllam regulam, immo ne cum permissione quidem

(q) Ibid. p. 18.

(r) Willet. synopsis papismi, p. 490.

ecclesiæ, datos esse crederet. Vno loco [s] contra CARTWRIGTHVM, qui non minus diaconorum quam feminarum baptismum improbabat, sic argumentatur: *Legimus Act.* VIII. *Philippum diaconum baptizasse: legimus etiam vxorem Mosis circumcidisse. Vbi autem ecclesia Anglicana potestatem fecit feminæ baptizandi, aut diacono cœnam Domini celebrandi? Et si fecerit, dignitas sacramentorum non pendet ex homine, siue sit minister siue non sit minister, siue bonus sit siue malus. Caueat sibi quisque, vsurpet auctoritatem, ad quam vocatus non est.* Alio loco [t] iterum loquens de *Sephoræ* circumcisione ait: *Moses hoc tempore grauissime ægrotauit, & idcirco hoc officium exsequi ipse non potuit.* Et in bibliis *Geneuensibus* hæc nota reperitur: *Extra ordinem id factum, Moses enim vehementi morbo adfligebatur, et Deus eo ipso tempore id exigebat. Igitur Sephora circumcidebat filium in extrema angustia constituta, non sponte sua vel de consilio. Et hæc circumcisio vera erat circumcisio, quantumuis non facta modo ordinario. Ita quoque baptismus verus est baptismus, etiamsi interdum administratus sit ab iis, qui non sunt ordinarii ministri.* Paullo post [u] ad praxin prouocat omnium ecclesiarum veterum ac recentiorum. *Quamquam*, inquit, *tam veteres quam recentiores ecclesiæ non permittant, vt laici baptizent, nulla tamen est (si ab illis discesseris, quæ errant in anabaptismo) quæ essentiam sacramenti ita pendere ex ministro putet, vt sacramentum nullum sit, si non sit celebratum ab aliquo ministro.* Heic TERTVLLIANVM citat, AMBROSIVM, IVSTINVM, AVGVSTINVM, ZWINGLIVM & ipsum CALVINVM. Et concludit tandem, quod, si aduersarii sui doctrina vera sit, generali quadam iteratione baptismatis per omnem christianitatem tam adultis quam infantibus opus sit, quia hoc sacramentum multis datum esse constet ab eis, qui non habeant gradum in ministerio. Porro celebratissimum illud exemplum *Athanasii* [w] vrget, & *Iudæi*, qui baptizatus fuit arena loco aquæ a laico; quorum alter rebaptizatus fuit, alter non item.

(s) Whitgift. *Defence of the Answer to the Admonit.* Tract. 9. p. 515.

(t) Ibid. p. 517.

(u) Ibid. p. 518.

(w) Ibid. p. 519.

Hoc

Hoc argumento est, inquit, *non fuisse ecclesiæ dubium de personis, quæ baptizarint, sed de baptismate, quod aqua caruerit. Et sane, si essentia sacramenti ex homine pendet vllo respectu, misero & infelici loco res nostra est. Semper enim nobis dubitandum erit, an recte baptizati simus an non. Verissimum autem est, vim & efficaciam sacramenti non esse positam in homine, siue sit minister siue non sit minister, siue bonus sit siue malus, sed in ipso Deo, in eius spiritu, in libera eius & efficaci operatione. Hoc non eo dico, vt confusionem in ecclesiam inuehani: (Nam, vt ante dixi, caueant sibi homines, vllum vsurpent officium, ad quod non sint vocati: Deus enim facti huius deposcet rationem) sed vt verum doceam, vt iugum dubitationis de conscientiis hominum deuoluam, & errori resistam, qui non multum differt a Donatismo & Anabaptismo.* Denique hanc materiam illustrat [x] exemplo præconii verbi diuini. *Qui verba sacræ scripturæ loquitur & interpretatur, is prædicat, etiamsi ad hoc non sit vocatus. Et verum Dei verbum est, quod prædicat, si fideliter interpretetur; ipse autem se intrudit in prouinciam, ad quam non est vocatus, & hoc ipso offendit Deum: hoc autem non derogat verbo, quod prædicauit. Eadem ratio est administrationis sacramentorum. Nam sicut verbum Dei est verbum Dei, a quocumque adnuntietur, siue is minister sit siue alius quispiam, ita sacramentum baptismi verus baptismus est, a quocumque exhibeatur. Vsurpator rationem illiciti facti sui reddet, sacramentum autem hoc ipso non inquinatur.* Et paullo post [y]: *Non id ago, vt mulieres baptizare posse probem, sed tantum huic errori occurro, quod substantia & essentia sacramentorum pendeat ex homine vlla ratione. Baptismum a femina administratum aio esse verum baptismum, quantumuis feminæ non sit licitum baptizare; quemadmodum baptismus ab hæreticis administratus verus est baptismus, quamuis illi sint huius officii vsurpatores. Quid? quod & hoc dico, si baptismus per ministros hæreticos, qui non sunt membra ecclesiæ, administratus, nihilo se-*

(x) Ibid. p. 520.
(y) Ibid. p. 521.

cius verus est & efficax; ego certe caussam non video, cur non sit potius verus & efficax, si a laicis, qui sunt membra & ciues ecclesiae, fuerit datus. RICHARDVS HOKERVS occasionem habuit CARTWRIGHTO de eadem materia respondendi, idque fecit propemodum tam copiose quam quidem WHITGIFTVS; ego vero vnum tantum locum transscribam, quo sermonem suum hac de re concludit. *Denique*, inquit, *quum* [z] *viri doctissimi per omnes aetates generali quodam & pleno consensu baptismum validum esse statuant, quantumuis priuatim & ab ipsis feminis administratum; cuiusmodi baptismum in casu necessitatis diuersa ecclesiae reformatae admittunt pariter & defendunt; aliae, quae non defendunt, tolerant tamen; paucae, cum istis comparatae, idque sine vlla iusta caussa plane irritum & nullum pronuntiant: sane, quomodocumque alterutrius partis vitio sacramentum in quibusdam casibus tam ei, qui recepit, quam illi, qui dedit, infructuosum fuerit: nullus tamen habilitatis defectus, quo hic vel ille laborat, effectum eius tantopere frustrari potest, vt & ipsam veri baptismi naturam tollat, si ceteroquin omnia habeat, quae mandatum CHRISTI requirit.* Vnde consequenter inferre poterimus, administrationem huius sacramenti, a priuatis siue legitime siue illegitime factam, nondum videri mere vacuam esse. GEORGIVS ABBOTVS in praelectionibus suis coram vniuersitate *Oxoniensi* eamdem opinionem fuse defendit, istiusmodi baptismos [a], licet

(z) Hooker *Ecclesiastical Polity*, Book V. n. 62. p. 333. fin. seq. Last of all, whereas general and full consent of the goodly Learned in all Ages doth make for Validity of Baptism, yea, albeit administred in private, and even by Women; which kind of Baptism in Case of Necessity, divers Reformed Churches do both allow and defend; some others, which do not defend, tolerate; Few, in comparison, and they whithout any just Cause, do utterly disannul and annihilate: Surely, howsoever through Defect on either side the sacrament may be without fruit, as well in some Cases to him that receiveth, as to him which gives it, yet no disability of either Part can so far make it frustrate and without Effect, as to deprive it of the very Nature of true Baptism, having all Things else, which the Ordinance of Christ requireth.

(a) Abbot. praelect. 2. de bapt. p. 71. seqq.

prae-

præter regulam datos, non eſſe redintegrandos. Rationes eius ſunt, 1. Quia perſona miniſtrantis non ſit de eſſentia ſacramenti, ſed tantum de bene eſſe. Baptiſmi formam eſſe iniectionem aquæ in nomine TRINITATIS. Pie igitur fieri dicit, ſi miniſter tingat ſolus; at fieri etiam, ſi tingat alius. 2. Argumentatur ex illo iuris axiomate: *Multa fieri non debent, quæ tamen facta valent.* Exempli gratia, Nuptias liberorum inuitis parentibus fieri non debere, valere autem factas. 3. Argumentatur ex generali & perpetuo conſenſu ac praxi eccleſiæ. 4. Ex ſenſu & praxi eccleſiæ *Anglicanæ*, quæ ad tempus eiuſmodi baptiſmos tolerarit & in veteri rubrica de tinctione priuata tandem hanc tulerit ſententiam: *Nec dubitet quiſquam, quin infantulus eo modo baptizatus & legitime & ſufficienter baptizetur, neque debeat in templo rebaptizari.* 5. Denique ex incommodis argumentatur, quæ per vniuerſam fidelium congregationem exoritura ſint ex conſuetudine contraria. *Si enim*, inquit, *non ſit quiſquam chriſtianis imbutus myſteriis, niſi qui per ſacerdotem omni via legitimum & exceptione maiorem baptizaretur, quota hominum pars piorum & fidelium chriſtianiſmi ſignaculo indigerent? aut quis ſciret pro certo, ſe aquis luſtralibus, vt debuiſſet, fuiſſe expiatum? Sacerdotis etenim perſonam inducere poteſt, qui ſacros numquam adeptus eſt ordines. Sacros etiam ordines is poteſt recipere, qui nec ipſe baptizatus vmquam extiterat, ſed & qui baptizatur & qui ad gradum miniſterii promovetur, ab epiſcopo poterit conſecrari & ad presbyteratum admitti, qui nec ipſe legitimus fuerat epiſcopus, nec imponendi manus poteſtatem habuerat. Et hæc huiuſmodique & poſſe & ſolere contingere dubia, prudentia & ratio & experientia conteſtantur.* Vnde tandem paucis interiectis ſic concludit: *Quod ſenſerim, eſſe baptiſmum, per laicum aut feminam datum, facit perpetuata eccleſiæ conſenſio, veritati diuinorum eloquiorum, quantum ego reperio, non repugnans.* Hic auctor prælectiones ſuas habuit *Oxoniæ* anno MDLXXXXVII. & quinque aut ſex circiter annis poſt liber nomine totius vniuerſitatis *Oxonienſis* exiit, in quo eadem doctrina defenditur. Reſponſio erat ad ſcriptum, cui titulus *Millenary Petition.* Inſcriptio habet, *Reſponſio Vniuerſitatis*

Oxoniensis ad petitionem quorumdam ministrorum ecclesiae Anglicanae, certas caerimonias reformari cupientium (*). *Cantabrigiae* eadem adsertio a GVILIELMO WHITAKERO [*b*] defensa est, vti IOANNES FORBESIVS [*c*] eum citat, qui illius improbat opinionem. Quod si ABBOTVS de libris tunc scriptis recte iudicare potuisse censendus est, perpauci aut nulli eo tempore in ecclesia *Anglicana* fuerunt, qui aliter determinarunt. Multi quidem eo propendebant, vt baptismum laicum tamquam irregularem & illicitum sub censuram ecclesiasticam vocarent, omnes autem in eo concordabant, esse eum validum nec repetendum prorsusue nullum, si semel esset datus. *Nostra etiam tempora*, inquit, *quantum ego noui, ab eorum determinatione non discesserunt* [*d*], *sed tamquam depositum apud nos & traditum custodiunt.* CARTWRIGTHVS quidem eiusque sectatores, qui disciplinam *Gallicam* magis quam *Anglicam* adfectant, generatim alia via incedunt & sententiam non tantum contra legitimam rationem, sed valorem etiam baptismorum laicorum, quocunque in casu datorum, aperte declarant. Et propterea continuo contra veterem rubricam de baptismo priuato declamitant vocantque importunius mutationem. Hoc inter alia *colloquium Hamptoncurianum* induxit, cuius decretum erat, vt rubrica efficeretur paullo planior, interpositis verbis *minister legitimus*, pro generali descriptione, *vnus quidam ex praesentibus*, quemadmodum antea ambigue scriptum fuerat. Hoc quaestionem de legitima baptismi laici ratione eatenus determinabat, vt iam quidem eum ab ecclesia permitti vel iniungi, non facile sibi quis posset persuadere. Quod autem ad alteram illam quaestionem de valore & pretio baptismorum laicorum

(*) *The Answer of the University of* Oxford *to a Petition of some Ministers of the Church of* England, *desiring Reformation of certain Ceremonies.* Oxon. MDCIII. 4to.

(*b*) Whitaker de baptismo quaest. III. c. I.

(*c*) Forbes. instruct. histor. theol. lib. X. cap. XIV. n. 12. Haec omnia si accuratius pensitasset Whitakerus noster, non adeo timuisset irritum statuere eum baptismum, quem ministrassent homines vocatione destituti, in controuersia de baptismo, quaest. III. cap. I.

(*d*) Abbot. praelect. de bapt. II.

iam datorum attinet, theologi ecclesiæ eodem modo, vt antea, eam determinabant. Quamuis enim in rubrica nonnulla mutata & verba *minister legitimus* ei inserta essent: tamen nullam adhuc vel obscuram significationem factam existimabant, baptismos privatos, ab alio quodam, qui non esset minister legitimus, ministratos, simpliciter nullos & irritos habendos esse; nec vllam legem rogatam exstare hoc in casu, quod repeti debeant. ISAACVS CASAVBONVS, qui ex mandato *Iacobi* regis & in defensionem illius contra IACOBVM DAVY PERRONIVM, ecclesiæ *Romanæ* purpuratum, annis aliquot post colloquium *Hamptoncurianum* scripsit, nomine ecclesiæ *Anglicanæ* hunc in modum loquitur [*e*]. *Quod igitur de nascente olim ecclesia dixit TERTVLLIANVS, Baptizare episcopum, presbyterum, diaconum: Postremo etiam laicis ius esse, in extremæ videlicet necessitatis casu; hoc ipsum in ecclesia Anglicana, quod ad episcopos presbyteros & diaconos hodieque seruatur, sine vlla vel temporis rigida & penitus inuiolabili obseruatione: Laicorum vero baptismum, aut feminarum, vt fieri legibus suis vetat, sic factum ex legitima formula quodammodo non improbat, baptismum esse pronuntians, etsi non legitime administratum.*

IDEM in colloquio *Hamptoncuriano* adseruit rex *Iacobus*. Licet enim necessitatem baptismatis sic exponeret, vt illud diceret necessario suscipiendum, vbi legitime haberi possit, hoc est, a legitimis ministris administratum, a quibus solis, nec ab vllo homine priuato, quocumque in casu, dari illud posse existimabat; se tamen dicebat vehementer detestari [*f*] omnem rebaptizationem, etiamsi laicus vel femina baptizarit.

ET sane detestationem suam vna atque altera peculiari occasione demonstrauit. Quum enim quidam CROMPTONVS librum edidisset, cui titulus *religio S. Augustini*, in quo statuerat, administrationem baptismi [*g*], " in casu necessitatis laico,

(*e*) Casaubon. resp. ad epist. Perron. p. 33. Lond. MDCXII.

(*f*) *Conference of* Hampton-Court p. 18.

(*g*) Crompton*'s Relig. of* St. Austin. p. 95.

" mul-

" multo magis mulieri, ex opinione AVGVSTINI peccatum ve-
" niale esse; veniale licet, peccatum tamen, & officii alieni vsur-
" pationem:" IACOBVS rex, narrante FEATLIO [b], ex parte improbauit ea, quæ scripserat CROMPTONVS. Et quum ipse se defenderet dicendo, "in colloquio *Hamptoncuriano* baptismum mulierum prorsus reiectum esse; et licet antea mulieribus permissum fuerit baptizare in casu necessitatis, nouam tamen rubricam baptismum adstringere ad ministrum legitimum:" Rex contra hoc responsum excepit dixitque "in omnibus quantum libet seueris verbis libri communium precum nihil de baptismo mulierum reperiri, quo vel prohibeatur, vel iam datus damnetur. Neque AVGVSTINVM simpliciter damnare baptismi administrationem per laicum vel mulierem in casu necessitatis tamquam crimen, sed dicere, aut non esse peccatum aut veniale quoddam esse." Atque hanc dicebat esse summam eorum, quæ *Hamptoncurii* hoc in negotio sint transacta, tametsi quidam ea male intellexerint. Ex quibus manifeste apparet, quid de sensu & praxi ecclesiæ *Anglicanæ* iudicauerit rex *Iacobus*, quod licet hominibus laicis nullam dederit baptizandi auctoritatem, non tamen absolute damnauerit baptismum iam datum, aut publico quodam statuto illum repeti iusserit. Hæc erat sententia regis, quam hac occasione paucis hebdomadibus ante, quam diem obiret supremum, declarauit.

IMPERANTE *Carolo* primo AMBROSIVS quidam FISHERVS defensionem liturgiæ *Anglicanæ* scripsit *Lond.* MDCXXX, qua eamdem adsertionem tuitus est, Quod licet laicis interdictum sit, ne baptizent, tamen si fecerint, baptismus eorum validus sit nec repetendus.

IOANNES quidem FORBESIVS, doctissimus theologiæ professor in *Scotia*, peculiari dissertatione, quæ in illius *instructionibus historico - theologicis* [i] reperitur, huic adsertioni sese opposuit, vbi lector beneuolus omne robur argumentorum in partem con-

(b) Featly's cygnea cantio q. 21.

(i) Forbes. instruct. hist. lib. X. c. XIV.

trariam


[redacted] enim vero eiusmodi principiis nititur, [redacted] icanus tueri potest, nec vllus scriptor [redacted] st. Nam non minus baptismum, a diaconis quam [redacted] tratum, validum esse negat ac pernegat, quum tam [redacted] possit planius auctoritate & potestate, quam ecclesia [redacted] o & formula ordinationis concedit; nam ibi illis d[redacted]r, *Quod pertineat ad officium diaconi in ecclesia, vt absente [redacted]rdote baptizent infantes.* Adeoque quum episcopus dicit, *Accipe [redacted] itatem exsequendi officium diaconi in ecclesia Dei tibi commi*[redacted], intelligi id debet, quod inter alia munia potestas & auctoritas baptizandi illis conferatur. Iam vero si baptismus diaconorum est inualidus, vti contendit FORBESIVS, si nullus praeter sacerdotem eum ministrare, nec absolutionem ac veniam peccatorum, quae ad hoc sacramentum pertinet, impertire potest; ecclesia *Anglicana* adhuc errauit, quotiescumque diaconis ordines contulit auctoritatemque dedit baptizandi. Si vero ecclesia potestatem habet dandi diaconis auctoritatem baptizandi, baptismus eorum non solum validus est, sed legitima etiam auctoritate praeditus. Et sane vir ille eruditus & reliqui omnes, qui diaconorum baptismum inualidum esse dictitant ex hoc quidem principio, Quod sacerdotali potestate destituantur, in magno versantur errore, quo consuetudinem oppugnant, in constitutione ecclesiae *Anglicana* tam firmiter stabilitam. Verum enim vero certum est, manifestam esse illum inter & ecclesiam dissensionem de hoc capite; neque adeo ecclesiae nostrae sensum loqui putandus est, quando diaconorum baptismum inualidum pronuntiat. Neque vllam regulam ecclesiae producit ad irritum declarandum baptismum laicorum, sed ex aliis principiis argumentatur, quae in antecedentibus huius dissertationis consideratimus.

IEREMIAS TAYLORIVS [k] eiusdem laicorum baptismos, quocumque in casu collatos, inualidos esse statuit: neque vero ecclesiam dicit vllam legem dedisse, qua rebaptizari iubeantur, qui a laicis illicite essent baptizati, nec ego vllum auctorem noui

(k) Taylor. duct. dubitant. lib. III. c. IV. regul. XV.

in hodiernum vſque diem, qui auctoritatem eccleſiæ pro iterando baptiſino in eiuſmodi caſibus adduxerit; ſed ſenſus ille a *Caſaubono* & *Iacobo* rege datus, ſenſus eccleſiæ *Anglicanæ* generatim creditus fuit. Et ſane ſi eccleſia plus intendiſſet, facile erat, quum rubricam ſuam mutaret, quempiam vetans baptizare præter legitimum miniſtrum, legem & decretum addere de rebaptizandis iis omnibus, qui ſecus eſſent baptizati; quemadmodum eccleſia *Gallicana* fecit tam in canonibus ſuis quam in diſciplina; quia omnes baptiſmos, qui non eſſent a legitimo miniſtro dati, abſolute nullos & vacuos eſſe ſtatuit. Quod quum eccleſia *Anglicana* numquam fecerit, credamus par eſt, non induxiſſe illam animum diſciplinæ ſuæ in requirenda rebaptizatione tantam ſeveritatem addere, quantam ſuæ addidit eccleſia *Gallicana*. *Caſaubonus* certe & *Iacobus* rex, quibus ſenſus illius ſatis perſpectus & exploratus eſſe poterat, ita eum intelligunt, nec multos inuenimus, qui ad contradicendum illis propenſi fuerint. Vt adeo tandem, quidquid in contrarium adferri poſſe videatur, concludi oporteat, quæ *Caſaubonus* nomine *Iacobi* regis dixerit, eſſe hodie ſenſum eccleſiæ *Anglicanæ*. Interdicit per leges ſuas laicis & feminis, ne baptizent: ſi autem fecerint debita forma, etſi id non approbat, baptiſmum tamen non omnino reſcindit aut iterari iubet, tamquam ſimpliciter nullum & vacuum. Qua in re an mutationem fieri expediat, non eſt meum determinare. Perfunctus pro mea parte ſum fidelis hiſtorici officio, vt aliorum caſtigarim errores, aliorum informarim iudicium, cetera in legitima quadam congregatione relinquo determinanda.

AP-



APPENDIX

CONTINENS quasdam animaduersiones in partem historicam scriptorum LAVRENTII de inualido baptismo laicorum; in dissertationem eius præliminarem de variis priscorum patrum de rebaptizatione & baptismo inualido opinionibus, & in dissertationem de potestate sacerdotali.

QVVM dissertationem antecedentem propemodum absoluissem, occasionem nactus sum inspiciendi hæc scripta, quæ res quasdam historicas continent, ad argumentum, de quo iam agimus, spectantes. Tanto maiori cupiditate ea perlustrandi flagraui, quod auctor exacte & cogitate, etiam cum quadam accuratione mathematica, scribere præ se fert. Non excutiam in præsentiarum eius ratiocinationes, sed tantum historiam illius examinabo, in qua mihi condonabit, si ipsi in publico errores quosdam beneuole commonstrauero, qui nec regulis historiæ nec methodo & rationi scribendi mathematicæ respondent. In dissertatione sua de *potestate sacerdotali* cap.V. p.120. hæc verba facit: " Post concilium *Nicænum* propositio maior, Quod illi, " quos laicus baptizet, denuo baptizandi sint, adeo recte se habere " credita est, vt indubitatum principium esset, quo *Luciferianos* " confutarent *Orthodoxi;* sic enim argumentantur: Illi, quos " laicus baptizat, denuo baptizandi sunt; atqui illi, quos sacer- " dos *Arianus* baptizat, non sunt denuo baptizandi, ergo sacer- " dos *Arianus* non est laicus. Hoc argumentum ita percellebat " HILARIVM diaconum, vt cogeretur negare maiorem, quam

" antea concesserat LVCIFER, magister ipsius, nimirum, quod illi,
" quos laicus baptizet, denuo baptizandi sint; et quod HIERO-
" NYMVS adfirmat auctoritate concilii *Nicani*. *Hieron. dial. ad-*
" *ver. Luciferianos*. CHRYSOSTOMVS, archiepiscopus *Constan-*
" *tinopolitanus*, an. CCCXCVIII. expressis verbis contra ratum
" baptismi laici valorem sententiam dicit; in necessitate eum nihilo
" magis quam eucharistiam a laico administrari posse, adserens,"
CHRYSOST. Lib. III. de *sacerdotio*, cap. V. " *Omnia autem haec*, in-
" quit, (*) *haud aliter, quam per sacrosanctas illas manus perficiun-*
" *tur, manus, inquam, sacerdotum*. Haec exempla sunt, quae no-
" tis debeo viri docti & reuerendi GVILIELMI REVESII in vo-
" lum. secund. apol. IVSTINI MARTYRIS p. 263. 264." Hactenus
auctor noster.

QVO in paragrapho plures diuersi generis errores deprehenduntur. Primus & leuissimus est is, quo REVESII notas in IVSTINVM MARTYREM, loco VINCENTII LIRINENSIS falso citat. 2. REVESIVM ea facit dicentem, quae omnino non dicit, quod HILARIVS diaconus coactus sit negare maiorem propositionem argumenti, quam LVCIFER, illius magister, antea concesserit, nimirum, quod illi, quos baptizet laicus, denuo baptizandi sint; et, quod HIERONYMVS hoc adfirmet auctoritate concilii *Nicaeni*: quandoquidem REVESIVS diserte dicit, quod HILARIVS non negarit maiorem propositionem, sed assumtionem, quam LVCIFER, magister ipsius, concesserit; quae fuit, Quod illi, quos sacerdos *Arianus* baptizet, non sint denuo baptizandi, & quod hanc ipsam assumtionem HIERONYMVS auctoritate concilii *Nicaeni* confirmarit. LAVRENTIVS heic non distinguit inter maiorem & minorem propositionem, sed verba REVESII permutat infeliciter, & maiorem ponit loco assumtionis, quae minoris syllogismi propositionis locum tenet in omnibus omnino logicis. Verendum vtique nobis videtur, vt historiam accurate contextam inueniamus, vbi ex antiquis *Graecis* & *Latinis* scriptoribus petenda est ab homine, qui in ipso *Anglicano* auctore transscribendo tam infeliciter peccauit. Videamus iam 3. Quomodo in antiqua historia lapsus sit per hunc errorem. LVCIFERVM

(*) Πάντα δὲ ταῦτα δι᾽ ἑτέρου μὲν οὐδενὸς, μόνον δὲ διὰ τῶν ἁγίων ἐκείνων ἐπιτελεῖται χειρῶν· τῶν τοῦ ἱερέως λέγω.

hac

hac re testem facit pro inualido laicorum baptismo, quando eum facit dicentem, Quod illi, quos baptizet laicus, denuo baptizandi sint: quam propositionem, si clarum LVCIFERI testimonium pro ea produxerit, ego admittam, non autem prius. 4. HIERONYMVM idem facit adfirmantem generatim: et tamen planum est quam quod planissimum, HIERONYMVM laicis permittere, vt exigente necessitate baptismum conferant, quemadmodum supra ex ipso eius dialogo aduersus *Luciferianos* probaui, quo ille contrariam assertionem superstruit. 5. HIERONYMVM facit confirmantem memoratam propositionem auctoritate concilii *Nicæni:* Nec tamen vllus istiusmodi canon in concilio *Nicæno* exstat, nec HIERONYMVS quempiam exstare dicit: sed tantum canon illic reperitur, qui quibusdam episcopis & presbyteris hæreticis permittit honore loci sui frui, ita vt, vbi ad ecclesiæ catholicæ vnitatem redeant, non sint de gradu deiiciendi, nec in laicorum habendi numero. 6. CHRYSOSTOMVM, ait, expressis verbis contra omnem baptismi laici valorem sententiam dicere & adserere, in necessitate eum nihilo magis a laico administrari posse quam eucharistiam. At enim vero CHRYSOSTOMVS nec necessitatis mentionem vllam iniicit, nec baptismi laicalis, nec eum inualidum pronuntiat; sed tantum dicit, baptismum haud aliter, quam per manus sacerdotum perfici. Quod si sensu strictissimo accipiendum esset, vt omnes præter sacerdotes in extrema necessitate exclusos vellet CHRYSOSTOMVS, diaconos non minus quam laicos excludi oporteret; nisi forte hic auctor dicere velit, diaconos esse sacerdotes, aut ostendere, quod CHRYSOSTOMVS illos eo loco habuerit, quod certus sum eum non fecisse, & tamen illis licentiam permittit baptizandi in necessitate, vbi presbyter inveniri non possit: quemadmodum ante fusius demonstraui adversus FORBESIVM, vbi huic ipsi obiectioni respondi. Si vero talibus viris, quales sunt FORBESIVS & REVESIVS, quorum hic auctoris nostri dux fuit, error quidam hac in re fuit obiectus, non miror, scriptorem minus peritum illos promte esse sequutum. Quod autem ad reliquos LAVRENTII errores attinet, illi sane adeo grandes sunt & manifesti, vt ipsum putem vi iuris, quo & REVESIO & omnibus lectoribus suis tenetur, compelli ad fucos suos ingenue agnoscendos erroresque corrigendos; sicut

ſe facturum liberaliter promiſit, ſi a quopiam meliora modeſte eſſet edoctus.

PROXIMVM, quod memorare placet, eſt modus tractandi BASILIVM, quippe cui argumentum aliquod adfingit, quo eum ſibi ipſi facit contradicentem. "BASILIVS, inquit, p. 119. ſic ar-
" gumentatur: Illi, quos laicus quidam baptizat, ſunt rebapti-
" zandi; atqui illos, quos hæreticus vel ſchiſmaticus baptizat,
" baptizat laicus, Ergo ſunt rebaptizandi. Hoc argumento vte-
" batur, baptiſmos hæreticorum & ſchiſmaticorum nullos & va-
" cuos eſſe probaturus; eoſque tales iudicabat, quia eiuſdem na-
" turæ eſſe exiſtimabat, cuius hodie ſunt baptiſmi laicorum. Ma-
" ior eius propoſitio, Quod illi, quos laicus baptizet, ſint reba-
" ptizandi, non negabatur; non habebat opponentes, qui iſtos
" baptiſmos defenderent. Quidquid ei opponebatur, hoc erat,
" quod minorem eius negarent, quod eos, quos hæreticus vel
" ſchiſmaticus baptizet, laicus baptizet. - - Et idcirco, licet
" non negarent, baptiſmum laicalem nullum eſſe & vacuum;
" adfirmabant tamen, hæreticorum & ſchiſmaticorum bapti-
" ſmos eſſe veros, quia non ſint baptiſmi laicales; & de hoc ad-
" ſerto BASILIVS illis adſentiebatur." *Baſil. can. epiſt. ad Amphiloch. can. 1.*

NVM vero BASILIVS de hoc adſenſus eſt, hæreticos & ſchiſmaticos eſſe laicos & non eſſe laicos eodem tempore? Num adſenſus eſt, baptiſmum eorum nullum & vacuum, & tamen, hoc non obſtante, etiam verum eſſe? Aut BASILIVS valde imbecillis fuit, vt ſibi ipſe contradixerit, aut auctor noſter adeo imbecillis fuit, vt talem ei contradictionem imputarit. Sed fortasſis hoc a REVESIO habet, cui omnia iſta exempla ſe debere profitetur. Non equidem hoc de REVESIO crediderim; ſi vero ſic eſt, REVESIVS pro ſe ipſe reſpondeat, oportet. Interim ego reſpondebo auctori noſtro. BASILIVS hoc non adfert tanquam ſuum ipſius argumentum, ſed tantum recenſet vt argumentum CYPRIANI & FIRMILIANI. Auctor autem noſter non diſtinguit modum, quo quis hiſtoricum agit a modo, quo quis ſe gerit logicum. Eodem iure dicere poſſet, omnia argumenta, in hoc libro a me recenſita, eſſe mea ipſius, quia tot virorum argumenta & opiniones de ſubiecta materia enarraui. Si BASILIVM inſpexiſſet

xiſſet ipſe, id videre potuiſſet. Anne vero BASILIVS baptiſmos laicorum & hæreticorum nullos & vacuos eſſe iudicauit? Iudicauit vtique. Tum vero non dixit, veros etiam eſſe & validos: ſed vero tam modeſtus erat, vt non damnaret iſtas eccleſias earumue repudiaret communionem, quæ & opinione & conſuetudine ab ipſo diſſiderent. Vnde etiam, quum eſſent aliæ eccleſiæ in *Aſia*, baptiſmum ſchiſmaticorum ſuſcipientes, illos, qui earum membra erant, monet, vt ſuæ quiſque eccleſiæ conſuetudinem & praxin ſequantur; ἔστω δεκτόν, *ſuſcipiatur*. De hæreticis autem non dicit idem, ſed vnamquamque eccleſiam eorum baptiſmum iterare debere exiſtimat. Magnum enim diſcrimen inter baptiſmum hæreticorum & ſchiſmaticorum ſtatuit, atque ita auctor noſter diſtinguere debuiſſet, ſi opinionem BASILII voluiſſet recte exhibere. Licet enim priuatum ipſius iudicium eſſet, vtroſque rebaptizari oportere, ſchiſmaticis tamen aliquantum indulgebat, qui fidem chriſtianam cuſtodiunt, quod non faciebat hæreticis, qui eam deſtruunt. Et idcirco in aliis eccleſiis indulgeri quidem illis quodammodo permittit, his autem non permittit. Produxi locum ſupra cap. I. §. XX. quo lectorem remitto.

VENIO iam ad diſſertationem eius præliminarem de variis opinionibus, quas de rebaptizatione & baptiſmis inualidis habuerint priſci patres. Heic generatim obſeruo, eum antiquam hiſtoriam ſatis imperioſe recitare, ita vt nullum locum in auctoribus ſuis ſpecialius indicet, ex quo de adſertionum ipſius veritate iudicare poſſint lectores. Ita dicit p. 2. *Stephanianos* inter alia argumenta, quæ pro ſtabiliendis hæreticorum baptiſmis congeſſerint, hoc etiam vſos eſſe: " Quod catechumeni, qui ſine baptiſmo deceſſe-" rint, non fuerint eam ob rem damnati; multo minus illi, qui " baptiſmum receperint quanquam ab hæreticis & ſchiſmaticis". Non diſcepto adſertionem eius de catechumenis, ſed hoc ſolum ab eo requiro, vt publice doceat, in quo ſcripto *Stephanianorum*, quos vocat, hoc inuenerit ſtabilitum, Quod illi, qui baptiſmum ab hæreticis vel ſchiſmaticis receperint, in ſtatu reperiantur beatitudinis. Et ſi auctorem ſuum indicauerit, ad iudicandum de huius aſſerti veritate magis erimus idonei.

Pag. 10. MEMINIT, ATHANASIVM ſæculo quarto hæreticorum reieciſſe baptiſmum. Quo ipſo indicare vult, ATHANA-

SIVM

SIVM eamdem, quam CYPRIANVS habuit, fouiſſe opinionem, & baptiſmos hæreticorum generatim omnes reieciſſe. At vero lectori ſuo non indicat locum, ſed hic neceſſe habet duo vel tria magna volumina operum ATHANASII perquirere. Verum tamen orationem eius tertiam contra *Arianos* ab eo intelligi puto, tom. I. p. 413. (*) vbi aduerſus baptiſmum *Arianorum* diſputat, eumque vt inualidum reiicit, quia doctrinam fundamentalem de ſacroſancta TRINITATE repudient, etiamſi formam baptizandi in ecclesia vſitatam ſeruent. Hoc autem non eſt ſimpliciter reiicere baptiſmum hæreticorum; reliquorum enim omnium baptiſmum admittit, quemadmodum in præcedente diſſertatione oſtendi, cap I. §. XX.

EADEM pagina teſtimonium adfert PACIANI, loci, vbi exſtet, nullam faciens mentionem; ſed vero vix dignum eſt, cui inueſtigando lector immoretur. Nequaquam enim facit ad rem. Nam PACIANVS dicit, "lauacro (h. e. baptiſmo) peccata purgari, "chriſmate SPIRITVM SANCTVM ſuperfundi, vtraque vero "iſta, manu & ore antiſtitis impetrari (**)". Quid hoc teſtimonium probat de rebaptizatione vel baptiſmo inualido? Aut plane nihil valet, aut plus quam auctor noſter id valere voluerit, quod videlicet baptiſmus nihilo magis validus ſit, quam confirmatio, niſi manu & ore impetretur epiſcopi. Hoc enim omnem poteſtatem ſacerdotalem deſtrueret, & baptiſmum presbyterorum non minus inualidum redderet, quam baptiſmum diaconorum & laicorum.

Pag. 11. PROXIMO loco OPTATVM producit, adhuc autem lectorem ſuum in tenebris detinet, eumque cupit perlegere ſeptem libros contra *Parmenianum*, vt vnum aliquem locum in hoc ſcriptore inueniat, qui, vt ei quidem videtur, dicat, "Quod "eos baptizare debeamus, qui ab hæreticis baptizati ſint; quod "autem non idem definiat de illis, qui apud ſchiſmaticos bapti- "ſmum ſuſceperint". Si auctor noſter cum lectore ſuo egiſſet humane, ad librum V. OPTATI p. 85. eum remiſiſſet, vbi com-

(*) Pag. 510. orat. II. edit. Pariſ. MDCXCVIII.

(**) Habetur hic locus in ſermone de bapt. in bibl. patr. tom. IV. p. 318. h. edit. Lugd. MDCLXXVII. Conf. Origin. eccleſ. lib. XII. cap. I. §. I. ſub litt. (g).

modo

modo suo inuenire potuisset, quod non omnium omnino haereticorum baptismum reiecerit, sed eorum tantum, qui non baptizarent in sacrosancta TRINITATE. OPTATVS enim in eadem, qua ATHANASIVS, erat opinione dicitque, quicunque homines baptizati fuerint in TRINITATE, eorum baptismum non esse repetendum, si ad ecclesiam catholicam transitum faciant. Produxi hunc locum supra, neque necesse est eum heic repeti.

ANIMADVERSIONES eius in concilium *Illiberritanum* satis recte se habent: Quod fuerit tantum concilium particulare; et quod quibusdam duntaxat laicis auctoritatem baptizandi dederit, non omnibus: et his quidem, non refragantibus eorum episcopis, sed ex illorum auctoritate & iussione agentibus.

QVAE autem proxime sequuntur animaduersiones eius in concilium *Arelatense* p. 12. non adeo iustae sunt & accuratae. Imminuit enim auctoritatem huius concilii, dum falsas subscriptiones sequitur, quae tantum triginta tres episcopos in illo adfuisse arguunt: Quum tamen fuerit plenarium concilium vniuersi orbis christiani per occidentem, vti ab AVGVSTINO vocatur, & ducentis episcopis constiterit, quemadmodum CAESAR BARONIVS, EMANVEL SCHELSTRATIVS, ANTONIVS PAGIVS & plerique eruditi critici, si ab HENRICO VALESIO discesseris, facile largiuntur. Porro p. 13. ait, "Veteres haereticos & schismaticos, " quorum baptismos illud concilium admittat, communiter ordi- " nationem ex vnius vel alterius episcopi catholici manibus acce- " pisse; vnde concludit, hosce baptismos non fuisse antiepisco- " pales ". Quod vtrumque falsum est. Multae enim istorum temporum haereses longiorem habebant propriorum episcoporum successionem, qui non ordinati fuerant ab episcopis catholicis, vt *Nouatiani*, *Quartadecimani* & diuersi alii, qui certe non agebant ex vlla ecclesiae catholicae auctoritate, quando extra ecclesiam catholicam erant, manifesto illi sese opponentes. Et licet omnes ab episcopis catholicis ordinati fuissent, haud diutius tamen ministrandi auctoritate instructi erant ab ecclesia catholica, quam in ecclesia perseuerarent. Simul ac vero in haereses & schismata prolapsi essent, antiepiscopales erant, proprie loquendo,

 vsque

vſque dum ad centrum vnitatis in eccleſia reuerterentur. Si hic auctor ſecus ſentiat, mentem ſuam hac de re plane & rotunde explicet. Interea adfirmare audeo, baptiſmos antiepiſcopales fuiſſe quodammodo materiam ſubiectam huius concilii, propterea quod baptiſmi hæretici & ſchiſmatici ſubiecta eius materia fuerunt.

Pag. 13. DICIT "poſt concilium *Nicænum* principium illud " inualuiſſe, quod illos, qui a laico ſint baptizati, rebaptizari " oporteat; et quod ipſe *Lucifer* hanc propoſitionem recte ſe " habere faſſus ſit;" At vero iam confeci rationes cum hoc auctore de multis & magnis erroribus eius hac in materia, quare heic eas repetere ſuperſedeo.

Pag. 16. CANONEM octauum concilii ſecundi *Carthaginenſis* citat his verbis: *Si quis presbyter ab epiſcopo ſuo excommunicatus, putauerit ſeparatim Deo ſacrificia offerenda vel aliud erigendum altare, & hoc ipſo ſchiſma fecerit, anathema ſit; quia vna tantum eſt eccleſia, vna fides, vnum baptiſma.* (*) Nota eius in hunc canonem eſt, " Quod hoc vnum baptiſma nequeat intelligi extra " hanc vnam eccleſiam eſſe, & quod propterea ſit tantum in il- " la. " Verum hæc nota admodum timide & ambigue facta eſt. Cur non loquitur aperte dicitque, omnes iſtiuſmodi baptiſmos plane vacuos, nullos & inualidos eſſe, & vt tales repetendos? Fortaſſis autem præſenſit, id nimis manifeſto menti iſtius concilii eſſe contrarium, quod non habuit conſilium declarandi iſtos baptiſmos ſimpliciter inualidos & vacuos, ſed tantum illegitime datos ab illis, qui nulla fuerint præditi auctoritate dandi eos in tali conditione, quoad in ſchiſmatica erga epiſcopum ſuum contumacia perſeuerarent, quamuis alioqui legitimam ordinationem ab ipſo accepiſſent. Quod conuincere auctorem noſtrum poterit, ſi conuinci velit, baptiſmos quoslibet auctoritate deſtitutos & illegitimos non ſtatim eſſe inualidos. Nam baptiſmus alicuius ſacerdotis, in iſtis circumſtantiis, quas concilium nominat, datus auctoritate caret & illegitimus eſt non minus quam baptiſmus alicuius laici, neque tamen iterandus, vbi ſic baptizatus ad eccleſiam reuertitur. Et id porro ipſum con-

(*) Vltima verba: *quia vna tantum eſt eccleſia, vna fides, vnum baptiſma,* non invenio in iſthoc canone, apud Labbeum tom. II. concil. p. 1161. & ipſe etiam canon paullo aliter habet. Gr.

vincere

vincere poterit, hæc vocabula, baptiſma inualidum, & baptiſma laicale, vocabula eſſe diuerſi valoris, etiamſi plerumque confundantur & idem valere iubeantur ab auctore noſtro; quod πρῶτον ψεῦδος eſt in vniuerſo eius libro. Nam

Pag.24. DENVO repetit, "Quod eccleſia in haud vllo concilio generali quidquam definierit de baptiſmis, auctoritate deſtitutis & antiepiſcopalibus;" Quaſi baptiſmi hæreticorum vel ſchiſmaticorum, vel ſacerdotum excommunicatorum non deſtituerentur auctoritate, nec ante memorata concilia *Nicænum, Arelatenſe* vel *Carthaginenſe* vllum decretum de illis condiderint.

Pag.26. DICIT, "Prouinciam ſuam non habere niſi laicalem, hoc eſt auctoritatis expertem baptiſmum, talem, qualis exhibeatur a perſonis nihil auctoritatis eam in rem habentibus. - - Et aduerſarios pro ſe ne vllum quidem, ſiue vniuerſale ſiue prouinciale, concilium ante corrupta illa eccleſiæ *Romanæ* poſſe producere." Heic iterum baptiſmos laicales cum baptiſmis auctoritate deſtitutis confundit. Quaſi omnes baptiſmi laicorum ſimpliciter deſtituerentur auctoritate, quum tamen nonnunquam auctoritate epiſcoporum & canonum certis in caſibus ſint comprobati: Aut quaſi nulli baptiſmi ſine auctoritate eſſe poſſint, niſi baptiſmi mere laicales; quum tamen in confeſſo ſit, quod baptiſmi ſacerdotum excommunicatorum non minus auctoritate deſtituantur quam baptiſmi mere laicorum. Et quomodo dici vere poteſt, non poſſe vllum concilium produci, quod baptiſmum laicalem aut ſine auctoritate datum, validum eſſe decreuerit, quum ipſe fateatur, concilium *Illiberritanum* admiſiſſe alterum, alterum autem tot alia concilia habuiſſe ratum?

Pag.28. TERTVLLIANVM citat vtentem his verbis: *Baptiſmum dandi ius habet epiſcopus. Hæretici dare eum non poſſunt, quia non habent; vnde præceptum habemus, quo eos iubemur rebaptizare.* Pauca hæc verba ex duobus tribusue diuerſis locis TERTVLLIANI collecta ſunt, quare bene feciſſet, ſi librum & capita in lectorum ſuorum gratiam diſtincte adſcripſiſſet: id quod in antecedente diſſertatione a me iam factum eſt. Loca ſunt TERTVLL. *de bapt.* cap. XV & XVII. & *de pudicit.* cap. XIX. Vbi quidem præcepti de rebaptizandis hæreticis fit mentio; at vero hoc præceptum non erat, vti auctor noſter fuiſſe dicit, lex & praxis

 ecele-

ecclesiæ, sed *praeceptum Domini in euangelio & apostoli litteris*, quemadmodum ipse TERTVLLIANVS id reddit, quod præceptum est, quo hæreticorum rebaptizationem superstruit, tametsi auctor noster id falso interpretatur. In libro de *pudicitia*, (*) fateor, loquitur de consuetudine rebaptizandi hæreticos vt ethnicos; sed vero præceptum, ex quo hanc consuetudinem probat, non est præceptum ecclesiæ, sed præceptum CHRISTI. Verumtamen auctor noster heic facile potuisset diiudicare, si ex eius fuisset vsu, quod TERTVLLIANVS de præcepto quodam loquatur, & quod præceptum illud lex & præceptum ecclesiæ sit, a præcepto CHRISTI distinctum. Quando vero TERTVLLIANVS de licentia loquitur, quam habeant laici baptizandi in necessitate, tum, ex opinione quidem nostri auctoris, peregrinas & inusitatas notiones, opiniones suas priuatas, non ecclesiæ consuetudinem & licentiam, enarrat, quamquam vnusquisque, qui sine præiudicata opinione hæc loca inter se conferre volet, facile deprehendet, quod alteram æque ac alteram ecclesiæ praxin faciat, & vtramque æqualiter firmet lege CHRISTI seu præcepto euangelii, quod auctor noster perperam pro canone ecclesiæ accipit.

Pag. 29. AIT, concilium *Illiberritanum* sæculo quarto canonem fecisse de suscipiendo baptismo laicali: et tamen paullo ante p. 26. audiuimus ipsum adserentem, baptismum laicalem eumdem esse atque baptismum auctoritate destitutum, nec posse quidem prouinciale aliquod concilium ante corrupta illa *Romana* pro illo produci.

EADEM pagina iterum insistit BASILII & CHRYSOSTOMI testimoniis, & disputationibus catholicorum contra *Luciferianos* in eodem sæculo illisque priuatam TERTVLLIANI opinionem tantum non præponderari existimat. Cur autem illa non existimat præponderari concilii *Illiberritani* decreto? Quæ si reuera a TERTVLLIANI, hominis priuati, opinione discordant, non minus etiam a publici concilii *Illiberritani* sententia discordant.

(*) Verba Tertulliani h.l. sic habent: Cui enim dubium est hæreticorum institutione deceptum, cognito postmodum casu & pœnitentia expiato & veniam consequi & in ecclesiam redigi? Vnde & apud nos vt ethnico par immo & super ethnicum hæreticus etiam per baptisma veritatis vtroque homine purgatus admittitur.

Enim

Enim vero pleraque ex iſtis, quæ venditat, teſtimoniis nec TERTVLLIANO nec concilio *Illiberritano* aduerſantur; quemadmodum ſpeciatim ex CHRYSOSTOMO & HIERONYMO in antecedente diſſertatione ſemel atque iterum obſeruaui. Quum vero auctor noſter tam ſæpe ac multum de catholicorum (in plurali numero) diſputationibus, cum *Luciferianis* ſæculo quarto agitatis, diſſerat, rogo ipſum, vt, quos auctores contra *Luciferianos* præter HIERONYMVM legerit, nos faciat certiores: commodum id faciet mihique inter alios gratiſſimum.

PRAECIPVVM autem eius teſtimonium adhuc reſtat, & vero adeo parum ad rem facit, vt fere animum induxerim ſilentio illud prætermittere. Narrat *pag. 29.* IGNATIVM, inclutum illum martyrem, qui æuo vixit apoſtolorum, in ſua ad *Smyrnenſes* epiſtola in hunc modum ſcribere: *Rata eucharistia habeatur illa, quæ ſub epiſcopo fuerit, vel cui ipſe conceſſerit. Non licet ſine epiſcopo neque baptizare, neque offerre, neque ſacrificium immolare, neque conuiuium dominicum celebrare: ſed quocunque illi viſum fuerit, ſecundum beneplacitum Dei eſt: vt tutum & ratum ſit, quodcunque agitis* (*) Hæc auctor noſter cum doctrina CYPRIANI exacte congruere arbitratur, atque ita rebaptizationem hæreticorum & ſchiſmaticorum ab ipſis apoſtolis vult deducere. Num vero IGNATIVS alicubi dicit, hæreticorum & ſchiſmaticorum baptiſmos ſimpliciter nullos eſſe atque iterandos? Ait quidem, nec licitum nec tutum eſſe baptizare ſine epiſcopo & contra illius auctoritatem & mandatum. Id autem omnes & ſingulos dicturos credo, qui muneris epiſcopalis auctoritatem in debito honore habent. An vero hinc ſequitur, vt omnes baptiſmi abſolute inualidi ſint & vacui, quos ſchiſmaticus presbyter animo in epiſcopum ſuum contumaci dederit? Intutum eſt haud dubie miniſtro & plebi, baptizanti & baptizato, habere aliquid negotii in eiuſmodi baptiſmis. Non poſſunt ſaluo officio chriſtiano & ſine crimine, ſi ſchiſma crimen eſt, in eiuſmodi ba-

(*) Græca verba hæc ſunt: Ἐκείνη βεβαία εὐχαριστία ἡγείσθω, ἡ ὑπὸ τὸν ἐπίσκοπον οὖσα, ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ. - - - οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν, οὔτε προσφέρειν, οὔτε θυσίαν προσκομίζειν, οὔτε δοχὴν ἐπιτελεῖν· ἀλλ' ὃ ἂν ἐκείνῳ δοκῇ, κατ' εὐάρεστον Θεοῦ· ἵνα ἀσφαλὲς ᾖ καὶ βέβαιον πᾶν ὃ ἂν πράσσητε.

ptiſmatum adminiſtratione perſonæ agentis vel patientis partes ſuſcipere; quia agunt cum contemtu & impugnatione legitimæ illius auctoritatis, quam in eccleſia ſua ſtabiliuit DEVS. At vero hoſce errores corrigendi ratio non eſt in eo poſita, vt ſacramentum iteratione aboleatur, ſed vt ipſos illiciti modi dandi & recipiendi illud cum contemtione legitimæ auctoritatis & præſcriptarum regularum eccleſiæ pœniteat. Auctor autem noſter, ſicut iam obſeruaui, ſemper confundit baptiſmum auctoritate deſtitutum cum baptiſmo inualido; et ſi quis actus in adminiſtrante vitioſus, irregularis & illegitimus fuerit, ſtatim concludit, oportere eum eſſe nullum & vacuum in recipiente. Qui magnus eius error eſt per vniuerſum illius librum, maxime vero in interpretatione huius loci *Ignatiani.*

VNAM tantum obſeruationem adhuc faciam in auctoris noſtri diſſertationem præliminarem, quæ ad opinionem eius de inualido hæreticorum & ſchiſmaticorum baptiſmo attinet, vbi mentem ſuam ita declarat *pag.* 27 & 28. "Vt adhuc ſemel reuertar ad diſ- " putationem ætate CYPRIANI habitam & decreta, tum quidem " & poſtea facta, diſſimulare non poſſum, quod argumenta & " determinationes, contra hanc doctrinam & praxin factas, non " putem habere id ponderis & firmitatis, quod ſtudioſus rerum in- " dagator ex illis merito exſpectauerit. Et quod e contrario ſen- " tiam, CYPRIANVM eiuſque collegas adſertionem ſuam, Quod hæ- " reticorum & ſchiſmaticorum baptiſmi ſint inualidi, tanto cum " iudicio & tam grauibus argumentis, ex topica iſtorum hære- " ticorum vel ſchiſmaticorum, ſanctis ordinibus, dum extra ec- " cleſiam CHRISTI eſſent, deſtitutorum petitis defendiſſe, vt mi- " rer, qui potuerit fieri, vt doctrina eorum poſtea exploderetur, maxime ſi conſiderem, quod, quidquid hac in re docuerint vel fecerint, a quam plurimis conciliis confirmatum ſit " priſcis illis temporibus, vbi veritas plus valuit, quam poſtea; " et quod TERTVLLIANVS multo ante idem adſirmauerit. Immo vero IGNATIVM dicit, idem ſtatuiſſe, quod CYPRIANVS " ſtatuerit, nihilque putat contrariæ opinioni fidem & approbationem potuiſſe conciliare, niſi monſtroſum hæreſium & ſchiſmatum incrementum in poſterioribus ætatibus, quæ res " cum multis aliis cauſſis in eccleſiam *Romanam* & reliquas occiden-

" cidentales ecclesias, ab illa in seruitutem redactas, incredibi-
" lem exitiosarum doctrinarum & consuetudinum farraginem
" inuexerit, adeo vt postremis temporibus parum veræ & soli-
" dæ religionis in ecclesiis communionis istius residuum fuerit."

IAM VERO has res iunctim positas consideremus breuiter, & videamus, quid hinc consequatur. Baptismi hæreticorum & schismaticorum sunt inualidi. Baptismi ecclesiæ *Romanæ* sunt baptismi hæreticorum & schismaticorum; siue, vt ipse loquitur, baptismi talis ecclesiæ, in quam incredibilis exitiosarum doctrinarum & consuetudinum farrago inuecta est, & cuius in communione parum veræ ac solidæ religionis remansit: Ergo baptismi ecclesiæ *Romanæ* sunt inualidi. Iam si baptismi ecclesiæ *Romanæ* sunt inualidi, ex hoc quidem principio, Quod baptismi hæreticorum & schismaticorum sint inualidi; Quid tum statuendum erit de valore baptismorum ecclesiæ *Anglicanæ* & omnium aliarum ecclesiarum, quæ a papatu fecerunt secessionem? Nonne illæ vniversæ baptismum suum acceperunt ab ecclesia hæretica *Romana*, quæ secundum auctoris nostri principia non potuit baptismum validum dare, multo minus potestatem baptizandi conferre aliis? Nonne hoc tam planum est quam vlla demonstratio in EVCLIDE, aut vlla syllaba alicuius argumenti in libro nostri auctoris, Quod, si baptismus hæreticorum vel schismaticorum inualidus sit; et vero ecclesia *Romana* sit hæretica vel schismatica ecclesia, & ecclesia *Anglicana* baptismos suos ab illa ecclesia nec ab vlla alia primitus acceperit; Quod, inquam, hinc sequi necesse sit, vt omnes baptismi ecclesiæ *Anglicanæ* sint inualidi, & verus baptismus a sacerdotibus eius nihilo magis administretur, quam ab aliis? Nam omnes non nisi imaginarii sacerdotes sunt, quippe qui baptismum suum & ordinationem ab hæreticis & schismaticis primitus acceperunt, qui non habuerunt potestatem vllum sacramentum aut vllos ordines conferendi, nisi tales, qui sunt inualidi. Auctorem nostrum credo non vidisse huius argumenti consequentiam, quæ vniuersam ecclesiam *Angliæ* ipsumque auctorem inter reliquos, etiamsi iam bis baptizatus aut lotus sit, simul & semel baptismo spoliat. Noui equidem, eum declarasse *pag.* 31. "Quod non
" induxerit animum quidquam rationis cum disputatione *Cypri-*
" *anica* habere in sua dissertatione; quod non sit suarum partium
" inqui-

" inquirere, num hi, qui aliquando iusto modo auctoritatem acceperunt, & postea in hæresin vel schisma prolabuntur, & hoc ipso sese ipsi separant & excludunt ab ecclesia, valida sacramenta & ordines validos, durante hac ipsorum separatione, conferre possint: immo ne attingere quidem hoc vult, quia ad caussam suam nihil id attinere iudicat." Sed vero iam attigit, suamque de eo opinionem libere declarauit. Commonstraui etiam ipsi, quod non animaduertit, ad caussam ipsius nimium quantum attinere; neque solum ad eius caussam, sed ad caussam etiam totius ecclesiæ *Anglicanæ* & omnium ecclesiarum, quæ per reformationem a papatu secessionem fecerunt; quæ omnes baptismate carent, neque adeo sacerdos in illis vllus est, neque christianus, si principium, quod ille vrget, recte se habet, Quod baptismus hæreticorum & schismaticorum prorsus sit inualidus. Vnde alius generis sacerdotem quærat, necesse est, a quo tertium tingatur valido baptismo, quem in ecclesia *Anglicana* nancisci haud potest, nec in ecclesia *Romana*, nec in ecclesiis protestantibus, quæ omnes baptismum suum inualidum ex vna eademque origine deriuant. Igitur *Constantinopolin* adeat, oportet, vt sacerdoti ecclesiæ *Græcæ* id negotii committat. Quo si venerit, fortassis easdem difficultates deprehendet in ista ecclesia, quas principium ipsi suum obiicit in ecclesis *Europæis* propinquioribus. Nam in illa ecclesia quærere poterit, anne dogmata quædam hæretica vel schismatica tueatur? Habet omnino quosdam ex erroribus *Romanensibus*: et vt locutione quadam auctoris nostri vtar p.30. " Nimium fermenti illius adhuc residuum in ea est; Vna aliqua ex magnis & peculiaribus corruptelis (vt auctor noster eam vocat) in materia de baptismo laicorum & baptismo obstetricum " adhuc fouetur ab vniuersa illa ecclesia; quemadmodum contra eruditum amicum meum cap. II. antecedentis dissertationis dilucidissime euici. Ad quam ergo ecclesiam baptismi validi gratia se recepturus sit Noster, ego quidem non video; multo minus perspicio, a quo reliqui christiani omnes rebaptizandi sint. At enim hanc repræsentationem fortassis vocabit tragicam, sicut est, sed recte tamen se habet. Conqueretur item, puto, quod principium eius vlterius vrgeam, quam ipse intenderit, eique consequentias tribuam, de quibus haud cogitarit. Id quidem amabiliter speraverim,

ſperauerim: ſed vero tum porro ipſi declarare neceſſe habeo, æquum eſſe oſtendi ei periculoſas opinionis ſuæ conſecutiones, vt de iniquitate & abſurditate eius conuincatur. Fortaſſis autem dixerit, ſe neque credere baptiſmum hæreticorum & ſchiſmaticorum inualidum, neque eccleſiam *Romanam* eſſe illam hæreticam & ſchiſmaticam eccleſiam, quam ego ex charactere ſuo & imagine repreſentarim. Lector de his rebus ex ipſis eius verbis antea recitatis optime iudicare poterit. Sin autem hanc opinionem ſuam eſſe negauerit, ego quidem illi fidem habebo, rogaturus ſaltem ipſum, vt in poſterum mentem ſuam de eiuſmodi capitibus declaret paullo apertius. Atque tum vnum adhuc ex eo quæram: Si baptiſmus hæreticorum & ſchiſmaticorum validus eſt, ex quo fundamento validus eſt? An eſt, quia æquabilem auctoritatem & idem mandatum baptizandi habent, quod habent ſacerdotes catholici? Si ita eſt, vnde iſta eorum auctoritas & mandatum deriuatur? Num ab epiſcopis catholicis eccleſiæ? Hi vero numquam ſane induxerint animum hæreticis & ſchiſmaticis impertire auctoritatem baptizandi, aut vlla alia officia eccleſiaſtica peragendi, quæ ad cleri catholici ſpectant functionem. Aut, ſi homines ad hæc officia ordinauerint, qui, ſimulac ordinati ſunt, hæretici & ſchiſmatici fiunt, eccleſiam iniuria laceſſentes & ſeparatos conuentus ad peragenda hæc officia inſtituentes, cum manifeſto eccleſiæ eiuſque legum omnium contemtu: num vlli mortalium in mentem venire poteſt, vt eos hæc omnia agere credat ex auctoritate epiſcoporum vel eccleſiæ, quæ ordinationem illis primitus dedit, quando tam manifeſte fiunt cum omnis auctoritatis proculcatione, & forte ex ſuſcepto conſilio prouocandi auctoritatem & agendi citra rationem ſubiectionis, & citra vllum iuſtarum regularum eccleſiæ catholicæ reſpectum? Numquam profecto. Omnem legitimam auctoritatem hæc officia obeundi amittunt, ſaltem a quo tempore eccleſia formalem ſententiam & cenſuram aduerſus eos pronuntiavit. Quæſtio igitur fuerit, an vllum eiuſmodi officium, &, ſpeciatim baptiſmus ſic adminiſtratus in contemtum auctoritatis, dici poſſit validus, an non? Quod non ſit cum auctoritate & privilegio datus, clarum eſt. Num autem res ipſa manet valida, an vero propterea abſolute nulla & vacua eſt, quia hæretici & ſchi-

ſinatici ſacerdotes non habuerunt auctoritatem epiſcoporum eccleſiæ orthodoxæ eam peragendi? Si valida eſt, tum baptiſmus validus eſſe poteſt, vbi baptizans non eſt legitima auctoritate baptizandi inſtructus. Si res ſimpliciter inualida eſt & abſolute nulla ac vacua, quia ab hæretico vel ſchiſinatico ſacerdote peracta eſt, tum omnes difficultates, quarum antea feci mentionem, in nos recidunt, quandoquidem baptiſmus noſter ab hæretica & ſchiſmatica eccleſia *Romana* primitus deſcendit. Quam ſi auctori noſtro viſum fuerit negare eſſe hæreticam vel ſchiſmaticam eccleſiam, ego recipio, me id ex generalibus principiis reformationis demonſtraturum. Hæc ſi digne ponderentur, animum huius ſcriptoris forte conuincent. Non poſſum certe, quin cogitem, fore, vt venerabile illud collegium, cuius eſt in hac materia iudicare, nolit nouum aliquod decretum facere, quod vel reprehendat generalem conſuetudinem eccleſiæ, vel defenſionem baptiſmatum eccleſiæ *Anglicanæ* reddat difficillimam, vti fieri neceſſe eſt ex principiis huius auctoris, qui & hæretiicorum & laicorum baptiſmos nullos eſſe ſtatuit, quamuis eccleſia *Anglicana* non habeat legem de hoc vel iſto iterando; et per conſtantem ſuam praxin, quæ in difficilibus caſibus optima legum interpres eſt, vtrorumque baptiſmos validos habuit, ſicut in diſſertatione antecedente dilucide demonſtraui. Nihil amplius addam, niſi lepidam concinnamque reprehenſionem, qua HIERONYMVS vſus eſt in HILARIVM diaconum, *Deucalionem orbis*, vt eum vocat, qui omnes ab hæreticis baptizatos, ſi ad vnitatem eccleſiæ catholicæ redirent, rebaptizandos eſſe, acriter contendebat: *Si hæretici baptiſma non habent, & ideo rebaptizandi ab eccleſia ſunt, quia in eccleſia non fuerunt: ipſe quoque Hilarius non eſt chriſtianus, in ea quippe eccleſia baptizatus eſt, quæ ſemper ab hæreticis baptiſmum recepit.* HIERON. dial. contr. *Lucifer*. cap. IX.

DIS-

DISSERTATIO SECVNDA,

EXHIBENS

HISTORIAM SCHOLASTICAM BAPTISMI LAICORVM,

EIVSQVE

PARTEM POSTERIOREM,

CVM

ANIMADVERSIONIBVS QVIBVSDAM
IN *D. BRETTI ET L—TII* RESPONSIONES
AD PARTEM PRIOREM.

Q 2

SVMME REVERENDO

DOMINO

ET IN CHRISTO PATRI

IONATHANI,

DIOECESIS VINTONIENSIS

EPISCOPO,

NEC NON

NOBILISSIMI ORDINIS PERISCELIDIS

PRAESVLI,

A DEO

SALVTEM ET PROSPERITATEM.

HONORATISSIME DOMINE,



Acere non poſſum, quin hanc commodam occaſionem amplectar gratum animum TIBI publice ſignificandi pro nuperrime mihi præſtita beneuolentia, qua tanquam incitatione quadam me inflammaſti ad pergendum in difficili & operoſo negotio, quod eo conſilio ſuſcepi, vt antiquitates eccleſiaſticas in vnum ſyſtema redigerem: Non mediocri mihi voluptati eſt, quod cum TVA, DOMINE, approbatione hucvſque ſcripſi, non excepta nouiſſima mea diſſertatione de iudicio & praxi eccleſiæ reſpectu baptiſmatis laicorum, qua nonnulli (qui contradictionem ferre nequeunt) ſine cauſſa quidem offenſi ſibi viſi ſunt; quibus in diſſertatione præſenti me reſpondiſſe puto, quantum ſatis eſt. Non ſcripſi quidem, fateor, priorem huius *hiſtoriæ ſcholaſticæ* partem ſpeciali TVO vel inſtinctu vel iuſſu (quamquam ſunt, qui mihi magnum iſtum honorem tribuunt, vt id me feciſſe dicant; et mihi certe hoc numquam non laudi ducam, quidquam, quod rectum bonumque ſit, facere inſtinctu & iuſſu eorum, qui mihi ſunt præpoſiti;) immo vero ne comperiſti quidem ante, quid eſſet iſtud, quod elucubrarem, quam abſoluiſſem; neque mihi TVA de

hoc

hoc argumento ſententia plane explorata fuit, vſque dum TIBI placuit datis ad me litteris pro libro meo mihi gratias agere & ſimul ſignificare, TIBI eum vehementer probari: et in primis illam eius partem, quæ de baptiſmorum hæreticorum & ſchiſmaticorum defectibus agit, & de neceſſitate, qua ſic baptizati impelli debeant, vt ad eccleſiæ redeant vnitatem, quo defectus baptiſmatis eorum per manus impoſitionem in confirmatione ſuppleantur; quæ vſitata ratio eſſet ſupplendi eiusmodi defectus, ſecundum generalem regulam & praxin eccleſiæ antiquæ. Placuit itidem TIBI, DOMINE MAXIME REVERENDE, mihi renuntiare, (quod quidem antea ignoraui) omnes epiſcopos vtriusque prouinciæ eamdem habere opinionem, quam ego defenderim, & exiſtimare, quod dentur alii modi vitioſum baptiſmum emendandi, quam per rebaptizationem, dummodo in debita forma datus fuerit a laico. Et quamuis viſum TIBI non fuerit decreto tunc faciundo ſubſcribere, hoc tamen TE non ideo recuſaſſe, quod ab ipſis de præcipuo determinationis argumento diſſenſeris, ſed quod exiſtimaueris, magis expedire, verba illa addi *in caſibus neceſſitatis*, quippe qui caſus minus obnoxii ſint exceptioni, & quorum defectus, quicumque illi fuerint, omnium certiſſime corrigi poſſint per confirmationem. Atque hactenus regulæ & praxis eccleſiæ *Anglicanæ* per hæc poſteriora duo ſæcula in confeſſo ſunt. Neque enim mandatum habemus neque exemplum, quod rebaptizationi in vllo eiusmodi caſu faueat, ne quidem ex quo tempore *rubrica* adminiſtrationem baptiſmi ad legitimi cuiuſdam miniſtri manus reſtrinxit. Nulla enim regula adhuc facta eſt, qua illi, qui non ſunt a legitimo quodam miniſtro baptizati, rebaptizari iubeantur; ſed iubentur acci-

accipere confirmationem episcopi, & tum admittuntur ad sacram eucharistiam & priuilegium christianæ sepulturæ, quarum neutra personis non baptizatis conceditur. His omnibus non obstantibus a quibusdam appellor scriptor iniquus & meis rationibus seruiens; vt qui aduersus veram ecclesiam *Anglicanam* scripserim; vt qui animos addiderim schismaticis; quia videlicet pati nolui, certos homines sic omnino, vti ipsi quidem volunt, repræsentare ecclesiam, eique eiusmodi principia & praxes adfingere, quæ solis schismaticis peculiares sunt: quia ipsis in promouendis notionibus *Cartwrigthianis* de rebaptizatione aduersus ecclesiam *Anglicanam* me iungere nolui, omnesque illos insignes episcopos ac doctores ecclesiæ reprehendere ac iusto minoris æstimare recusaui, qui antehac in eius defensionem scripserunt & erudite tuiti sunt illius constitutionem: quia primitiuæ ecclesiæ scriptores torquere eosque tamquam nouellæ hypothesi fauentes sistere nolui, quum sine maxima iniuria in illos & orbem christianum, quin immo in me ipsum, id facere non potuerim: quia concedere nolui, omnes hæreticos & schismaticos in veteri ecclesia, vbi reuera per disciplinam ecclesiæ gradu deiecti & ab omnibus officiis sacerdotalibus exclusi essent, fuisse veros Dei sacerdotes, amplo mandato, potestate atque auctoritate baptizandi instructos, non minus quam catholicæ ecclesiæ sacerdotes, qui numquam vlli censuræ subfuerunt. Atqui de hoc postremo capite (quo omnis controuersia redit & vnde omnis disciplina ecclesiæ dependet) inter se plurimum diffident aduersarii. Illorum alter sacerdotes hæreticos & schismaticos tutos esse putat sub priuilegio *indelebilis characteris;* hoc est, non posse eos sacerdotali munere vmquam prorsus exui, quacunque de-

demum auctoritate ecclesia vtatur ad illud eis adimendum; indelebilem eorum characterem sacerdotalem illis auctoritatem sartam tectam seruare, nec vllam potestatem in terris tantam esse posse, vt interna sacerdotum potestate eos priuet, quemcunque obicem externo functionis exercitio eorum posuerit. Alter caussæ antesignanus eousque progredi non audet, vt omnem disciplinam ecclesiasticam vno quasi ictu destruat ipsosque neruos potestatis episcopalis incidat. Quod ille futurum sentit, si ii, qui sacerdotalem auctoritatem aliis conferunt, potestatem haud habeant eamdem auctoritatem, vbi in hæresin vel schisma inciderint isti sacerdotes, vel aliud consimile quid commiserint, ex canonum præscripto reuocandi. Tunc enim omnis cessaret auctoritas ac potestas in ecclesia; & censuræ ecclesiæ, delinquenti episcopo vel sacerdoti ad adimendam illis sacerdotalem auctoritatem & potestatem inflictæ, nihil forent nisi μορμολύκειον seu larua vmbratilis. Heic ergo socium ac consortem disputationis deserit & fatetur, dari in ecclesia veri nominis potestatem eripiendi hæreticis episcopis & sacerdotibus sacerdotale munus, eosque auctoritate sua priuandi & redigendi ad conditionem laicorum: quo in statu eorum baptismos auctoritate & mandato æque destitui fatetur, atque baptismi aliorum laicorum eo destituuntur. Sed vero nullam ecclesiam, exceptis ecclesiis *Cyprianicis*, hac potestate contra hæreticos & schismaticos vmquam vsam esse dictitat: Licet datum mandatum reuocari possit, & ecclesia eius reuocandi potestatem habeat, nullam tamen ecclesiam, præter *Cyprianicas*, illud vmquam re ipsa reuocasse. Vt adeo, ex illius quidem opinione, hæretici & schismatici adhuc legitimi sacerdotes ipso actu & pleno mandato habiti sint ab eccle-

sia & ecclesia tam humaniter in eos se gesserit, durante etiam eorum hæresi & schismate, vt in plena sacerdotalis auctoritatis possessione eos siuerit manere, nec datum illis negotium reuocauerit. Quæ sane talis ecclesiæ antiquæ repræsentatio est & talis contumelia in illius disciplinam, qualem a nemine ante eum vmquam factam credo. Verumtamen necessaria ea erat ad adserendam auctoris nostri hypothesin, quia alioqui coactus fuisset fateri, ecclesiam primitiuam baptismos hæreticorum & schismaticorum (debita quidem forma datos) generatim admisisse eodem tempore, quo illos declarauit non esse sacerdotes, sed vere & reapse auctoritate sua priuatos & in statum laicorum redactos. Ipsi enim hoc subolet & cuiuis facile est noscere, Quod, si antiqua ecclesia per disciplinam suam hæreticis & schismaticis datam prouinciam ademit, ita vt, quos baptizauerint, eos non iusserit denuo baptizari, sequatur, vt baptismos susceperit eorum, qui eo tempore non habuerint auctoritatem sacerdotalem, vt qui essent eiusmodi, quos ipsamet auctoritate olim accepta priuarat & in statum laicorum redegerat. Consequentia heic tam plana est, vt auctor noster, si præmissas bene se habere concesserit, illam negare non possit. Omnis igitur disputatio ad hoc vnum caput redigitur, Vtrum veteres hæretici & schismatici, quorum baptismos ecclesia antiqua suscepit & confirmatione consummauit, sine secundo aliquo baptismo, durante eorum hæresi vel schismate, vera auctoritate baptizandi præditi sacerdotes, an vero nomine solum sacerdotes fuerint, quorum functio vacuefacta sit per eamdem legitimam potestatem & auctoritatem episcopalem, quæ initio eam illis commiserit? Auctor noster non abiudicat ecclesiæ potestatem abrogandi hæreticis & schismati-

ſmaticis functionem ſacerdotalem, audacter autem ſtatuit, nullam eccleſiam, excepta *Cyprianica*, hac diſciplina in eos vmquam vſam, ſed in pleno functionis ſuæ exercitio & legitima poteſtatis atque auctoritatis ſacerdotalis poſſeſſione incolumes illos ſeruaſſe. Quam aſſertionem ego demonſtraui eſſe magnum errorem magnamque contumeliam in totius eccleſiæ catholicæ diſciplinam, eiusmodi item hæreticorum & ſchiſmaticorum incitationem, vt cum catholicis ſacerdotibus ſe æquari poſſe putent: quod fieri eccleſia catholica numquam voluit. Semper enim functionem hæreticorum & ſchiſmaticorum ſacerdotum vacuam declarauit, ſuaque iuſta poteſtate & diſciplina omnem ſacerdotalem auctoritatem illis eripuit, ad ſtatum auctoritatis & functionis eccleſiaſticæ expertem, qui laicorum eſt proprius, redactis. Hoc ego tam graui teſtimonio ex antiquis generalium & particularium conciliorum legibus & canonibus, conſuetudine item ac praxi totius eccleſiæ catholicæ deſumto confirmaui, vt contrariam aſſertionem aut ex magna ignorantia, aut ex magno præiudicio atque conſilio ſeruiendi hypotheſi profectam eſſe oporteat in homine, qui eam tueri ſuſtinet. Igitur totius diſquiſitionis conſectarium hoc eſt, Quod tantum abſit, vt eccleſia catholica hæreticorum & ſchiſmaticorum ſacerdotio patrocinata ſit, vt ſacerdotalem eorum poteſtatem aboleuerit eosque diſciplinæ ſuæ virtute ad ſtatum laicorum redegerit. Neque dum baptiſmos a laicis, vel loco motis ſacerdotibus citra auctoritatem datos, plane nullos & irritos pronuntiauit. Non omnes ab illis baptizatos rebaptizari iusſit, ſed tantummodo iuſta ſua auctoritate correxit & ſuppleuit per ſubſequutam confirmationem, quod in baptiſmatis adminiſtratione vel contra regulam & auctoritatem

factum erat, vel desiderabatur. Praxin etiam ecclesiæ *Anglicanæ* per hæc duo sæcula omnino eamdem fuisse liquet; cui pauci præter apertos aduersarios sese opponere ausi sunt. At enim vero, qui iam praxi illius sese opponunt, schismaticorum nostrorum principium tuentes, publice contrarium adseuerant, & omnibus mortalibus persuadere satagunt, eos solos veros esse ecclesiæ defensores, qui reapse caussam eius deserunt in illiusque praxin sunt contumeliosi; illos vero, qui praxin eius defendunt eamque praxi totius catholicæ ecclesiæ consentaneam esse ostendunt, malorum consiliorum esse architectos: Eos, qui concedere nolunt, sacerdotium hæreticorum & schismaticorum æque bonum & iustum esse atque sacerdotium sincerorum catholicorum, esse CHRISTO & christiano sacerdotio inimicos atque hostes; et qui ecclesiæ tam veteris quam hodiernæ disciplinam scriptis defendunt, eos esse constitutionis illius euersores. Accepi nuper epistolam ab incognita manu, quam hoc loco interponere mihi liceat.

Miraberis forsitan, Domine, *quod has litteras ab homine accipias, qui Te nunquam vidit nec fortasse vnquam visurus est. Ego vero humanitate in Te adductus sum, vt facerem Te certiorem, quam de Te vera ecclesia* Anglicana *apud nos habeat opinionem.* Origines tuæ, cet: *magnam Tibi famam atque existimationem pepererunt, & non obstantibus quibusdam erroribus, quibus omnes mortales obnoxii sunt, membrum ecclesiæ haberis ad inseruiendum illi promtum pariter atque idoneum. Publici nuntii, quum* historiam scholasticam baptismi laicorum *a Te in vulgus editam narrarent, magnam lætitiam multis, qui circa me sunt, attulerunt, vtpote sibi penitus persuadentibus, tam idoneum scriptorem, qualem Te esse iudicant,* ob-

obscuram illam materiam patefecisse & illustrasse, & controuersiam, quæ ecclesiæ tantas turbas, aduersariis eius tot triumphos, multisque bene animatis hominibus non mediocrem fluctuationem creauit, diremisse: Verumtamen admiratione obstupefacti vidimus, esse opusculum plenum adulationis & præuaricationis, eo a Te lucubratum, vt gratiam inires apud factionem moderatam falso sic dictam, eorumque patronos, ex quibus nonnulli in summos ordines ac dignitates in ecclesia inauspicato sese insinuarunt. Diu a Te expectauit Anglia *caussæ Tuæ defensionem contra* Laurentium, *quam si detrectabis, omnes omnium ordinum homines Tibi id vitio dabunt sibique persuadebunt, Te hoc ipso iniquum & rationibus tuis seruientem scriptorem temet profiteri; quam Tibi confirmo opinionem esse,*

Londini ad X Cal.
Octobris.

Serui Tui
DARBYSHIRII.

QVIDQVID ad ea omnia respondebo, hoc solum est: *Beati estis, quandocunque vobis conuiciabuntur homines, & vos insectabuntur, & in vos omnia maledicta coniiciunt, mentientes propter me. Gaudete & lætamini: nam multa vobis in cælo merces est.* Quæ merces operæ meæ in terra me maneat, ignoro. Quam TV, DOMINE SVMME REVERENDE, mihi tribuisti, ea pristinorum meorum laborum, non huius, merces fuit. Obtulisti enim illam mihi ante, quam postremus liber meus appareret & TV certior factus esses de illius argumento. Neque iam metuo, ne is, qui hanc epistolam ad me exarauit, (quicumque demum fuerit) vel amici eius Amplitudini Tuæ succenseant, quod aliquo modo animaueris auctorem *originum ecclesiasticarum*, quæ, vt ait ille, magnam ipsi famam & existimationem pepererunt effeceruntque, vt membrum ecclesiæ habeatur ad

nseruiendum illi promtum pariter atque idoneum. Id quod satis fuerit ad TE, DOMINE, excusandum, quod beneuolentiam talis pretii homini præstiteris. Iam vero ea omnia disperdidi, quando opusculum scripsi *plenum adulationis & præuaricationis*, vt gratiam inirem apud factionem moderatam, falso sic dictam, eorumque patronos, ex quibus nonnulli in summos ordines ac dignitates in ecclesia inauspicato sese insinuarunt. Magnam sibi licentiam nonnulli sumunt distinguendi homines & factiones, illisque nomina adsignandi prout lubet; cuius rei rationem fortasse reddent alio tempore. Ego iam arbitror, omnes, quotquot contra rebaptizationem sententiam suam declarant, a personato isto DARBYSHIRIO moderatæ, quam fingit, factioni hominum accenseri. Atqui tum non video, qua via TV, DOMINE, vel archiepiscopus *Eboracensis*, vel episcopi *Bathoniensis* & *Wellensis* nomenclationem effugere possitis patronorum factionis moderatæ (eius quidem, ex qua, vt ille opinatur, nonnulli in summos ordines ac dignitates in ecclesia inauspicato sese insinuarunt) quia Vos cum multis aliis rebaptizationi apertissime repugnastis, quippe quæ contraria esset sententiæ & praxi ecclesiæ catholicæ & ecclesiæ *Anglicanæ*. Forsitan autem ad alios quosdam intentus est eius animus, vbi de *moderata factione hominum eorumque patronis* loquitur. Quod si sic est, ego ipsi omni adseueratione adfirmare possum, auctorem *originum* nulla necessitate compulsum fuisse ad scribendum opusculum plenum adulationis & præuaricationis, vt ab illis iniret gratiam; quandoquidem sibi pristinis suis laboribus bonam existimationem apud istos æque ac apud alios conciliauit, quippe qui scripsit, quæ generalem vsum habent & generalem approbationem. Meum au-

autem peccatum in eo eſt, quod ſcripſi aduerſus non neminem, quem ille vocat LAVRENTIVM, (mihi enim ſine reprehenſione non integrum eſt ſic eum appellare) hominem, huius quidem viri eiusque amicorum iudicio, maxime ſuſpiciendum. Contra quem ſi me defendere recuſauero, certo futurum eſt, vt omnes omnium ordinum homines id mihi vitio dent ſibique perſuadeant, me hoc ipſo iniquum & rationibus meis ſeruientem ſcriptorem memet profiteri. Fortaſſe vero in ſubducendis calculis paullo longius falletur noſter DARBYSHIRIVS. Si enim libro *Laurentiano* nunquam reſpondiſſem, non omnes tam ſeuere iudicaturi fuiſſent. Sunt multi, qui reſponſionem haud neceſſariam eſſe exiſtimarunt; ſunt etiam, qui ſilentio meo alias cauſſas fuiſſent adſignaturi; valetudinem, vel temporis penuriam, vel impedimentum per alia ſtudia alioſue labores iniectum, vel voluntatem haud immorandi diutius illi diſputationi, quum in longe maiori opere edendo eſſem occupatus. Vt autem omnia poſtulata, quæ porro interponi poſſent, anteueniam, en habet nunc *Anglia* defenſionem meam, ex qua apparebit, quis ſententiam & praxin eccleſiæ catholicæ rectius enarrarit; quam ego in hac poſteriore parte *hiſtoria ſcholaſticæ* tam plane, tam copioſe & αὐθεντικῶς tradidi, vt non poſſit non ab omnibus probari, qui eam ſine præconceptis opinionibus & cum propoſito inquirendi in veram diſciplinam & praxin veteris eccleſiæ legerint, qua reſpectu baptiſmorum, a declaratis hæreticis, quos non pluris quam laicos faciebat, adminiſtratorum, vſa eſt. Si qui me propterea ſcriptorem iniquum & rationibus meis ſeruientem denuo appellare velint, faciant id arbitratu ſuo. Iſtiusmodi contumeliæ tantummodo me docebunt, dari in mun-

do homines, qui haud vllis vtilibus officiis obſtringi ſe patiantur, niſi quis intelligentiam ſuam ipſis dedat, & in gratiam notionum & opinionum ipſis peculiarium hiſtoriam ſcribat contra eccleſiam. Id quod ego nondum feci, nec vmquam facere per Dei gratiam induxi animum, etiamſi verum loquendo me innumerabilibus iniuriis contumeliisque expoſuero. Non video vllam cauſſam amplectendi dogmata diſſentientium *Anglorum* de rebaptizatione aduerſus eccleſiam. Pluris æſtimo ſacerdotium, quam vt illud in manus tradam manifeſtorum hæreticorum & ſchiſmaticorum contra diſciplinam & praxin ſex priorum generalium conciliorum eccleſiæ; quod nonnulli, qui ipſi ſe ſolos clericos vocitant, facere coguntur, quia hypotheſis eos ſua, vt id faciant, impellit, niſi cogi velint fateri, baptiſmum huiusmodi hæreticorum & ſchiſmaticorum nihil eſſe aliud quam baptiſmum laicorum. Id quod ſi ſemel fateantur, intelligunt, ſe argumentum admittere debere, petitum ex praxi eccleſiæ catholicæ, baptiſmos hæreticorum & ſchiſmaticorum ſuſcipientis ſine rebaptizatione, dum baptizantes nihilo potiores quam laicos ducit. Hæc tam plane demonſtrata ſunt in ſequenti diſſertatione, vt, quamuis deſperem, certos quosdam homines ea ſibi perſuaderi paſſuros, tamen non dubitem fore, vt mentibus multorum lumen præferant illisque in eo plane ſatisfaciant, quod ad diſciplinam attinet eccleſiæ primitiuæ, cuius exemplum in hoc genere diſciplinæ hodie ſequitur eccleſia *Anglicana*. Quam vtramque iunctim poſitam ab ſiniſtra repræſentatione eorum, qui ſub ſpecie defenſionis & hanc & illam manifeſto impugnant, vindicare conatus ſum. Noui equidem, partem aduerſam prædicare confidentius, ſe ſcribere pro eccleſia contra noſtros ſchiſmaticos. Sapientes autem & intelligentes quique hanc ratio-

tio-

tionem defendendi ecclesiam interpretantur absurdam: Assumere nimirum manifesta schismaticorum principia de rebaptizatione eaque tueri contra ecclesiæ praxin, & illud tamen nihilosecius vocare defendere *ecclesiam contra schismaticos*. Dicunt quidem, se id agere, vt schismaticos adducant, vt ad ecclesiam veniant in eaque rebaptizentur, quia baptismus laicorum inualidus sit. Hoc vero tantummodo est id illis probare, quod non negant; idem enim adfirmant, baptismum laicorum esse inualidum, dum ecclesia constanti praxi sua id negat. Igitur pro eo, quod dissertationes scribunt de inualido laicorum baptismo, quem inualidum esse non inficiantur, conuincere debebant schismaticos, eorum ministros esse tantum laicos; & tum doctrinæ de rebaptizatione facile præbuerint aures, quia hæc doctrina principiis eorum consentanea est. Vt autem res in præsenti se habet, scribere pro inualido baptismo laicorum, eo quidem modo, quo illi scribunt, nihil aliud est, nisi contra ecclesiam scribere, sine vllo fructu ad dissentientes *Anglos* nostros redundante, qui eo ipso de nulla re conuincuntur, præter eam, quam se iam ante credere profitentur, Quod baptismus laicorum sit inualidus, quam opinionem contra ecclesiam a tempore inde reformationis semper statuerunt & tuiti sunt. Præterea prædicant, se esse defensores caussæ ecclesiæ primitiuæ, & christiani sacerdotii contra hæreticos & schismaticos aliosque vsurpatores: quum tamen in confesso sit, eos potestatem sacerdotii committere hæreticis & schismaticis, quam illis ecclesia antiqua ademit: Et vt hoc ipso disciplinam ecclesiæ praue repræsentant, tanquam quæ hæreticorum sacerdotio faueat, quod illis tamen prorsus abiudicat: ita christiano sacerdotio occultum vulnus infligunt, & maculam antiquæ inurunt disciplinæ,

plinæ, dum admiratoribus ſuis omnium acerrimi & fidelisſimi eius defenſores videri cupiunt. Quæ ſi in ſequente diſſertatione dilucide fuerint demonſtrata, futurum ſpero, vt iſtorum hominum confidentia paullulum imminuatur, ipſique aut conuincantur, aut ad ſilentium redigantur, ſi ſe in negotio ſacerdotii hæreticorum & diſciplinæ veteris eccleſiæ de eiusmodi, quod venditatur, ſacerdotio vehementer erraſſe ſentient. Vt ego haud meliorem modum finiendæ huius controuerſiæ de baptiſmo laicorum noui, ita non ingratum TIBI, DOMINE, & viris bonis omnibus fore, confido, videre agendi rationem, quam antiqua concilia contra hæreticos & ſchiſmaticos inierunt, ſub vno adſpectu a me poſitam eo quidem fini, vt hanc antiquæ hiſtoriæ partem illuſtrarem & in lucem propriam proferrem, prout conſilio meo colligendi & illuſtrandi antiquitates chriſtianæ eccleſiæ conuenit; qua in re ſuffultus TVO favore & approbatione huc vſque progreſſus ſum, eamque ſub TVA auctoritate & præſidio me finiturum ſpero,

SVMME REVERENDAE AMPLITVDINI TVAE

deuinctiſſimus cliens
IOSEPHVS BINGHAMVS.

SVN.

SYNOPSIS

STATVS PRAESENTIS CONTROVERSIAE

CAPVT PRIMVM.

Hæreticos, schismaticos, de gradu deiectos clericos & clericos excommunicatos, semel quidem conuictos & legitima censura adfectos, non habere amplius auctoritatem dandi baptismum & ministrandi tanquam sacerdotes & ministros Dei & ecclesiæ; sed exinde omnes eorum actus auctoritate carere & tantum fieri per vsurpationem. Quod probatur ex historia priorum sex generalium conciliorum eorumque agendi modo aduersus hæreticos, schismaticos & alios reos.

CAPVT SECVNDVM.

Eadem adſertio probata ex patriarchalibus, nationalibus & prouincialibus conciliis, & ex priuatorum patrum ſcriptis, vna cum diuerſis argumentis ex teſtimonio eorum depromtis. ARGVMENTVM PRIMVM. Quod hæretici quidam, quorum baptiſmus ſuſceptus eſt, numquam veri nominis ordinationem ad officium & functionem miniſterialem primitus acceperint, conſequenter non potuerint non eſſe perſonæ auctoritatis

CAPVT QVARTVM.

ARGVMENTVM TERTIVM. Quod hæretici & gradu moti clerici in antiqua ecclesia non fuerint reputati sacerdotes, auctoritatem aliquam habentes, quia per disciplinam eius ad statum & communionem laicorum redacti erant.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

ARGVMENTVM QVARTVM. Quod hæretici & ſchiſmatici & gradu deiecti clerici non exiſtimati fuerint vera auctoritate præditi ſacerdotes, quia ad gradum laicis inferiorem nonnunquam detruſi, dum anathemati ſubiecti & eccleſiæ communione exturbati fuerunt.

CAPVT SEXTVM.

Obiectio, ex notione indelebilis characteris, in ordinatione ſacerdotis cuiusdam impreſſi deſumta, examinatur & oſtenditur, nihil roboris habere contra adlata ſupra teſtimonia. Cum recenſione primitiui ſignificatus huius locutionis in ſcriptis eccleſiæ.

§. II.

CAPVT SEPTIMVM.

Resolutio quarumdam difficultatum de communione hæreticorum & de illorum baptismis atque ordinationibus.

SYN-

SYNOPSIS APPENDICIS
SIVE
ANIMADVERSIONVM IN AVCTOREM SECVNDAE PARTIS DE INVALIDO BAPTISMO LAICORVM.

CAPVT PRIMVM.

CAPVT SECVNDVM.

Animaduersiones in auctoris nostri præfationem.

CAPVT TERTIVM.

Animaduersiones in auctoris nostri caput primum & secundum.

CAPVT QVARTVM.

Animaduersiones in ea, quæ auctor noster de ecclesia *Græca* & de ecclesiis, a corruptelis papatus repurgatis, narrat.

STA-



STATVS PRAESENTIS CONTROVERSIAE.

§. I.

Nulla amplius disputatio cum D. Bretto *de recentiore ecclesia* Græca.

QVANDO priorem partem historiæ scholasticæ baptismi laici conscribere institui, feci id eodem consilio, quo reliquas antiquitatum ecclesiasticarum partes omnes conscripsi, nimirum vt materias quantum pote in lucem protraherem, & vnius cuiusque lectoris præiudicatis opinionibus vacui iudicio exponerem: non sine spe fore, vt infelicem controuersiam ad finem honesta ratione perducerem, viros quosdam doctos, in hanc disceptationem feruide ingressos, conuincendo, quod in quibusdam erroribus, respectu ad diuersa antiquæ & recentioris historiæ momenta habito, versentur. Et hunc scopum quodam modo ferii, licet non tam perfecte, quam in hac posteriore parte me facturum spero, in qua operam dedi, vt hisce viris, producendo in medium probatissimas leges & incontrouersam consuetudinem ecclesiæ, cumulatissime satisfacerem; dummodo sex priorum conciliorum generalium de-

creta & conſentanea reliquorum conciliorum ac patrum omnium teſtimonia quidquam hac in cauſſa valeant. Controuerſia noſtra iam arctioribus cancellis circumſcripta eſt. Neque enim mihi vlla amplius diſputatio eſt cum D. BRETTO, erudito amico meo, de recentioribus *Graecis* & *Moſcouitis*. Quaecunque de illis dixi, ipſe comprobauit, de eo ſolum conqueſtus, quod libros non habeat, quos conſulat in hoc negotio, nec inſtructiſſima bibliotheca *Cantuarienſis* ſibi ferat opem neceſſariam. Spero, eminentiſſimum archiepiſcopum *Cantuarienſem*, vel reuerendum decanum & capitulum huic eius admonitioni gratificandi ergo bibliothecam ſuam quodam SVICERO, LEVNCLAVIO, HOTTINGERO & ARCVDIO, ceteris, inſtructuros, vt BRETTO ne deſint, quando in poſterum eos euoluere neceſſe habebit.

§. II.

Nulla de eccleſiis, per reformationem e papatu Romano *egreſſis.*

NEQVE mihi amplius diſputatio cum BRETTO eſt de eccleſiis, per reformationem e papatu *Romano* egreſſis. Aſſentitur mihi, eccleſias *Lutheranas* omnes cum *Graecis* conſentire & laicis permittere, vt exigente neceſſitate baptizent. HVLDERICVS ZWINGLIVS idem fecit eiusque ſectatores ab opinone illius non longe diſceſſerunt. Eccleſiae *Palatinae* rebaptizari prohibent in magna quadam diſſipatione eccleſiae a laicis baptizatos, ſi HENRICVS ALTINGIVS, profeſſor quondam theologiae in academia *Heidelbergenſi* celebratiſſimus, earum opinionem de tali neceſſitate recte nouit. *Gallicanae* & *Belgicae* eccleſiae contrarium ſentiunt, omnesque a laicis quibuscumque in caſibus baptizatos rebaptizari iubent. IOANNES CALVINVS eamdem, quam ALTINGIVS, habuit opinionem, Quod baptiſmus, in magna quadam diſſipatione eccleſiae a laico adminiſtratus, admitti poſſit ſine rebaptizatione. Quod BRETTVS ex illo citat, ad ordinem tantummodo attinet, in quieto ac pacato eccleſiae ſtatu obſeruandum. Sentit etiam, eccleſiam *Scoticam* ſequi eccleſiam *Gallicanam* reformatam: Et licet non ex vlla parte diſciplinae eius

eius vel ex IOANNE KNOXO, vel vllo alio libro disciplinæ probet; puto enim librum disciplinæ KNOXI apud SPOTSWOODVM nihil habere, quod huc faciat: nolo tamen cum ipso de hac speciali materia contendere, quum haud firmius argumentum contra assertionem eius habeam, quam ipse pro illa habet, nec esset nisi aërem verberare, si quid plus sine auctoritate dicere de ea vellem.

§. III.

Quatenus consentiamus de ecclesia Anglicana.

HACTENVS igitur disputatio nostra ad finem videtur perducta. Duo autem sunt, de quibus BRETTVS ait sibi non esse satisfactum, de sententia videlicet ecclesiæ *Anglicanæ* & ecclesiæ primitiuæ. Ad ea, quæ de ecclesia *Anglicana* disserui, breuissime respondet, me dixisse nihil præter id, quod iam dictum sit non diu ante in paruo libello, qui inscriptus sit, *Iudicium ecclesiæ Anglicanæ in caussa baptismi laici.* (*) Quem scripto plene confutarit LAVRENTIVS, ad quod lectorem suum remittit; id solum præterea obseruans, me opinionem duntaxat hominum priuatorum, non iudicium ecclesiæ ex vllis eius rubricis, articulis vel canonibus exhibere. Vt adeo, si vel sexcenta amplius testimonia produxissem præter ea, quæ paruus libellus, dictus *Iudicium* produxit, vel nunc producerem, eadem declaratio, *Quod nihil noui addiderim*, ad ea vniuersa strictim responsura esset. Producere enim consentanea priuatorum scriptorum testimonia, qui a tempore inde reformationis iudicium suum de sensu ecclesiæ *Anglicanæ* in hac materia declararunt, huic auctori nihil valet. Constans ecclesiæ mos, vnicuique exiliter admodum videnti facile obuius, nihilo plus ponderis apud illum habet. Nisi expressas rubricas, articulos vel canones, rebaptizationem prohibentes, viderit, credere non vult, fuisse hoc iudicium siue sententiam ecclesiæ *Anglicanæ*. Vt adeo ab re sit addere WHITGIFTOS, vel ABBOTOS, WHIT-

(*) *The Judgment of the Church of* England *in the Case of Lay-Baptism.*

AKEROS, CASAVBONOS, patrem vel filium, et iudicium academiarum, vel iudicium principis in colloquio episcoporum. Illi omnes sunt ei tantum homines priuati, nec possunt nobis enarrare, quod fuerit iudicium ecclesiæ suorum temporum: Quid? quod ex noua ista hypothesi quidam eorum non fuerunt baptizati christiani, sed in statu solum catechumenorum. Nam CASAVBONVS, vt opinor, baptizatus fuit a ministro quodam *Gallicano*, adeoque secundum hanc hypothesin ipsum rebaptizari oportuisset, vbi ad ecclesiæ *Anglicanæ* societatem se iunxit. Ab aliis quoque iam obseruatum est, regium martyrem baptizatum fuisse a presbytero *Scotico*, et idcirco ex eadem hypothesi nouum baptismum accipere debuisse, vt perfectus fieret christianus. Frustra autem tempus contererem in ostendendis rebus ineptis atque absurdis, hanc nouam hypothesin comitantibus. Quæcumque enim hinc consequantur, vel quæcumque testimonia pro consuetudine ecclesiæ adferantur, tamen, nisi *rubricæ, articuli*, vel *canones* producti fuerint, qui disertis verbis dicant, istiusmodi homines non esse rebaptizandos, ego illos, qui nouam hypothesin tuentur, numquam adduxero, vt ab illa desistant. Constans ecclesiæ praxis non creditur esse idonea rubricarum eius interpres; nec concordans filiorum ecclesiæ iudicium & opinio permittitur vllum sensus matris ipsorum esse indicium. Quare si heic vellem addere, plerosque si non omnes præsentis ecclesiæ episcopos publice vel priuatim sententiam suam pro generali ecclesiæ consuetudine dixisse, id nihil ponderis habere crederetur, quia illorum iudicium non euaserit rubrica vel canon ecclesiæ; aliqua autem rubrica vel articulus aliquis, quamuis perperam intellectus vel male applicatus, satis roboris existimatur habere ad supprimenda alia testimonia omnia, siue ex generali consensu, siue ex generali consuetudine depromta. Vnde superuacaneum esse arbitror cum BRETTO aut vllo alio institutionis illius de hoc capite longius disputare, quod nullo testimonio alio determinari permittunt, quam tali, quod contra se militare non posse putant. Id ego solum adsumo, quod conceditur, nimirum generalem priuatorum scriptorum consensum & generalem praxin ecclesiæ, suas

ipsius

ipsius leges interpretantis, illis manifesto aduersari: atque tum reliqua ingenui cuiusque lectoris iudicio relinquo determinanda.

§. IV.

Quatenus consentiamus de priscis scriptoribus.

VERVM TAMEN habeo adhuc, quod amicum meum BRETTVM moneam de sensu & praxi ecclesiæ primitiuæ. Hæc enim cogito ei satisfacere in ipso, quo vtitur, instituto, et omnibus postulatis eius respondere, atque dare ipsi eiusmodi argumentum & conuictionem, qua adhuc semel ingenuitatem eius experiar, an bonam in partem id accipere & in materia veritatis historicæ per clarissimæ demonstrationis euidentiam institui velit. Non ero iam ipsi molestus priuatorum scriptorum testimoniis, sed ea proferam, quæ generalium conciliorum auctoritate sunt confirmata. In priori dissertatione priuatos tantum scriptores adduxi, de illisque licet plenissime loquentibus breuiter sic respondetur, declarare eos duntaxat priuatam suam opinionem, non loqui sententiam ecclesiæ. TERTVLLIANI testimonium vbi vrgetur, facilis est confutatio, si suam ipsius opinionem loqui dicatur. Quando huic decretum concilii *Illiberritani* addo, responsio est, non fuisse illud generale sed tantum prouinciale concilium. Quum porro id vrgeo, *Alexandrum*, *Alexandrinæ* ecclesiæ antistitem, baptismos suscepisse datos ab *Athanasio* puero; hoc reiicitur tamquam fabula aut rumor sine capite, quia haud meliorem quam SOZOMENI & RVFFINI auctoritatem habet. Quando verba HIERONYMI longe clarissima profero in medium, responsio est, oriunda illa esse ex errore quodam calami HIERONYMI, dum TERTVLLIANVM transcripserit, et e diametro opposita reliquis partibus omnibus dialogi eius contra *Luciferianos*. Non meliore loco est AVGVSTINVS, repudiatur enim vt qui priuatam suam loquatur opinionem eamque malo fundamento superstructam, nimirum absoluta necessitate baptismi ad salutem, quæ nec doctrinæ ecclesiæ catholicæ nec ecclesiæ *Anglicanæ* consentanea esse perhibetur. Attamen AVGVSTINVS re vera non aliam opinionem de baptismi necessitate in adul-

adultis hominibus habuit (quidquid de infantibus statuerit) quam CYPRIANVS & AMBROSIVS, et vniuersa ecclesia catholica de illa ante eum habuerunt, et idem illud permittit in casu necessitatis, quod ecclesia *Anglicana* in hodiernum vsque diem permittit, quemadmodum in proximo *originum* mearum volumine [a] solide demonstrabo, quamuis BRETTVS audacter contrarium statuat. Sed vero dicendum aliquid erat ad imminuendam laudem & auctoritatem AVGVSTINI. Idem responsum datur de GELASIO & ISIDORO *Hispalensi*, Quod licentia baptizandi in necessitatis casu, de qua loquantur tanquam facta laicis in ecclesia occidentali, fundata sit eadem falsa AVGVSTINI opinione de absoluta necessitate baptismi, quae ex magna auctoritate AVGVSTINI in ecclesia occidentali inualuerit. Haec est infelix illa methodus, qua hic vir doctus vtitur, vt robori argumentorum, in priore dissertatione mea adhibitorum, occurrat; fidem nonnumquam historicorum, tamquam nimis credulorum, labefactans; alios incusans, quod in somnio & calamo nimium festinante scripserint; et alios magni & venerandi nominis viros heterodoxiae postulans, dum in generalem catholicae ecclesiae sensum peccarint. Et omnes iunctim positi, siue vera loquantur siue falsa, non sunt, ex ipsius quidem opinione, satis idonei testes moris ecclesiae, quia non nisi priuatam suam sententiam hac de re declarant. Et haec promta & parata responsio est ad sexcentos alios auctores, si in eamdem rem fuissent citati. Quare, nisi concilia quaedam generalia producere possimus, quae de rato baptismi laicalis valore in casibus quaestionis deciderint, aut saltem quosdam auctores indubiae fidei, qui generalia concilia ita decidisse dicant: BRETTVS noster viam elabendi inueniet voletque excusari, quod nostrae sententiae non subscribat. Erunt sine dubio, qui de hac tanquam dura tractandi homines ratione conquerentur, requirere hinc ab altera parte testimonium generalium conciliorum ad definiendam materiam facti, quando illinc altera pars concilium aliquod patriarchale, aut nationale, aut saltem prouinciale producere recusat. Dicent, hoc esse colligere onera grauia & portatu difficilia aliorumque humeris imponere, quum ea ipsi ne digito quidem

(a) Origin. eccles. lib. X. cap. II. n. XX.

mouere

mouere velint. Ego vero non faciam talem querimoniam, ſed amico meo gratificabor in eo, quod a me poſtulat, & experiar, an conuincere eum poſſim, quod hæc materia a ſingulis ſex generalibus conciliis ſatis ſuperque definita ſit, vbi primum examinauero, quomodo demonſtrare ſatagat, opinionem ſuam generali ſenſui & conſuetudini eccleſiæ eſſe conſentaneam.

§. V.

Num Baſilius & *concilium* Trullanum *baptiſmum laicorum* inualidum decernant *in praxi eccleſia.*

PRAECIPVVM eius robur ſitum eſt in teſtimonio s. BASILII, cuius opinionem dicit p. 59. non habendam eſſe pro opinione priuata, epiſtolam enim, in qua contineatur, eſſe epiſtolam canonicam, & ab eccleſia *Græca* pro canone receptam, & vt talem in codice canonico iſtius eccleſiæ interpoſitam, idque ad minimum ſæculo ſexto ineunte, circa quam tempeſtatem IOANNES SCHOLASTICVS, patriarcha *Conſtantinopolitanus*, omnes canones tum receptos in eccleſia collegerit, inter quos epiſtolæ canonicæ BASILII exſtent. Ita vt ſi epiſtolam aliquam BASILII citemus, non vnius cuiuſdam patris, ſed totius eccleſiæ *Græcæ* producamus teſtimonium. Hoc BRETTI eſt argumentum, quod cauſſæ eius magis nocet quam prodeſt. Si enim illi inhæſerit, cauſſa cadet. Non diſquiro in præſenti, quo primum tempore canones BASILII pars codicis *Græci* facti ſint, vtrum ætate IOANNIS SCHOLASTICI, qui ducentis annis poſt BASILIVM vixit, an poſtea. Primum generale concilium, quod eos confirmauit, mea quidem ſententia fuit concilium *Trullanum* ad an. DCXCII habitum. Et ſi ad iſtud vſque tempus non habuerunt plenam auctoritatem, non ſunt ſatis teſtimonium generalis conſuetudinis eccleſiæ per annos trecentos antegreſſos. Quid vero eſt, propter quod canones BASILII efficiuntur teſtes conſuetudinis eccleſiæ? Nonne *primum* propterea, quod hæretici & ſchiſmatici habiti fuerint tantum laici? Quod vtique verum eſt, non quia BASILIVS dicit, vel quia canones eius ab eccleſia recepti ſunt ducentis vel trecentis annis poſt, quam facti ſunt, ſed quia eccleſia in omnibus ſuis conciliis generalibus idem decreuit,

quemadmodum in ſequenti diſquiſitione abunde probaui, non vt ſeruirem hypotheſi BRETTI, ſed vt ipſi veram vtilemque operam præſtarem, dum notionibus eius de baptiſmo laicorum, quod ad praxin eccleſiæ, ſatisfacerem. Nam *ſecundo* eccleſia numquam iuit in ſententiam CYPRIANI & BASILII in altera eius parte, quod baptiſmi hæreticorum vel ſchiſmaticorum, qui ſint tantum laici, vel laicis adhuc viliores, ideo repetendi ſint, quia ſint laici, ſed diſerte contrarium definiuit, Quod eorum baptiſmi, debita forma dati, recipi debeant cum manuum impoſitione ſine rebaptizatione, hoc non obſtante, quod ab illis dati ſint, quos, ipſa eccleſia nihilo potiores quam laicos habeat. Quomodo igitur canones BASILII teſtari poſſunt, eſſe vniuerſæ eccleſiæ conſuetudinem, quando ipſa eccleſia in conciliis ſuis generalibus tam perſpicue teſtatur contrarium? Non accuſo amicum illum meum diſſimulationis, non poſſum autem eum plane abſoluere inopia debitæ ſagacitatis & iudicii, dum BASILIVM teſtem facit conſuetudinis eccleſiæ in cauſſa, in qua eccleſia ſententiæ eius ſemper contraiuit. Quamquam enim de prima propoſitione, Quod hæretici & ſchiſmatici nihilo meliores ſint laicis, cum BASILIO conſentiebat, de altera tamen diſſentiebat, Quod propterea baptiſmi horum laicorum (debita licet forma dati) repetendi ſint. Altera pars hoc adfirmabat, negabat altera. Et idcirco, niſi adfirmatio & negatio res eadem ſit, non poſſumus cum vlla rationis vel veritatis ſpecie dicere, canones BASILII id affirmare, eſſe generalem eccleſiæ conſuetudinem, quod omnes canones eccleſiæ expreſſis verbis negant. Fundamentum autem erroris BRETTI noſtri hoc eſt, quod non conſiderat, alia via BASILII canones in hac ſpeciali cauſſa incedere, alia canones eccleſiæ, ſed repente concludit, Quod, quum canones BASILII adſciti ſint in codicem eccleſiæ *Græcæ*, & id quidem ducentis vel trecentis annis poſt, quam facti ſunt, eccleſiam vniuerſalem neceſſario agere oportuerit ex horum canonum præſcripto: Quum tamen hæc valde iniuſta ſit concluſio. Nam ex quo ipſi canones in codicem recepti fuerunt, eccleſia non ſecundum illos, ſed ſecundum ſuas ipſius leges generales egit, iſtis prorſus contrarias. Nihil clarius eſſe poteſt quam hoc ex concilio *Trullano*, quod canone ſuo ſecundo inter canones ATHANASII, GREGORII, THAVMATVRG & alios plures, BASILII canones recepit:

cepit: et tamen canonem quemdam habet ſibi proprium, huic BASILII canoni, cui tantum ponderis tribuitur, diſerte contradicentem. Nam canon illius nonageſimus quintus hæreticos alios nouo baptiſmate, alios impoſitione tantum manuum ſeu conſignatione, recipi iubet. *Eunomianos*, *Montaniſtas*, *Sabellianos*, *Manichæos*, *Valentinianos*, *Marcioniſtas*, *Paulianiſtas* & ſimiles hæreticos oportere dicit rebaptizari ex cognita ratione, quod nimirum non vtantur debita baptiſmi formula: *Arianos* autem, *Macedonianos*, *Nouatianos*, *Tetraditas*, *Apollinariſtas*, *Neſtorianos* & *Eutychianos* recipi iubet, hæreſin ſuam anathematizantes, cum ſancto chriſmate. Hic canon canoni BASILII manifeſto aduerſatur. Iam ſi quis de conſuetudine eccleſiæ huius æui ex alterutro horum canonum iudicare velit, vtrum ſequendum eſſe putabit, canonemne BASILII, an canonem huius concilii generalis? Vix cogitauerim, vllum hominem tam ſtupidum fore & bardum, vt dicat, hoc concilium voluiſſe obſoletum BASILII canonem locum obtinere canonis ſui, eo ipſo tempore facti, & hunc quaſi in ipſo partu ſuffocare, hanc ſolam ob cauſſam, quia canones BASILII inter ſuos recepit, vti plures alios recepit, qui tum non fuerunt regulæ, ad quas praxin ſuam accommodavit. Pro certo habendum eſt, hoc concilium loqui ſenſum eccleſiæ eo tempore in ſuis canonibus; & ſi alia concilia idem fecerunt antea, vſque ad ætatem BASILII, & quidem vniuerſa contra regulam BASILII, abſurdum fuerit ex vno quidem BASILII canone potius, quam ex tot canonibus conciliorum generalium, contrarium ſtatuentibus, concludere, quid fuerit conſuetudo eccleſiæ. Quæſierit autem BRETTVS ex me, Quodnam concilium generale dixerit, baptiſmos laicorum ſuſcipiendos eſſe quocunque in caſu ſine rebaptizatione? Reſpondeo, tot illud dixiſſe, quot baptiſmos hæreticorum & ſchiſmaticorum, debita quidem forma datos, ſuſcipiendos eſſe dixerunt ſine rebaptizatione. Neque enim de hæreticis & ſchiſmaticis, de gradu ſemel deiectis vel excommunicatis, aliter exiſtimarunt, quam vel vt de nudis laicis, vel peioribus laicis, vtpote eccleſia exturbatis. Hæc non priuata fuit opinio CYPRIANI vel BASILII (vt altera illa de rebaptizandis iſtis hæreticis) ſed vox eccleſiæ eſt in omnibus ſuis conciliis generalibus; confirmatur fere omnium patriarchalium, nationalium & prouincialium con-

ciliorum decretis & ſanctionibus; in ſingulorum patrum catholicorum ſcriptis hoc occurrit, qui omnes in hoc vno capite contra hæreticos & ſchiſmaticos conſentiunt: Non eſſe eos amplius ſacerdotes Dei, vera auctoritate pollentes, ſed tantum laicos, aut gradu etiam laicis inferiores, quemadmodum in ſequenti diſſertatione abunde demonſtrabo. Ex quo plane conficitur, vt eccleſia, quando baptiſmos iſtorum hæreticorum & ſchiſmaticorum ſuſcipi iuſſit, neceſſario etiam baptiſmos ſuſceperit laicorum, auctoritatem non habentium, quia ſuſcepit baptiſmos eorum, quos vel laicos effecit, vel tales eſſe ſtatuit, vt in ſequenti diſſertatione demonſtraui. Controuerſia igitur arctioribus cancellis circumſcripta, in præſenti ad hoc vnum caput redit omnis, Vtrum hæretici & ſchiſmatici ſint ſacerdotes DEI, vera pollentes auctoritate, qui numquam auctoritate ſua priuari poſſint ob indelebilem characterem? Anne vero potius per apoſtaſiam ſuam & cenſuram eccleſiæ omni auctoritate miniſteriali ſpolientur & ad ſtatum laicorum, aut ad gradum laicis inferiorem reducantur, quando in eccleſia manent? Vbi hanc rem optimo teſtimonio in eccleſia, priorum videlicet ſex generalium conciliorum actis & canonibus atque argumentis, quæ hac in cauſſa commode adferri poſſunt, determinauero, non amplius vel docto amico meo vel mihi neceſſe erit de hoc illoue auctore priuato diſceptare, quos parum proderit ab vtralibet parte contra vniuerſum eccleſiæ catholicæ agmen produci. Si ei per hanc planam hiſtoriam non fecero ſatis, ipſe meliora documenta adferat in contrarium, & recipio, me ei in capite hiſtoriæ victoriam conceſſurum.

ANTEQVAM vero BASILIVM dimittam, BRETTO meo adhuc duas tresue obſeruationes ex illo ſuggeram, ſatis quidem obuias ipſi autem haud memoratas.

I. *Primo* quidem, Quod BASILIVS, aut certe CYPRIANVS & FIRMILIANVS, quorum opiniones narrat, non ſic, vti quidem recentiores ſcriptores, ſtatuerint de indelebili ſacerdotis charactere. Sentiebant, quod, ſi epiſcopus vel preſbyter in hæreſin vel ſchiſma inciderent, non eſſent amplius ſacerdotes, ſed tantum laici, non ſimiles vel æquales laicis, tametſi hoc ſatis eſſet, ſed perfecte & omnino laici, nec ſacerdotes: quod fundamentum eſt argumenti eorum pro rebaptizandis illis, qui ab eis eſſent baptizati.

zati. Verba eorum plana ſunt, λαϊκοὶ γενόμενοι, quod hæretici & ſchiſmatici, ab eccleſia deficientes, fiant laici, adeoque haud longius habeant auctoritatem ſacerdotum. Iam ſi cum BRETTO ſtatuamus, canones BASILII prorſus confirmatos eſſe ab eccleſia vniuerſali, manifeſtum eſt, ſententiam recentiorem de indelebili charactere non fuiſſe doctrinam eccleſiæ catholicæ & nihilo quidem magis, quam BASILII fuit; ſed quod epiſcopus aliquis vel ſacerdos epiſcopalem vel ſacerdotalem ſuam auctoritatem poteſtatemque poſſit perdere, & per diſciplinam eccleſiæ ob crimina ſua, ſiue hæreſis fuerit, ſiue ſchiſma, ſiue alius generis facinus, reduci ad ſtatum & conditionem laicorum; quod ego ſic ſe habere probaui, non quia BASILIVS dicit, aut quia canones eius ab eccleſia recepti ſunt, ſed quia conſtans ac cognita doctrina & diſciplina eccleſiæ vniuerſalis fuit.

2. VNDE ſequitur *ſecundo*, vt ſacerdotes, qui auctoritatem ſuam amiſerunt, nihilo plus poteſtatis habere potuerint baptizandi quam laici, vt BASILIVS recte obſeruat, idque ſatis conuenienter ſententiæ & receptæ opinioni eccleſiæ catholicæ, quam in ſequenti diſſertatione vberius enarrabo.

3. VERVMTAMEN obſeruo *tertio*, quod, quantum ſpeciatim ad ſchiſmaticos attinet, quos BASILIVS æque ac hæreticos in laicis ponit, eos quidem, pro ſua priuata ſententia, non minus quam hæreticos baptizandos eſſe ſtatuat, huic tamen opinioni non pertinaciter inſtiſtat, ſed morem eccleſiæ in quauis regione ſequendum eſſe iudicet, an baptizandi ſint denuo, nec ne? Et hoc in ſpecie ad *Nouatianos* applicat alioſque ſimiles ſchiſmaticos in fide non errantes, nec ab eccleſia in doctrinis fundamentalibus penitus abruptos. Vnde quum eccleſiæ in *Aſia* baptiſmum eorum per quamdam diſpenſationem ſuſciperent, ille non aduerſabatur. Vt adeo ex eius opinione, ſi eccleſiæ expedire videatur, baptiſmum laicorum recipi, in poteſtate eius ſitum ſit eum admittere. Atque in hunc modum BASILIVS non ſolum in primo ſuo canone, ſed etiam in quadrageſimo ſeptimo in cauſſa *Encratitarum* definit.

4. HINC *poſtremo* obſeruo, quod eccleſia ad haſce regulas BASILII decreta conciliorum generalium & communem conſenſum & praxin ſuam in his materiis accommodauerit. Vt proinde,

de, postquam concilium *Nicænum* baptisma *Nouatianorum* admisit, licet tam ex opinione BASILII quam reuera non nisi laici essent; et postquam concilium *Constantinopolitanum*, non multo post mortem BASILII, idem de *Nouatianis* & diuersis aliis definiuit: in omnibus istis ecclesiis, quæ horum conciliorum auctoritati se submiserunt, nullus amplius locus disputationi hac de materia relinquendus, sed vel determinatio conciliorum vel consuetudo cuiuslibet ecclesiæ a priuatis hominibus omnibus obseruanda, nec vlla turba de hac disciplinæ parte facienda fuerit. Quibus omnibus consideratis non potest ex BASILII canonibus eorumue receptione in ecclesia concludi, baptismum laicorum generatim fuisse declaratum nullum & irritum; sed contrarium potius necessario concludendum est, Quod, quum hæretici & schismatici ex opinione BASILII & ecclesiæ generatim laici declarati, & tamen baptismi horum laicorum per publica ecclesiæ decreta suscepti fuerint; quod, inquam, generalis ecclesiæ mos fuerit, vt baptismos laicorum, debita forma datos, receperit sine rebaptizatione. Tam infeliciter doctus amicus meus conclusionem ex antiquis patribus tentat facere, vt id pro caussa sua vrgeat, quod directe contrarium demonstrat.

§. VI.

Hæresis Luciferianæ *enarratio. Et num* Hieronymus *testis sit de vsitato ecclesiæ more abrogandi seu irritum declarandi baptismum laicorum in casibus ordinariis.*

VIDEAMVS nunc, an altera magna caussæ suæ columna et fulcro, HIERONYMO videlicet, fretus rem felicius gerat BRETTVS. Non dicit, HIERONYMVM totum a partibus suis stare, sed in vno duntaxat momento. Fatetur, HIERONYMVM laicis permittere, vt vrgente necessitate baptizent; tum vero dicit, eum sibi ipsi contradicere, nec loqui sensum ecclesiæ sed tantum privatam TERTVLLIANI opinionem contra ecclesiam; licet verbis sat claris loquatur, *Quod frequenter*, inquiens, *si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere laicis.* Hæc certe non est TERTVLLIANI vel HIERONYMI, sed ecclesiæ permissio, quæ laicos instruxit auctoritate id frequenter faciendi, si necessitas coëgerit. Si

Si vero id sæpius fecissent sine auctoritate ecclesiæ, dubitandum non est, quin ecclesia quædam decreta contra istam agendi rationem factura fuisset, maxime quando AVGVSTINVS & concilium *Illiberritanum* & diuersa alia pro hoc baptismo mentem suam declararunt. Satis caussæ heic erat exspectandi, vt generalia quædam concilia auctoritatem suam interponerent (vti alio in casu contra *Cyprianistas* fecit) & laicos quocunque in casu baptizare vetarent, si a sententia & disciplina ecclesiæ alienum fuisset illud eis permittere. Verum auctor noster non audet vllum generale concilium hanc in rem citare. Adhuc vero contendit, ecclesiam eos, qui a laicis baptizati fuerint in casibus ordinariis, semper rebaptizasse. Iam vt ipsum de errore suo conuincam, duas tantum perspicuas quæstiones ei proponam. 1. Num ecclesia vllum vmquam generale decretum fecerit de rebaptizandis iis, qui debita forma ab hæreticis & schismaticis tincti fuerint; siue num HIERONYMVS vmquam de tali decreto loquatur? Noui, doctum amicum meum hoc non velle adserere, quia contrarium antea ita demonstraui, vt satis ei fuerit. Quæro itaque 2. Num ecclesia in vllo vmquam generali concilio declarauerit, hæreticos & schismaticos, quam diu tales manserint, esse veros & auctoritate præditos sacerdotes Dei, siue, num HIERONYMVS vllum eiusmodi decretum produxerit? Si eiusmodi declarationes & decreta generalium conciliorum exstare dixerit, facile erit ea producere, quemadmodum ego satis multa in sequenti dissertatione produxi in contrarium. Sin autem nullum producere potest, quod hoc dicat, sed omnia vnanimiter in contrarium declarant, hæreticos & schismaticos non esse amplius veros sacerdotes Dei sed laicos, vel gradum laicis inferiorem in ecclesia: tum necessario sequitur, vt ecclesia, quando baptismum hæreticorum & schismaticorum suscipi iussit, baptismum suscipi iusserit eorum, qui ex opinione ipsius nihilo meliores fuerunt quam laici. Si HIERONYMVM dixerit de eo testari, quod ecclesia hæreticos & schismaticos pro veris sacerdotibus Dei habuerit, facile erit eius adferre testimonium. Tum vero, quidquid hoc ipso lucratus fuerit, hoc solum erit, quod HIERONYMVS generalibus conciliis contradicat & suam ipsius falsam opinionem pronuntiet, quæ hac in caussa non potest esse idoneum testimonium de opinione ecclesiæ

clesiæ contra clarius & grauius generalium conciliorum testimonium.

Hoc, vt pluribus verbis supersedeam, satis idoneum responsum credo habitum iri ad ea omnia, quæ BRETTVS noster produxit aut producere potest ex HIERONYMI dialogo aduersus *Luciferianos*. Atque ita disceptationi de hac re finem possem imponere. Quoniam vero dialogus iste difficilis & perplexus sermo est in priore eius parte, & auctor noster illam partem fundamentum adsertionis suæ esse voluit, ego in gratiam eruditi lectoris in istius dialogi scopum paullo studiosius inquiram, & caussam HIERONYMVM inter & *Luciferianos* quam possum plenissime & accuratissime sistam. Prima schismatis *Luciferiani* initia ex dura & inflexibili obstinatione & rigore LVCIFERI, episcopi *Caralitani* in *Sardinia*, noscuntur esse nata, qui quum ob fidem, contra *Arianos* tempore *Constantii* imperatoris *Romani* defensam, confessoris nomen obtinuisset, a ratione alienum putabat, vt finita persecutione trecentis illis episcopis, qui in synodo *Ariminensi Arianis* eatenus se accommodauerant, vt de expungendo verbo *consubstantialis* in symbolo illis consentirent, in stationibus suis longius manendi daretur licentia, vt qui, ex opinione eius, fidem & caussam ecclesiæ catholicæ prodidissent. Hinc simulac concilium, *Alexandriæ* sub *Athanasio* an. CCCLXII. habitum, hosce episcopos in locum quemque suum denuo recipiendos esse decreuisset, quia iustam caussam non inueniebat eos excludendi: LVCIFER hac in re offensus suoque nimis iusto nimiumque sapienti zelo inductus secessionem faciebat ab ecclesia, nec amplius cum his lapsis episcopis nec cum illis, qui eos receperant, communionem colere volebat; declarans vniuersam ecclesiam catholicam degenerasse in meretricem & synagogam Antichristi, eo, quod illos recepisset. Hæc res occasionem dabat diuersis quæstionibus, ab HIERONYMO dirimendis; quarum ad alias rotunde & directe respondet & ex catholicis principiis, ad alias tantum ex hypothesi, aduersariorum suorum insistens adsertionibus; et in posterioribus hisce non semper sententiam suam aut sententiam ecclesiæ loquitur, sed tantum ostendit aduersario suo, quid inde necessario sequatur, si eiusmodi falsum principium seu falsam adsertionem foueat, vt ad absurdum ipsum redigat. Si quis has res

res non velit diligenter distinguere, non poterit hunc HIERONYMI dialogum intelligere, nec sensum partis vnius cum sensu partis alterius conciliare. Quæstiones igitur propositæ erant huiusmodi:

1. NVM *Ariani* & alii hæretici essent ethnici? *Luciferiani* hoc adfirmabant; negabat vero HIERONYMVS.

2. NVM posito, eos esse hæreticos, dare possent eiusmodi christianum baptismum, quem non opus esset iterari? Hoc *Luciferiani* adfirmabant, HIERONYMVS autem negabat ex ista hypothesi. Nullum enim ethnicum nec quempiam præter baptizatum, dicebat, posse dare baptismum christianum. Attamen vbi quæstio alio modo proponebatur,

3. NVM hæreticus *Arianus*, consideratus absolute vt persona baptizata, non vero ex hypothesi *Luciferiana* vt mere ethnicus, dare posset talem baptismum, quem non necesse sit repeti ab ecclesia? Tum HIERONYMVS non solum adfirmabat, sed defendebat etiam ex sacra scriptura & conciliis, hæreticorum baptismum, in debita forma datum, non esse repetendum. Ex quibus videre licet, HIERONYMVM eamdem rem adfirmasse & negasse ex diuersa hypothesi, sine vlla contradictione.

4. PROXIMA quæstio erat, Num quis præter sacerdotem baptizare posset? *Luciferianus* adfirmabat, vnumquemque, etiam *Arianum*, hoc est ex eius opinione ethnicum, aliquem, qui non sit sacerdos nec christianus, posse baptizare. HIERONYMVS autem hæc omnia negabat & contra adserebat, oportere aliquem esse sensu quodam christianum sacerdotem, vt idoneus sit ad baptizandum. Distinguebat autem duplicem notionem sacerdotii, & casus ordinarios ab extraordinariis. Dari *sacerdotium laici*, vt vocat, hoc est baptismum eius, æque ac sacerdotium clericorum, quod illis potestatem concedat baptizandi in extraordinariis, vt hisce in ordinariis casibus. Et sine huius vel illius generis sacerdotio non posse esse administrationem baptismi. Vnde si *Ariani* ethnici sint, vti *Luciferianus* adserebat, eorum laicos esse rebaptizandos tanquam gentiles: siquidem ethnicus non possit esse sacerdos siue sensu strictiore siue latiore, neque adeo eum baptizare posse in ordinariis vel extraordinariis casibus.

fibus. Heic HIERONYMVS rurfus difputat ex hypothefi & principiis *Luciferianorum*.

5. ALIA quæftio erat, Num quis poffet baptifmum adminiftrare, qui peccatorum remiffionem & vna cum illa fpiritum fanctum dare nequeat? *Luciferiani* id adfirmabant, negabat HIERONYMVS. Et heic, fateor, non poffum capere ratiocinationem HIERONYMI, nec eam conciliare cum doctrina ecclefiæ catholicæ. Quod fi eruditus amicus meus hac in re mihi opitulari volet, et mihi & HIERONYMO officium præftabit. Exploratum enim eft, AVGVSTINVM femper ex contraria notione contra *Cyprianiftas* & *Donatiftas* argumentari, Quod verus baptifmus dari poffit fine peccatorum remiffione, fiue fpiritu, qui eam comitetur. Hæretici enim non habent poteftatem dandi vel remiffionem peccatorum vel fpiritum. Hic ipfe erat defectus baptifmatis eorum, eamque ob cauffam concilia omnia hæreticos, ad ecclefiam redeuntes, cum impofitione manuum fufcipi iubebant, vt acciperent veniam peccatorum & fpiritum, quem in baptifmo hæreticorum recipere antea non potuerant, quemadmodum in priore parte *hiftoriæ* meæ *fcholafticæ* abunde demonftravi, quam rem auctor nofter in dubium vocare non eft aufus. Quo pacto igitur fententia HIERONYMI cum regula ecclefiæ in hoc fpecialiore capite conciliari poffit, ego iam non video, gratiam ei habiturus, qui id pro me fecerit.

6. ALIA quæftio, & quidem præcipua & maxima in vniuerfo hoc dialogo, tametfi folum ad rem facti attinebat, erat, Vtrum epifcopi fynodi *Ariminenfis* reuera *Ariani* fuerint necne? *Luciferiani* adfirmabant, HIERONYMVS prorfus negabat & ex hiftoria atque actis iftius concilii tunc exftantibus, ad quæ prouocabat, demonftrabat dilucide, eos omnes fuiffe epifcopos catholicos & tantum catholico fymbolo fubfcripfiffe fenfu catholico: *Vrfatium* vero & *Valentem*, duos dolofos & vafros *Arianos* blandis verbis ab illis petiiffe, vt vocabulum ὁμοούσιος pacis cauffa ex fymbolo expungi finerent, omnia tunc pacata futura, nec vllam amplius difputationem motum iri de religione. Hoc vero vix dum eos conceffiffe, quum hi fraudulenti *Ariani* rumorem in vulgus fpargere & palmas fuas iactitare cœperint dicentes, fefe fidem *Nicænam* aboluiffe. Quod fimul atque epifcopi *Ariminenfes* intellexiffent, flentes iftam frau-

fraudem abominatos, & corpus Domini, & quidquid in ecclesia sanctum est, contestatos, numquam se induxisse animum facere decretum *Arianum*, vti perfidi illi homines falso de se perhibeant. Ingemuisse totum orbem & miratum esse, *Arianum* se esse. Quae verba non ita capienda esse, vt vulgo accipiantur, hosce trecentos episcopos fuisse *Arianos*, siue totum orbem cum illis factum esse *Arianum*, sed hosce episcopos vero moerore adfectos esse & conquestos, quod isthoc dolo in suspicionem *Arianismi* vocarentur, quum nihil huiusmodi in mentem sibi venerit. Ita hosce catholicos episcopos recte defendit HIERONYMVS, vt ab *Arianismo* eos liberet, quem *Lucifer* post *Vrsatium* & *Valentem* illis tribuerat. Eam rem eis vituperationi esse fatetur, quod vocem ὁμοούσιος omiserint, quam synodus *Nicaena* fecerit fidei propugnaculum; condidisse autem eos symbolum *Arianum*, prorsus negat. Et hinc ecclesiam aduersus *Luciferum* tuetur, quod eos in statione sua manere permiserit. *Cur damnassent eos*, inquit, *qui Ariani non* [b] *erant*, *cur ecclesiam scinderent*, *in concordia fidei permanentem? Cum* (leg. *cur*) *denique credentes bene, obstinatione sua facerent Arianos?* Et paucis interiectis addit: *In Alexandrina postea synodo constitutum est*, *vt exceptis auctoribus haereseos*, *quos error excusare non poterat*, *poenitentes ecclesiae sociarentur: Non quod episcopi possint esse*, *qui haeretici fuerint, sed quod constaret, eos, qui reciperentur, haereticos non fuisse.*

POSTERIORIBVS hisce verbis HIERONYMVS mihi videtur duas alias quaestiones determinare, nempe

7. NVM posito, istos episcopos fuisse apertos *Arianos*, veri nominis episcopi habendi fuerint, dum fuerunt haeretici? Et

8. NVM ecclesia per disciplinae seueritatem voluerit aut potuerit eos, post eiuratam haeresin, rursus admittere in suam stationem, sine violatione suae ipsius ordinariae regulae, quae omnes, qui in haeresin incidissent, officio episcoporum & clericali sacerdotio priuari iubebat? HIERONYMVS mihi duas hasce quaestiones negando videtur determinare his verbis, *Non quod episcopi esse possint, qui haeretici fuerant.* Hoc enim ostendam exacte conuenire communibus & ordinariis regulis ecclesiae, quibus

(b) Hieron. contr. Luciferian cap. VII.

cautum erat, ne hæretici pro veris episcopis vel sacerdotibus haberentur, dum essent hæretici, nec per disciplinæ seueritatem episcopi vel sacerdotes admitterentur, ad ecclesiam catholicam reuersi, sed vt illis tantum in conditione laicorum communicare concederetur.

9. VERVMTAMEN alia grandis quæstio erat, de qua HIERONYMVS & *Luciferiani* prorsus inter se dissidebant, Annon ecclesia grauibus de caussis pro sua sapientia a seueritate & rigore disciplinæ suæ posset discedere? hoc est, Annon ecclesia, si id expedire crederet, episcopo cuidam hæretico dare posset auctoritatem, vt ab hæresi ad ecclesiam reuersus, ageret rursus tanquam episcopus? Hoc pernegabat LVCIFER, & hoc erat, quod schismatis sui fundamentum iaciebat. HIERONYMVS autem multa cum ratione & eloquentia hanc potestatem ecclesiæ, qua nonnumquam vtens, pro sapientia sua ex iustis & idoneis rationibus, a disciplinæ suæ rigore discedebat, tuebatur. Disputat hoc cap. II. ex ipsorum *Luciferianorum* consuetudine, qui *Arianos* laicos admitterent sine rebaptizatione, ex sapienti quidem consilio, quia nemo conuerteretur, si se sciret rebaptizandum, & ita fieret, vt ipsi sint caussæ perditionis eorum, si omnino repudiarentur. Hinc HIERONYMVS argumentatur, Quod si *Luciferiani* in recipiendo laico talem ineant rationem, vt vnam animam saluent, maior caussa sit eamdem rationem ineundi in recipiendo episcopo, qui si redeat, non vnius ciuitatis populos, sed vniuersam, cui præsit, prouinciam ecclesiæ sociaturus; si vero repellatur, multos secum in ruinam tracturus sit. Porro argumentatur cap. VII. ex patrum *Nicænorum* exemplo, qui octo episcopos *Arianos*, quos sine damno ecclesiæ abiicere potuissent, susceperint: & mirari se dicit, quosdam *Nicænæ* fidei sectatores tantæ duritiæ existere, vt non putent, ecclesiam id ob totius orbis salutem necessario facere debuisse, quod tot & tales viri voluntate fecerint, quum tamen istiusmodi quid illis haud fuerit vel metuendum vel exspectandum. Atque ita ex HIERONYMI sententia ecclesia habuit potestatem lapsos episcopos in pristinam suam stationem denuo recipiendi, si graues & idoneæ rationes id requirerent, tametsi hac in re ab ordinario disciplinæ suæ rigore paullum discederet. Et hæc fuit magna illa disceptatio inter LVCIFERVM & ecclesiam.

LVCI-

LVCIFER nihil de disciplinæ seueritate imminui volebat in extraordinariis casibus, sed regulæ ordinariis casibus præscriptæ pertinaciter insistebat, nullam eorum, quæ hinc consequi poterant, habens rationem.

10. Et hæc res in alium grauem errorem eum induxit, Quod vniuersa ecclesia polluta fuerit & profanata in eo, quod istos episcopos, quos *Arianos* esse existimabat, in pristinum officium & stationem suam suscepisset. Adserebat, vniuersum mundum hinc esse diaboli, & factum de ecclesia lupanar & synagogam Satanæ, nec superesse vspiam veros christianos, nisi in *Sardinia* insula, vbi LVCIFER eos gubernet. Hanc absurdam & inhumanam opinionem HIERONYMVS capite primo & octauo huius dialogi grauiter refutat.

Hilarivs diaconus *Romanus* vlterius progressus his omnibus addebat, ecclesiam non solum pollutam esse, sed omnes, qui essent ab hæreticis baptizati, rebaptizari oportere, vt christiani efficerentur. Quod plus erat, quam LVCIFER magister eius adseruerat. Contra hoc posterioribus duobus capitibus dialogi sui disputat HIERONYMVS ex auctoritate sacræ scripturæ, synodi *Nicænæ* & consuetudine ecclesiæ, & ex auctoritate ipsius LVCIFERI eos recipientis, qui apud *Arianos* fuerant baptizati, quamuis clericos in pristinam stationem recipere nollet. Vnde apparet, quod, quum HIERONYMVS contra baptismum *Arianorum* in priore dialogi parte disputat, non absolute suam ipsius vel ecclesiæ sententiam loquatur, sed tantum disserat ex hypothesi, ex adsumtis principiis & adsertis aduersariorum suorum, vt absurdas & iustas opinionum ipsorum consequentias ostendat; si ARIANI, vti dictitabant, essent ethnici, tum eos oportere rebaptizari, qui essent ab ipsis baptizati; ethnicos enim non posse dare baptismum christianum.

Hvivs clauis beneficio, curate videlicet distinguendo ea, quæ HIERONYMVS loquitur absolute, tanquam manifestam suam ipsius opinionem, ab illis, quæ tantum cum hypothesi disserit ex opinionibus aduersariorum suorum, oportet vt vnusquisque faciliorem dialogi eius partem intelligere studeat. Quod autem ad ea attinet, quæ perquam difficilia sunt in isto dialogo, vti, quid sibi velint, me interpretari posse non dixerim, ita alio-

rum diſcipulus quam magiſter eſſe malo in iis, quæ me non intelligere profiteor; Sicut eam partem dialogi eius non intelligo, vbi dicere videtur, non poſſe eſſe verum baptiſmum ſine remiſſione peccatorum & dono ſpiritus, quod ſenſui catholicæ eccleſiæ conciliare non poſſum nec adſerto de valido hæreticorum baptiſmo, quod aduerſus HILARIVM diaconum ipſe HIERONYMVS tuetur. Neque alium quemdam ſermonem eius intricatum cum *Luciferianis*, & communes notasque regulas ac praxin eccleſiæ, conciliare poſſum, quem ſermonem tamen doctus amicus meus dicit eſſe clarum & certum non tantum ſui ipſius, ſed eccleſiæ etiam, idem ſentientis, opinionis indicium atque argumentum, Quod baptiſmus laicalis in caſibus ordinariis omnino nullus & vacuus ſit. Quid? quod confidenter dicat p.63. *Si non poſſit demonſtrari ex iſto dialogo, quod Hieronymus baptiſmum laicorum (in ordinariis ſaltem caſibus, vtut in extraordinariis caſibus permiſſus fuerit) non tantum illicitum, ſed etiam prorſus inualidum & conſequenter repetendum eſſe ſtatuat, ſe cauſſam dereliĉturum.*

IAM quidem exiſtimes, te ſtatim tam plana verba, ad hanc rem demonſtrandam adlata, viſurum, quam ego produxi, vt baptiſmum laicorum in neceſſitatis caſibus reputatum fuiſſe legitimum oſtenderem. Sed fruſtra. Quidquid enim BRETTVS noſter citat, non eſt adſertio in planis verbis, ſed habet tantum aliquam probabilitatem ex duobus tribusue locis HIERONYMI, vbi certum non eſt, vtrum ſimpliciter vel ſuam ipſius vel eccleſiæ mentem declaret, an tantum ex hypotheſi opinionem aduerſariorum ſuorum loquatur. Quod auctor ex HIERONYMO demonſtrare adnititur, hoc eſt, Quod epiſcopi *Ariani* ſint veri epiſcopi, non vero laici. Alioquin enim non videt, quomodo defendere poſſit, quod eccleſia eos, qui baptizati ab illis fuerint, recipiat ſine nouo baptiſmate. Enim vero non poſſum, quin heic obſeruem, eſſe BRETTVM in demonſtrando longe infeliciſſimum. Duas enim adfert demonſtrationes, quarum altera alteri contradicit, & altera alteram deſtruit. Non multo ante audiuimus ipſum demonſtrantem ex BASILIO, idque nomine vniuerſæ eccleſiæ, hæreticos omnes & ſchiſmaticos eſſe tantum laicos; & heic eum habemus demonſtrantem ex HIERONYMO, idque nomine eccle-

ſiæ,

siæ, *Arianos* hæreticos esse veros episcopos & sacerdotes, non laicos. Quomodo autem hæc simul consistent? Quænam distinctio in scholis vsitata liberabit ea verba a contradictione? Et vtri demonstrationi aurem nos præbere volet, illine ex BASILIO, an huic ex HIERONYMO? Quod ad me attinet, iam dixi, demonstrationem illius ex BASILIO mihi videri propius accedere ad sententiam ecclesiæ de hæreticis & schismaticis, quod non reputati fuerint episcopi & sacerdotes, sed tantum laici: non, quod ipse hoc solide demonstrarit, sed quia ego in hac ipsa dissertatione id dilucidius pro illo demonstraui. Atque hoc sat graue præiudicium est in eam, quam fingit, demonstrationem ex HIERONYMO, in sapientis cuiusque & honesti hominis animo, & ratio idonea esse potest sine ampliore disquisitione eam dimittendi. Verum ne amicus noster de inhumanitate mea conqueratur, quod vtramque demonstrationem eius benigne audire nolim, & quum quodammodo putem erudito lectori vtile futurum, res omnes, quæ ad HIERONYMVM attinent, recte constituere, examinabo sic dictam demonstrationem paullo curatius auctoremque nostrum κατὰ πόδα sequar.

AIT p. 64. *Si præcipuus locus communis Hieronymi, cui omnia eius argumenta innituntur, tunc temporis non fuerit nota sententia & praxis ecclesiæ, controuersiam eius cum Luciferianis de priuata ipsius opinione fuisse.* Atque ita esse poterit, quidquid in contrarium dixit BRETTVS. Nam ego supra ostendi, HIERONYMVM in certo capite manifeste priuatam opinionem tueri contra sensum ecclesiæ, quando dicit, non posse esse verum baptismum sine remissione peccatorum & gratia spiritus, in eo donata; quæ res ad abolendos omnes omnium hæreticorum baptismos spectat. Quod si HIERONYMVS in hoc capite manifeste priuatam quamdam opinionem defendit, cur id non fecerit in alio quocunque, & inprimis in eo de inualido baptismo laicorum, si hæc reuera eius opinio fuit, vti non fuisse existimo?

AT ENIM dicit, *non fuisse tantum hanc opinionem eius, sed præcipuum caput, quod defendat, nimirum quod baptismus laicorum sit inualidus, & quod eos, qui talem baptismum acceperint, verum ecclesiæ baptismum accipere oporteat: atque hinc*, ait, *sequi, vt hæc doctrina eo tempore fuerit publica sententia & praxis* ecclе-

ecclesiæ catholicæ. An fuerit hæc doctrina & praxis ecclesiæ catholicæ, paullo inferius videbimus: In præsenti tantum obseruamus, inualidam baptismi laici rationem non fuisse præcipuum caput, quod defenderit. HIERONYMVS, si omnino defendit. Quisquis enim ea legerit, quæ de quæstionibus, ab HIERONYMO dissolutis, monui, is facile perspiciet, maximum omnium caput & præcipuam quæstionem ex reliquis omnibus fuisse, An episcopi synodi *Ariminensis* vere fuerint *Ariani* hæretici nec ne? Et huic quæstioni eam fuisse proximam, An ecclesia catholica potestatem habeat, præter ordinariam disciplinæ regulam, episcopos, qui in *Arianam* hæresin lapsi essent, in stationem aliquam clericalem denuo recipiendi? Erant hæ præcipuæ & potiores quæstiones in vniuerso certamine, reliquæ hinc tantum fluebant. Exempli gratia, Num *Ariani* & reliqui hæretici omnes mere gentiles essent? Num posito eo baptismus hæreticorum esset validus & non potius repetendus? Num quis præter christianum sacerdotem baptismum christianum administrare posset? cetera. Fallitur itaque BRETTVS, quando inualidam baptismi laici rationem præcipuum disputationis caput fuisse dicit, quippe de qua prorsus non est disputatum nisi tantum ex hypothesi. Bene etiam fecisset, si, quum me reprehendit, quod non legerim & considerauerim studiose dialogum HIERONYMI, nec disputationem eius cum *Luciferianis* accurate constituerim, lectori suo demonstrasset, se eum studiosius & maiori quidem cum iudicio legisse, materia omni plenius & accuratius enarrata, quæ res multo maiorem vsum habitura fuisset, quam reliquæ duæ eius, quas vocat, demonstrationes.

VNVM autem est, quamquam ad hanc caussam non multum adfert momenti, quod in amico nostro BRETTO obiter reprehendere necesse habeo, nimirum quod me interdum male repræsentet, vti e. g. heic perhibet, me dicere, *Arianos* sacerdotes tantum esse meros gentiles; quum tamen vocabulum *tantum* de suo interponat: ego enim non volui dicere, disputationem fuisse tantum de sacerdotibus, vel de hæreticis *Arianis*, reliquis omnibus exclusis. Rursus dicit pag. 66. *Me facere id præcipuum caput controuersiæ, an Ariani fuerint gentiles, quum reuera nihil aliud fuerit, quam res a Luciferiano negligenter adserta, &* *quam*

quam statim deseruerit, adeoque rationes caussae hinc non dependere. Ad quae respondeo, verba mea heic iterum esse mutata, *praecipuum caput* in locum τῶν *quoddam caput* surrogatis, modo vt ea momentum aliquod disputationis frustra efficiantur; quod genus scribendi vt in posterum omittat amicus meus, rogo.

VNDE vero apparet, rationes caussae a parte *Luciferiani* nequaquam dependere ab hoc capite? Cur, inquit BRETTVS, caussam suam tuetur, postquam eam prorsus deseruit? Quae res ostendit, quam negligens amicus noster fuerit in considerando vniuerso dialogi *Hieronymiani* scopo, eodem tempore, quo me neglectae diligentiae in illo legendo arguit. Nam primo hoc ipsum caput denuo in scenam producitur de eoque a duobus istis disputatoribus in capite quinto dialogi in vtramque partem disceptatur. *Luciferianus* caussam suam perorat in hunc modum [c]: *Laico ideo ignoscendum est, quia ecclesiam Dei putans simpliciter accessit, & iuxta fidem suam credens baptizatus est.* Ad quae Orthodoxus sic respondet: *Nouam rem adferis, vt christianus quisquam factus sit ab eo, qui non est christianus.* Nonne haec dicuntur ad hypothesin *Luciferiani*, quod *Ariani* non sint christiani sed ethnici? Posito autem rursus, hoc caput disputationis ab *Hilario* prorsus fuisse derelictum: BRETTVS scire potuisset, hunc *Hilarium*, disputatorem *Luciferianum*, non hoc solum caput, sed reliqua capita controuersa omnia gradatim aliud post aliud deseruisse, antequam ad finem dialogi peruentum sit, vti se ab Orthodoxo conuictum & conuersum fatetur. An hinc concludere volet BRETTVS, haec non fuisse ex capitibus disputationis inter catholicos & *Luciferianos*, quia hic vnus quidam *Luciferianus* omnia & singula deseruit, ab opponente Orthodoxo conuictus? Credo, si acciderit, vt BRETTVS mihi omnia capita, de quibus inter nos in hoc libro agitata est controuersia, concedat, sicut iam vnum aut duo concessit, amicos eius vix esse largituros, non superesse amplius capita disputationis, eo quod conuictus illa mihi concesserit. Et tamen haec via est, quam bonus

(c) Hieron. contr. Lucifer. cap. V.

ille vir init, vt lectori ſuo perſuadeat, me manifeſto aberraſſe in definiendo ſtatu controuerſiæ inter *Hieronymum* & *Luciferianos*.

SED deſinamus velitari & veniamus ad illud caput, quod BRETTVS rationes fundamentales cauſſæ vocat, illudque cum ipſo ad finem perducamus. Dicit pag. 66. *Publice profeſſam doctrinam & praxin ſectæ Luciferianorum fuiſſe, vt Ariani, hæreſi ſua renuntiantes, per pœnitentiam, non autem per baptiſmum, reciperentur, & quidem vniuerſi vt laici, nulli vt clerici: qua doctrina & praxi diuerſi fuerint ab orthodoxis, qui Arianos laicos vt laicos, & clericos eorum vt clericos, receperint ſecundum ordines, quos, durante eorum hæreſi, acceperint; ita vt Arianus epiſcopus, ſi ad eccleſiam tranſiiſſet, epiſcopus, ſacerdos ſacerdos; et diaconus diaconus reputatus ſit. Quum contra, ſi quis* ARIANVS *epiſcopus ſacerdos, vel diaconus ad Luciferianos tranſiiſſet, non niſi merus laicus reputatus ſit.*

BRETTVS hoc vocat verum ſtatum controuerſiæ, nullum autem auctorem pro hoc adſerto producit, & id bene quidem facit, nullum enim pro quibuſdam eius partibus habet, quæ tantum eius commentum ſunt & inuentio, ob deficientem accuratam diſciplinæ veteris eccleſiæ intelligentiam excogitata. Quod de *Luciferianis* dicit, id recte ſe habet; non admiſerunt illi *Arianos* epiſcopos, ſacerdotes, vel diaconos, niſi tantum vt laicos: Id autem verum non eſt, quod eccleſia ab altera parte *Arianos* epiſcopos, ſacerdotes & diaconos ſemper in eamdem ſtationem, quam antea habuerint, admiſerit, multo minus reliquos hæreticos & ſchiſmaticos quoſcumque. Nam ſæpiſſime hoc eis priuilegium denegauit, & per ordinariam legum ſuarum ſeueritatem hoc facere debuit; adeoque eos per exactam diſciplinam ad communionem mere laicam identidem redegit, nec vel ante, dum in hæreſi viuerent, vel poſt eorum reditum ad eccleſiam, alios atque laicos reputauit; vti auctor noſter in ſequenti diſſertatione a me plenius demonſtratum inueniet, nec dubitem, quin eo contentus futurus ſit & acquieturus. Hæc igitur non potuit eſſe

se contrahendi, quam cum *Luciferianis* ecclesia habuit. Sed [illegible] ecclesia ad hanc regulam disciplinæ in exacto rigore & seueritate sua ita alligata esset, vt non posset ex vlla prudentiæ ratione vel vlla extraordinaria necessitate ab ea discedere, [illegible] *Ariano* vel alius generis hæretico episcopo permitteret fieri ecclesiæ catholicæ episcopum, ita vt ne suam ipsius communionem [illegible] solueret? LVCIFER ecclesiam non habere aiebat talem potestatem migrandi suas regulas, quæcunque id poscere videretur necessitas. Et hinc communionem cum ecclesia soluebat, quod hos trecentos episcopos synodi *Ariminensis* recepisset, quos tanquam *Arianos* hæreticos de gradu deiiciendos esse sentiebat. Ecclesia autem libertatem suam ac potestatem ex iustis & idoneis rationibus ab hac regula discedendi tuebatur. Proinde, sicut in quibusdam casibus *Arianos* aliosque hæreticos inter clericos recipere recusabat; ita [illegible] prudentia sua & caritate id expedire intelligeret, ordinariam regulam migrabat eosque arbitratu suo admittebat. Hæc res male habebat *Luciferum*, & hæc erat schismatis eius occasio. Ille omnes hæreticos repudiandos esse contendebat, ecclesia eos arbitrio suo, vel reiiciendos vel recipiendos esse statuebat. Ille ecclesiæ potestatem hac in caussa simpliciter abiudicabat; ecclesia potestatem suam & libertatem agendi hac in re, prout idoneæ rationes & necessitudines ecclesiæ exigerent, tuebatur. Hinc *Arianos* aliosque hæreticos episcopos non [illegible] eum [illegible] recipiebat [illegible] quo erant, vt ALBERTVS [illegible] tantum vt rei necessitas requirebat. Non[illegible]nquam a regula sua discedebat, vt plurimum autem ad communionem laicam eos reducebat; vt ALBERTVS ex canonibus ecclesiæ & ex ipsius HIERONYMI dialogo discere potuisset, nisi (vt solet) nimis properans festinanque conclusiones suas fecisset. Nam, vt supra obseruauit, HIERONYMVS cap. VII. huius dialogi dicit, per rigorem disciplinæ nullos permitti esse episcopos in ecclesia, qui olim hæretici fuerint. Igitur admissio eorum non fuit res consuetudinis, vel necessitatis, vel vniuersalis moris, sed tantum [illegible] modum deflectendi ab ordinaria regula, tanquam res [illegible] beneuolentiæ, vel vtilitatis, prout prudentia hac illa[illegible] [illegible] occasione suggereret; qua de re ecclesia semper sese ip-

faciebat iudicem sibique libertatem reseruabat hoc vel illo modo agendi, quemadmodum maxime expedire existimabat; id quod LVCIFER, quæ erat animi eius durities & morositas, concedere nolebat. Hic erat verus huius rei status, quidquid in contrarium attulit BRETTVS.

VIDEAMVS autem, quomodo aduersus *Luciferianum* pro hac libertate & potestate ecclesiæ argumentetur HIERONYMVS, & quid commodi ex eius argumentatione BRETTVS noster capere gestiat. *Expone mihi*, inquit Hieronymus, *quare laicum venientem ab Arianis recipias, episcopum non recipias? Luciferianus* respondet: *Recipio laicum, qui & errasse se confitetur & Dominus mauult pœnitentiam peccatoris, quam mortem.* Orthodoxus dicit, *Recipe ergo & episcopum, qui errasse se confitetur, & Dominus mauult pœnitentiam peccatoris, quam mortem.* Luciferianus dicit, *Si errasse se confitetur: cur episcopus perseueret? deponat sacerdotium; concedo veniam pœnitenti.* Hieronymus, *Respondebo tibi*, inquit, *sermonibus tuis. Si laicus errasse se confitetur: quomodo laicus perseuerat. Deponat sacerdotium laici, id est baptisma: & ego do veniam pœnitenti. Scriptum est enim, Regnum quippe nos & sacerdotes Deo & Patri suo fecit. Et iterum: Gentem sanctam, regale sacerdotium, populum acquisitum. Omne, quod licet christiano, commune est tam episcopo, quam laico. Qui pœnitentiam agit, priora condemnat. Si non licet episcopo pœnitenti perseuerare, quod fuerat: non licet & laico pœnitenti permanere in eo, propter quod pœnitentiam confitetur. Nos nobis aduersa non facimus. Aut episcopum cum populo recipimus, quem facit christianum, aut si episcopum non recipimus, scimus etiam nobis populum reiiciendum.*

DE his BRETTVS hanc quæstionem format: *Nonne igitur ex principio Hieronymi & sensu ac praxi ecclesiæ catholicæ istius temporis sibi aduersa faciunt, qui dissentientes laicos, vt laicos christianos, & eorum doctores etiam in stationem laicorum recipiunt; eos autem, quos se putant facere christianos per baptismum, vt clericos recipere nolunt? Ecclesia catholica, vt obser-*

vat

vos illos (omnino) nullam pœnitentiam recipiebat sine baptismo, ut si ex sectis venirent, catholice etiam ut clerici, reciperentur.

Si disciplinam primitiuæ ecclesiæ recte intellexisset BRETTVS, nunquam talem, qualis hæc est, proposuisset quæstionem. Parcere enim animaduersioni suæ potuisset, si non ex alia ratione, tamen matris suæ, ecclesiæ *Anglicanæ*, caussa, cuius cognita & professa consuetudo, non vero priuati cuiusdam hominis praxis, manifesto castigatur. Neque vero ecclesia *Anglicana* magis, quam praxis vniuersæ ecclesiæ primitiuæ, reprehenditur, quæ in recipiendis illis, qui apud hæreticos & schismaticos baptizati erant, sæpissime hanc rationem inibat, vt illos tamquam laicos reciperet, quorum doctores & baptistas vt clericos recipere recusabat, sed illos tantum in stationem admittebat laicorum: quemadmodum auctori nostro ex aliis generis documentis, quam quibus ille heic insistit, vberius demonstrare constitui. Vt adeo quæcumque hac in re sibi inuicem aduersa fieri dicuntur, huius rei culpa non minus vniuersæ ecclesiæ primitiuæ quam vllis ecclesiis aliis tribuatur. Interea tamen, si hunc difficilem locum HIERONYMI recte intelligo, (me enim eum penitus perspexisse, non dixerim) nulla ratio suppetit faciendi talem ex argumentatione eius obseruationem. HIERONYMVS enim heic mihi non videtur absolute & dogmatice vel suam ipsius vel ecclesiæ sententiam loqui, sed vt dicitur, *κατ' ἄνθρωπον*, cum aduersariis suis, ex propriis ipsorum principiis & praxi argumentari. Satis manifestum est, sic eum facere in quibusdam locutionibus, vt quum ait: *Si laicus se errasse fatetur, quomodo laicus perseuerat? Deponat sacerdotium laici, id est baptisma, & ego do veniam pœnitenti.* Hoc non erat consentaneum principiis & praxi ecclesiæ. Hæc enim laicos non iubebat deponere baptismum, si semel recte baptizati essent ab hæreticis; neque HIERONYMVS id fieri vult, sed aduersariis suis tantum ostendit, quid facere ipsos oporteat ex suis principiis, quum hæreticos omnino inhabiles esse statuant, et idcirco secundum principia consentanea atque debere deponere sacerdotium suum, hoc est, baptisma, atque clerici sacerdotium suum deponere debeant, quia

ſi hæretici mere gentiles ſint, nullo iure baptiſmum chriſtianum habere vel dare poſſint. Et propterea tantumdem cauſſæ eſſe, cur eccleſiæ ſua relinquatur libertas recipiendi clericos in ſacerdotium ſuum, ſi id faciendum ducat, quam *Luciferiani* ſibi ſumant recipiendi laicos in ſacerdotium ſuum, quod erat illorum baptiſma, etiam vbi per principia ſua illos deponere debeant. Quare *Luciferianos* incuſat tanquam ſibi ſuisque ipſorum principiis aduerſa facientes, dum e contrario eccleſia principiis ſuis conuenienter agat, quippe quæ libertate ſua vtatur in recipiendis clericis in ordines ſuos, ſi pro ſua ſapientia id expedire iudicet. Non quod eccleſiam hoc in omnibus caſibus facere aut populum cum ſacerdotibus repudiare oporteat, vti BRETTVS contendit: Quorum neutrum vel ex HIERONYMO vel vllo alio auctore vmquam probare poterit, in more eccleſiæ fuiſſe poſitum. Nam, vt dixi antea, liquido conſtat, illam ſæpius admiſiſſe laicos, ita vt nouum eos baptiſmum ſuſcipere non iuſſerit, eo ipſo tempore, vbi ſacerdotes reiecit, qui baptiſmum illis ex credito ſuo ſacerdotio exhibuerant. Vt mihi adeo planum eſſe videatur, HIERONYMVM heic cum aduerſariis ſuis ex hypotheſi, ſiue κατ' ἄνθρωπον diſputare; et ſi BRETTVS hac clavi vti voluiſſet, obſcurum ſenſum & opinionem auctoris ſui felicius reſeraſſet, et minus neceſſariis notationibus animaduerſionibusque ſuis potuiſſet ſuperſedere.

SED pergit BRETTVS cum HIERONYMO pag.69. *Quamobrem oro te, vt aut ſacrificandi ei licentiam tribuas, cuius baptiſma probas, aut reprobes eius baptiſma, quem non exiſtimas ſacerdotem.* Et iterum, *Ego*, inquit, *non tam in præſenti Arianos vel improbo vel defendo, quam illam curſus mei metam circumeo; eadem ratione a nobis epiſcopum recipi, qua laicus recipitur.* Heic BRETTVS artificio quodam vſus duas voces in fine ſermonis *Hieronymiani* omiſit, quas interponi oportebat, vt lectori ſcopum auctoris ſui declararet. HIERONYMI enim verba habent: A VOBIS (ſcilicet *Luciferianis*) *recipitur;* quum, vti a BRETTO citantur, ita accipi poſſunt, quaſi HIERONYMVS dixiſſet, epiſcopum ab eccleſia recipi eadem ratione, qua laicus ab illa recipiatur; quando HIERONYMVS prorſus

[illegible] eadem [illegible] a nobis (catholicis) [illegible] a vobis (Luciferianis) recipitur. [illegible] ratio magnam differentiam in hac [illegible] efficit, [illegible] BRETTO nostro mox ostendam.

[illegible]

30. PROGREDITVR autem [illegible] cum HIERONYMO: *Igitur [illegible] inter se certantium, [illegible] quidquid dixeris, dicam; adfirmabis, adfirmabo; negabis, negabo. Arianus baptizat, ergo episcopus est. Non baptizat; tu refuta laicum, & ego non recipio sacerdotem. Sequar te, quocunque ieris: aut pariter in luto haerebimus, aut pariter expediemur.*

PAVCIS interiectis *Luciferianus* in hunc modum argumentatur: *Laicus etiam extra ecclesiae fidem baptizatus* (sic legit BRETTVS, quod in meo codice edit. *Colon.* MDCXVI ita lego, *[illegible] ecclesiam fide baptizatus) poenitens recipitur: episcopus vero aut poenitentiam agit & sacerdos est, aut si poenitentiam egerit, esse episcopus desinit. Quamobrem recte nos & laicum suscipimus poenitentem, & episcopum, si in sacerdotio perseverare vult, repudiamus.* HIERONYMVS respondet: *Proba mihi, ab Arianis venientem laicum habere baptismum, & tunc poenitentiam ei non negabo. Si vero christianus non est, si non habuerit sacerdotem, qui eum faceret christianum, quomodo aget poenitentiam homo, qui necdum credidit?* Luciferianus regerit: *[illegible] ne tibi videtur, ut [illegible] Arianus episcopus sit? Tu enim episcopum probas*, inquit HIERONYMVS, *quem ab eo recipis baptizatum, & in hoc reprehendendus es, quare a nobis partibus separaris, quum in fide & in Arianorum nobiscum receptione consentias. Eadem ratione episcopum ab Arianis recipio, qua tu recipis baptizatum. Consentimus in fide, consentimus in haereticis recipiendis, consentiamus etiam in [illegible].* Luciferianus respondet: *[illegible], cedo, vicisti.*

[illegible]

[illegible] longiora loca ex HIERONYMI dialogo, a BRETTO [illegible] loco breuis quaedam & perspicua propositio, [illegible] baptizandi omnes, e [illegible] in casibus ordinariis baptiza-

ptiza

ptizatos, adferens (cuiusmodi aliquam ego pro legitimo laicorum baptismo in extraordinariis casibus produxi) multo plus ad eius institutum profuisset. Sed non simulat, se eiusmodi vllam inuenisse, nec lectori suo eam indicat, sed tantum has duas generales obseruationes summatim facit. 1. *Me esse reprehendendum*, *quod* HIERONYMVM *de hac materia silere dixerim.* 2. HIERONYMVM *satis perspicue ostendisse*, *quae fuerit ecclesiae catholicae de hoc capite sententia. Et quaecunque ille senserit de babtismo laico*, *in necessitate dato*, *certum esse*, *ipsum & ecclesiam cum ipso*, *sensisse*, *quod baptismus laicus in ordinariis casibus prorsus nullus & vacuus sit*, *& quod illi*, *qui sic creditum baptismum a laicis acceperunt*, *in ecclesiam recipiendi sint non vt poenitentes christiani*, *sed vt gentiles beneficio baptismatis. Manifestum enim ex eo esse*, *quod*, *nisi baptismo episcopali fuerint initiati*, *nullum prorsus baptismum accepisse existimati sint.*

QVOD ad primam eius obseruationem attinet, tantum me abesse existimo a temeritatis reprehensione, quod HIERONYMVM hac de re silere dixerim, vt reprehensione potius adficiendus essem, si aliter dixissem, nisi id magis directe, clarius et firmius probassem, quam fecit BRETTVS. Facilis res est, obscuris rationibus & verbis antiquis rhetoricari, quemadmodum multi in intricata huius dialogi *Hieronymiani* parte fecerunt; at non aeque facilis res est id agere, vt lector intelligat HIERONYMVM, quamquam eum saepius non suam ipsius opinionem, sed tantum ex hypothesi apud aduersarios suos loqui dico. Puto tamen BRETTVM intelligere, quae velim. Quaedam ex maxime plausibilibus verbis, quae vrget BRETTVS, sunt: *Reprobes eius baptisma*, *quem non existimas sacerdotem.* Mihi autem videtur valde probabile, HIERONYMVM heic non exponere dogmatice suam ipsius opinionem, multo minus sensum & morem ecclesiae, sed tantum ostendere aduersariis suis, quid facere eos oporteat ex suis ipsorum principiis: sicut vnusquisque, qui integrum locum legerit, facile percipiet. *Luciferianus* longo sermone probare studuerat, " Arianos episcopos non esse admittendos, quia " sint discipuli Antichristi, hostes Christi, caeci duces, sal infa-

" tuatum

" tuatum, idololatræ', facrilegi", &c. Et tandem fic concludit: *Ex quibus oftenditur, vos* (Orthodoxos) *per modicum fermentum* [*d*] *totam ecclefiæ maffam corrupiffe, & de eius manu hodie eucharistiam accipere, quem heri quafi idololatram refpuebatis.* Ad quæ HIERONYMVS refpondet, *Sit, vt vis, Arianorum epifcopus hoftis CHRISTI, fit infatuatum fal, fit lucerna fine igniculo, fit oculus fine pupilla: nempe eo peruenies, vt falire non poffit, qui fal ipfe non habeat, non illuminet cæcos, non accendat extinctos. Tu autem, quum conditum ab eo cibum deuores, cur infulfum arguis conditorem? De igniculo eius ecclefia tua lucet, & lucernam eius criminaris extinctam. Oculos tibi præbet & cæcus eft? Quamobrem oro te, vt aut facrificandi ei licentiam tribuas, cuius baptifma probas, aut reprobes eius baptifma, quem non exiftimas facerdotem. Neque enim fieri poteft, vt qui in baptifmate fanctus eft, fit apud altare peccator.*

QVIS hinc non videt, planum HIERONYMI fcopum effe, difputare cum *Luciferianis* eosque confutare fuis ipforum principiis, oftendendo illis, quod fi quis epifcopus *Arianus* idoneus fit ad dandum verum baptifmum (quod ipfimet credebant, baptifmum eius fufcipientes nec eum vmquam repetentes) non minus idoneus fit facerdos, id quod declaret offerendo facrificium fuper altari: Si ius baptizandi habeat, habere eum etiam ius offerendi facrificium in altari. Quamobrem eos per principia fua debere aut refpuere baptifmum epifcopi *Ariani*, quem tamen fufcipiant, aut licentiam ei tribuere fuper altari facrificandi, quod vehementer recufent. Quæ HIERONYMI notiones per fe fuerint, nihil in his omnibus eft, quod nobis retegat. Sermo enim eius ex omni parte hypotheticus eft, & argumentum duntaxat κατ᾽ ἄνθρωπον, ex principiis & notis confuetudinibus fuorum aduerfariorum. Non dicit, neminem præter facerdotem, qui facrificium in altari offerre poffit, (quæ notio facerdotis eft, de quo heic fermo eft) baptizare poffe: Ita enim nec diaconi in ordinariis cafibus, nec laici in extraordinariis cafibus id facere potuiffent; neutri enim eo-

(*d*) Hier. contr. Lucifer. cap. II.

rum sacrificium offerre licet in altari; et tamen HIERONYMVS vtrisque licentiam tribuit baptismum administrandi cum auctoritate, illis quidem in ordinariis, his vero in extraordinariis casibus. Sed HIERONYMO tantummodo propositum erat ostendere aduersariis suis, si *Ariano* episcopo baptizandi licentiam concederent, ipsos eidem quoque licentiam offerendi sacrificium in altari concedere oportere, siquidem episcopo vel sacerdoti non possit horum officiorum alterum abrogari, alterum permitti: illum aut habere ius ad vtrumque officium, aut ad neutrum; non posse eum esse sanctum & sacerdotem in baptismate, & eodem tempore peccatorem & non sacerdotem apud altare. Hic rationalis sermo erat ad *Luciferianum* ex huius ipsius hypothesi, quando quæstio erat de *Ariano* episcopo, Anne tantumdem iuris haberet sacrificandi quam baptizandi? Qui alterum concederet episcopo, eum ex iusta ratione alterum quoque illi concedere, aut ex pari ratione vtrumque illi æqualiter abiudicare oportere. Nihil vero heic prorsus adseritur, sed omnia dicuntur ex hypothesi. Non heic absolute defendit vel improbat baptismum *Arianorum*, non dicit, episcopum *Arianum* habere ius sacrificandi in altari, sed tantum ex concesso, quod ius baptizandi habeat, vnde ius sacrificandi ipsi adimi non possit. Vt proinde ab HIERONYMO heic nihil simpliciter definiatur de eo, quod sacerdos ad baptismum administrandum quibuscunque in casibus absolute necessarius sit; nisi sacerdotium, vti HIERONYMVS alicubi facit, distinguamus in sacerdotium clerici & sacerdotium laici, hoc est, baptisma christianum. In quo posteriore & latiore sacerdotii notione necesse est vnumquemque esse sacerdotem, hoc est, baptizatum christianum, qui christianum baptisma ministret. Licet enim *Luciferianus*, id tueri cogeretur ex absurdis principiis suis HIERONYMVS tamen & veteres omnes id negant, posse hominem, qui sit mere gentilis, dare baptismum christianum. Ego vero non existimo, HIERONYMO esse propositum hoc loco decernere, quis sit minister baptismi, sed tantum ex principio & concesso *Luciferianorum* inferre, Quod, si episcopus *Arianus* potestatem habeat baptizandi, tunc potestatem etiam habeat sacrificandi in altari: atque ita ecclesiam, *Arianos* episcopos in pristinum officium restituentem, ex ipsis

ipsis *Luciferianorum* principiis vindicari. Non definit heic, Vtrum *Ariani* veri nominis episcopi sint, an non? tametsi alicubi id negat: neque, An ecclesia, si ex disciplinæ suæ rigore agere velit, eos debeat rursus recipere in honorem episcopalem, quod itidem in aliis locis plane negat. Sed tantum arbitrariam ecclesiæ in illis recipiendis libertatem ex praxi vindicat *Luciferianorum*, quos ex eadem ratione, qua illis baptizare permittant, iisdem etiam sacrificare in altari permittere oporteat.

PAVLL o longior fui in explanando hoc breui loco HIERONYMI, quia recta eius explicatio clauis instar futura est ad recludendum labyrinthum reliquarum obscurarum & intricatarum ratiocinationum illius, quas BRETTVS demonstrationis suæ elegit fundamentum. Hoc mentem HIERONYMI ostendit, quando ait: *Ego non tam in præsenti Arianos vel improbo vel defendo, quam illam cursus mei metam circumeo, eadem ratione a nobis episcopum recipi, qua laicus a vobis recipitur. Quidquid dixeris, dicam; adfirmabis, adfirmabo; negabis, negabo; Arianus baptizat, ergo episcopus est; non baptizat: tu refuta laicum & ego non recipio sacerdotem.* Nonne hoc caput est, in quo persistit HIERONYMVS, vt *Luciferianos* sequatur & cum illis disputet ex ipsis eorum principiis? Nihil de positiua HIERONYMI vel ecclesiæ sententia inuenias in his omnibus, sed hoc eum agere manifestum est, vt aduersarios in omnibus suis diuerticulis & flexionibus per suam ipsorum hypothesin comprehendat. Alioquin HIERONYMVS sibi ipse contradiceret, quod *Arianus* sit episcopus & non sit episcopus; quod baptizare possit & non possit; quod ecclesia eum recipiat & non recipiat.

ITA rursus, quando ait: *Proba mihi, ab Arianis venientem laicum habere baptismum, & tunc ei pœnitentiam non negabo. Si vero christianus non est, si non habuerit sacerdotem, qui eum faceret christianum, quomodo ageret pœnitentiam homo, qui nec dum credit?* HIERONYMVS heic non absolute negat, *Arianorum* baptisma suscipi posse (ecclesia enim reuera suscipiebat) sed tantum ex hypothesi *Luciferianorum*, qui omnes *Arianos*, tam sacerdotes laicos, quam sacerdotes clericos mere gentiles esse dictitabant, & consequenter vrget, non esse vllius generis sacerdotes inter eos, qui christianum

ba-

baptiſmum conferre poſſint. Debere enim quempiam eſſe huius illiusue generis ſacerdotem, non vero mere gentilem, antequam chriſtianum baptiſmum dare poſſit. Vt adeo, quando dicit, non eſſe quempiam chriſtianum, ſi non habuerit ſacerdotem, qui ipſum chriſtianum faceret, nihil valeat pro illa ſententia, qua baptiſmus laicorum generatim inualidus eſſe ſtatuitur (quem ipſe HIERONYMVS laicis, ſiue laicis ſacerdotibus, vt vocat, in caſibus neceſſitatis permittit) niſi ex hypotheſi *Luciferianorum*, qui omnes *Arianos* non ſacerdotes, ſed mere gentiles declarabant.

DENIQVE, quando *Luciferianus* rogat, *Aequumne tibi videtur, vt Arianus epiſcopus ſit?* reſpondet HIERONYMVS, *Tu eum epiſcopum probas, quia ab eo recipis baptizatum.* Hoc reſponſum datur *Luciferiano* ex ſua ipſius praxi. HIERONYMVS non dicit, quicunque baptizet, eum eſſe epiſcopum; ita enim presbyter & diaconus forent epiſcopi, imo laicus eſſet epiſcopus, quia baptizat in neceſſitatis caſibus. Sed tantum dicit, ſi *Luciferiani Ariano* epiſcopo baptizandi dant licentiam, hac ſua eos praxi probare, quod licentiam habere poſſit quoſcunque alios actus epiſcopales perficiendi, & quod non habeant cauſſam cum eccleſia altercandi, vti faciant, quod *Arianis* epiſcopis concedat licentiam officia ſacra iterum obeundi in eccleſia, ſi pro ſua prudentia ſic fieri debere intelligat, ſiquidem illi ipſi eis permittant actum epiſcopalem perficere, videlicet baptiſmum, & quod hoc ſatis ſit ad defendendam eccleſiam in denuo recipiendis illis ad officium altaris; ſiquidem non poſſit idonea ratio aſſignari, cur epiſcopo baptizandi, non autem ſacrificandi in altari licentia (ſi quidem eccleſia id expedire credat) danda ſit.

AEQVVM & prudentem quemque lectorem exiſtimo perſpecturum eſſe ſcopum dialogi HIERONYMI in his locis omnibus, quod non eo ſpectet, vt baptiſmum laicalem nullam vim pretiumue habere euincat; ſed vt eccleſiam, pro ſua prudentia epiſcopis *Arianis* tribuentem indulgentiam, ex principiis *Luciferianorum* defendat, prout ego rem explicaui. Quamobrem non video, cur reprehenſione dignus ſim, quod HIERONYMVM hac in materia ſilere dixi, licet aliter ſentiat BRETTVS.

FAC

Fac vero, HIERONYMVM opinionem ſuam contra vim & valorem baptiſmi laicalis in caſibus ordinariis aperte pronuntiaſſe, vti BRETTVS eum feciſſe ſibi perſuadet: tamen hinc non certo ſequitur, vt vniuerſa eccleſia eamdem opinionem habuerit. Nonne enim HIERONYMVS, æque ac alius quiſpiam, errare potuit in ſenſu & praxi eccleſiæ, aut illum in hoc capite æque ac in aliis quibusdam perperam capere? Nonne in ſenſu eccleſiæ æque tunc potuit errare, atque nunc BRETTVS errat, vel ego erro in ſenſu & praxi eccleſiæ *Anglicanæ*, vt qui contrarias opiniones hac de re tradimus, & idcirco alterutrum noſtrum errare neceſſe eſt? Etiamſi HIERONYMVS id pro ſenſu eccleſiæ vel planiſſimis verbis venditaſſet, tamen ſi maius teſtimonium ab eccleſia ipſa in promtu eſt, et eiusmodi quidem teſtimonium, cui contradici nequit, quod aliter ſe habeat: tum teſtimonio eccleſiæ ipſius, non vero HIERONYMI in hoc caſu fides adhibenda eſt. Atqui ſic fuiſſe, ego alio genere demonſtrationis probabo, quam quo BRETTVS gloriatur. Perſpicue enim ex hiſtoria priorum ſex generalium conciliorum & multorum aliorum (quæ quum plene inter ſe conſentanea ſint, de ſenſu & praxi eccleſiæ firmiſſimum teſtimonium dicunt) oſtendam, eccleſiam baptiſmum eorum recepiſſe quos in laicis poſuit. Omnes enim hæretici & ſchiſmatici, ſi ſemel conuicti & gradu moti eſſent, non niſi laici opinione eccleſiæ erant. Quod ſi BRETTO ſic eſſe dilucide demonſtrauero, tunc eum ſpero ceſſurum eſſe robori argumenti, quod euidentiam demonſtrationis habet, ſiquidem tam firma probatio eſt, quam natura materiæ ſubiectæ dare poteſt. Neque neceſſe habebimus longius diſputare vel cauillari mutuo de HIERONYMI vel alius cuiuſdam priuati auctoris opinione, quando quæſtio per ſupremam eccleſiæ auctoritatem ſemel deciſa eſt penitus. Hoc igitur eſt, quod cum BRETTO & reliquis, qui cum ipſo conſentiunt, in ſequenti diſſertatione tentare & conficere induxi animum.

§. VII.

Testimonium Chrysostomi *nihil probare contra baptismum laicorum in casibus extraordinariis.*

EAMDEM ob caussam silentio præterire poteram, quæ BRETTVS dicit de CHRYSOSTOMO, p.53. qui vnus solus auctor superest, quem pro caussa sua audet adducere. Iam supra dixi, IOANNEM FORBESIVM in interpretanda mente CHRYSOSTOMI longius aberrasse. Quando enim CHRYSOSTOMVS officium baptismi ad manus sacerdotis restringit, de casibus tantum ordinariis loquitur; alioqui diaconi, qui non sunt sacerdotes, in quibuscunque casibus non minus, quam laici simpliciter exclusi essent: et tamen CHRYSOSTOMVS diaconis baptizandi licentiam in casibus necessitatis tribuit: vnde liquet, sermonem ei esse tantum de administratione baptismi in casibus ordinariis. Ad quæ BRETTVS noster regerit, CHRYSOSTOMVM hoc loco per sacerdotem intelligere solum episcopum. Quod, mea quidem sententia, non est caussam meliorem sed deteriorem reddere. Ita enim, ex interpretatione FORBESII, baptismus validus non posset administrari, nisi per manus episcopi. Et BRETTVS tamen fieri id posse dicit a presbyteris & diaconis cum episcopi auctoritate. Ego vero aliquam differentiam esse arbitror inter manus episcopi & auctoritatem illius, atque ita FORBESIVS sentit, qui hunc locum pro argumento adhibet contra diaconos & laicos, & id quidem cum satis idonea ratione, ex sua quidem hypothesi, quod nemo præter sacerdotem, suas ipsius manus in ipso actu adplicantem, habere possit auctoritatem baptizandi in vllo casu, quicumque demum fuerit. Neque enim manus diaconi sunt manus sacerdotis ex CHRYSOSTOMI vel FORBESII opinione, siue nos per sacerdotem intelligamus solum episcopum, vel episcopum & presbyterum simul. Vt proinde hic locus eo sensu, quem ei dat FORBESIVS, æque contra diaconos atque contra laicos valeat. Quid? BRETTVS adeo non vindicat FORBESIVM, vt ad aliam etiam rem confugiat & dicat, dia-

diaconos habere posse auctoritatem baptizandi ab episcopo, quod autem pernegat FORBESIVS. Ita viri isti opinionum dissensione inuicem discrepant, neuter tamen eorum verum adsequitur, quia CHRYSOSTOMVM recte interpretari recusant de baptismi administratione in solis ordinariis casibus, quippe quam eius mentem non posse non esse ostendi.

AIT vero *Brettus, Chrysostomi opinionem eatenus cum sua & FORBESII opinione concordare, vt omnes baptismos antiepiscopales, hoc est ab illis datos, qui non habeant mandatum & auctoritatem ab episcopo, inualidos & irritos esse ostendat.* Ad quae respondeo: Etiamsi omnes istiusmodi baptismi inualidi esse concedantur; hoc tamen plus est, quam quod ex hoc loco CHRYSOSTOMI probare BRETTVS potest, nisi merum silentium vim probandi habere dicatur. CHRYSOSTOMVS enim heic nihil monet de baptismo episcopali vel antiepiscopali, ex mandato vel sine mandato, cum auctoritate vel sine auctoritate exhibito; sed dicit tantum, baptismum dari non posse nisi per manus sacerdotis, quod de ordinaria administratione per episcopum vel presbyterum accipio; FORBESIVS autem ad omnes casus, non ordinarios tantum, sed extraordinarios etiam id extendit, et hoc ipso diaconos non minus quam laicos a potestate baptizandi excludit; BRETTVS officia baptismi ad manus episcopi restringit, dicit vero, eum posse presbytero vel diacono negotium baptizandi dare, non autem laico, quod sane nihil aliud est, quam suam ipsius non auctoris sui sententiam loqui. Nam in CHRYSOSTOMI verbis eiusmodi distinctiones non invenias, & BRETTVS sensum huius loci, quem ei tribuit, ex aliis eiusdem auctoris locis, sicut ego feci, debuisset demonstrare, si intelligenti lectori facere voluisset satis.

AT VERO BRETTVS paullo vlterius progreditur & dicit, CHRYSOSTOMVM non priuatam suam opinionem sed testatam ecclesiae sententiam & consuetudinem declarare. Verumtamen lector hoc eius fidei credat, necesse est, nullam enim eius probationem adfert, nisi quod dicit, ecclesiam hoc munus ad officium

cium episcopale restrinxisse, & hoc ipsum (ex ipsius quidem opinione) omnes baptismos, qui mandato episcopi destituantur, re ipsa effecisse inualidos. Iam vero hæc res est, cum BRETTO a me exploranda, An omnes baptismi sine auctoritate & mandato ab illis administrati, qui re ipsa non sunt sacerdotes sed tantum laici, prorsus inualidi & vacui declarati, et vt tales repeti iussi fuerint ab ecclesia.

BRETTVS hoc adfirmat ex testimoniis CYPRIANI, BASILII, HIERONYMI & CHRYSOSTOMI, quæ iam examinaui; ego autem illud ex firmissimo testimonio omnium generalium & particularium conciliorum ecclesiæ nego, quorum decreta & sanctiones de sensu & praxi ecclesiæ testimonium grauissimum dicere existimandæ sunt. Ex quibus ostensurus sum, ecclesiam suscepisse baptismum quorundam hæreticorum & schismaticorum, qui nullos vmquam veri nominis ordines ex episcopali ordinatione acceperunt; baptismum item aliorum, quibus de gradu deturbatis ordines suos ipsa ademit, in statu auctoritatis omni ex parte relictis, & omni sacerdotali potestate exutis, ita vt ne nomen quidem, multo minus dignitatem & auctoritatem, sacerdotum haberent, sed ad statum & conditionem laicorum prorsus redacti essent. Si hæc amico meo per modum demonstrationis ad conuictionem ipsius probauero, nullam mihi amplius disputationem cum eo futuram credo, quamcumque cum aliis habuero de hac materia, quia eum noui esse virum ingenuum, & ipse promisit, se manus mihi daturum, si honesta ratione conuinceretur. Et heic quidem id ei laudi do, vt ipsum disputationem, quam mecum ingressus est, tanta cum alacritate & eruditione, quam caussa ferre voluit, et tanta cum honestate ac christiana moderatione, quam vllus disputator hoc tempore, persecutum esse profitear. Quo nomine omnino commendandus est, eaque re non poterit non existimationem suam augere apud illos, qui alias non possent, quin assentirentur falsis eius notionibus, quæ generali sensui & praxi ecclesiæ catholicæ tantopere aduersantur.

HI-



HISTORIAE SCHOLASTICAE BAPTISMI LAICORVM PARS POSTERIOR.

CAPVT PRIMVM.

HAEreticos, ſchiſmaticos, de gradu deiectos clericos & clericos excommunicatos, ſemel quidem conuictos & legitima cenſura adfectos, non habere amplius auctoritatem dandi baptiſmum & miniſtrandi tanquam ſacerdotes & miniſtros Dei & eccleſiæ; ſed exinde omnes eorum actus auctoritate carere & tantum fieri per vſurpationem. Quod probatur ex hiſtoria priorum ſex generalium conciliorum eorumque agendi modo aduerſus hæreticos, ſchiſmaticos & alios reos.

§. I.

Quomodo Meletius *officio pulſus & omni miniſteriali auctoritate exutus fuerit a concilio* Nicæno.

PRIMVM generale concilium fuit concilium *Nicænum*, quod homines chriſtiani omnes reuerentur, & quod vel ſolum toti huic diſputationi finiendæ ſufficeret. Coactum eſt hoc concilium a *Conſtantino* anno CCCXXV ad opprimendas flammas a *Meletio* & *Ario* aliquanto ante ſuſcitatas in eccleſia. *Meletius* epiſcopus erat *Lycopoli* in *Ægypto*, qui longo tempore ſchiſmatis, ab ſeipſo contra epiſcopos *Alexan-*

driæ, legitimos metropolitas ſuos, effecti ducem atque auctorem ſe præbuit. Occaſio ſchiſmatis hæc fuit: *Meletius* tempore perſecutionis ſub *Diocletiano* fidem chriſtianam inficiatus idolis ſacrificauerat, quam ob rem aliaſque cauſſas ſecundum leges eccleſiæ munus ei ſuum abrogabatur (*a*) a *Petro,* epiſcopo *Alexandriæ*, qui illico poſt martyrio vitam finiuit. *Meletius* huic legitimæ cenſuræ adeo ſe non ſubmiſit, vt ſchiſma excitaret, primum quidem aduerſus *Petrum*, deinde aduerſus *Achillam* & *Alexandrum* illius ſucceſſores; epiſcopos & ſacerdotes per omnem *Ægyptum* & *Thebaidem* conſecrans, ad factionem ſuam confirmandam; et hoc facere perrexit ad tempus vſque concilii *Nicæni.* Quamobrem concilium illud ad coërcendam hanc illius audaciam & confirmandam ſententiam, de eo antea latam, hoc præciſum decretum aduerſus eum publicauit, quod in epiſtola eius ſynodica, ad eccleſias *Alexandriæ*, *Ægypti*, *Libyæ* & *Pentapolis* miſſa & SOCRATI (*b*) atque THEODORETO memorata, ſic habet. *Placuit de Meletio, vt in ciuitate ſua maneat, nec vllam habeat aut manus imponendi aut eligendi poteſtatem; nec huius*

(*a*) Socrat. hiſt. lib. I. c. VI. Ὑπὸ Πέτρου τοῦ ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας τοῦ ἐπὶ Διοκλητιανοῦ μαρτυρήσαντος. Μελίτιός τις μιᾶς τῶν ἐν Αἰγύπτῳ πόλεων ἐπίσκοπος καθῃρέθη δι᾽ ἄλλας τε πολλὰς αἰτίας καὶ μάλιστα, ὅτι ἐν τῷ διωγμῷ ἀρνησάμενος τὴν πίστιν ἐπέθυσεν· οὕτως καθαιρεθεὶς πολλούς τε ἔχων τοὺς ἑπομένους αὐτῷ, αἱρεσιάρχης κατέστη τῶν ἄχρι νῦν ἐξ αὐτοῦ κατὰ τὴν Αἴγυπτον Μελιτιανῶν καλουμένων. *Meletius quidam epiſcopus Aegypti a Petro Alexandriæ epiſcopo, qui ſub Diocletiano martyrium conſummauit, tum ob alias cauſſas depoſitus eſt, tum præſertim eo, quod perſecutionis tempore fidem inficiatus ſacrificaſſet. Qui quum ſacerdotio pulſus eſſet, multosque haberet ſectatores, ducem atque auctorem ſe præbuit eorum, qui ab eius nomine Meletiani etiamnum appellantur.* Athanaſ. apol. p. 777. (p. 177, edit. Par. MDCXCVIII.) Πέτρος παρ᾽ ἡμῖν πρὸ μὲν τοῦ διωγμοῦ γέγονεν ἐπίσκοπος, ἐν δὲ τῷ διωγμῷ καὶ ἐμαρτύρησεν. Οὗτος Μελίτιον ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου λεγόμενον ἐπίσκοπον, ἐπὶ πολλαῖς ἐλεγχθέντα παρανομίαις καὶ θυσίᾳ ἐν κοινῇ συνόδῳ τῶν ἐπισκόπων καθεῖλεν. Ἀλλὰ Μελίτιος οὔτε πρὸς ἑτέραν σύνοδον κατέφυγεν, οὐδὲ ἐσπούδασεν ἀπολογήσασθαι τοῖς μετὰ ταῦτα, σχίσμα δὲ πεποίηκε. *Petrus apud nos ante perſequutionem epiſcopus, in perſequutione martyr occubuit. Hic Meletium, qui epiſcopus in Aegypto erat, plurimorum conuictum ſcelerum, ac potiſſimum, quod immolaſſet idolis, in communi epiſcoporum ſynodo depoſuit. Meletius vero neque ad aliam confugit ſynodum, neque curauit apud poſteros ſe ſe purgare, ſed ſchiſmatis auctor fuit.*

(*b*) Socrat. lib. I. cap. IX. Ἔδοξεν Μελίτιον μὲν - - - μένειν ἐν τῇ πόλει ἑαυτοῦ,

rei

rei cauſſa aut in vico aut in vrbe vlla compareat ; ſed nudum honoris ſui nomen retineat. Illi vero, qui ab ipſo conſtituti ſunt, ſanctiore ordinatione confirmati, ad communionem admittantur, ea lege, vt honorem quidem ac miniſterium retineant, ſecundo tamen ſemper loco ſint ab iis omnibus, qui in vnaquaque poroecia & eccleſia verſantur, a cariſſimo collega noſtro Alexandro prius ordinati. HENRICVS VALESIVS & ELLIES DVPINIVS aliique viri docti verba illa *μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ βεβαιωθέντας* nouam ordinationem ſignificare exiſtimant. Quomodocunque res ſe habet, certe nouam auctoritatem & confirmationem ab eccleſia indicant, & omnia eorum, quæ venditarint, officia miniſterialia facta eſſe declarant ſine legitima ac iuſta auctoritate atque per meram vſurpationem. Et ſi perrexiſſent agere, vt antea egerant, omnes eorum actus miniſteriales nihil auctoritatis habituri fuiſſent, maxime poſt eiusmodi ſollemnem & iudicialem deiectionem de gradu, a maxima poteſtate eccleſiæ in generali quodam concilio factam. Hoc, reor, ſole meridiano clarius eſt, aut concilium *Nicænum* non habuiſſe a Deo auctoritatem *Meletium*, per poteſtatem clauium, ob contumaciam & culpam ipſius auctoritate ſua privandi ; aut *Meletium* non habuiſſe poſtea auctoritatem agendi quidquam pro epiſcopo eccleſiæ; nec vllum ex ſectatoribus eius, qui ab eo ſolum acceperant auctoritatem, officia miniſterialia perficiendi, vſque dum magis legitimam auctoritatem ab eccleſia nacti eſſent. Neque tamen concilium baptiſmos horum omnium irritos, eosue, qui ab illis ad eccleſiam redirent, rebaptizandos eſſe decreuit; quemadmodum fecit in cauſſa *Paulianiſtarum* canone vndeuiceſimo. Quia licet *Meletiani* & *Paulianiſtæ* æqualiter priuati eſſent vera eccleſiæ auctoritate baptiſmum aut aliud quoddam ſacrum officium adminiſtrandi, tamen illi in forma eccleſiæ baptizabant, iſti vero non; quæ ratio huius diſcriminis erat. Et

καὶ μηδεμίαν ἐξουσίαν ἔχειν αὐτὸν μήτε χειροθετεῖν, μήτε προχειρίζεσθαι, μήτε ἐν χώρᾳ, μήτε ἐν πόλει ἑτέρᾳ φαίνεσθαι, ταύτης τῆς προφάσεως ἕνεκα· ψιλὸν δὲ τὸ ὄνομα τῆς τιμῆς κεκτῆσθαι· τοὺς δὲ ὑπ' αὐτοῦ κατασταθέντας, μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ βεβαιωθέντας κοινωνῆσαι ἐπὶ τούτοις, ἐφ' ὧτε ἔχειν μὲν αὐτοὺς τὴν τιμὴν καὶ λειτουργίαν, δευτέρους δὲ εἶναι ἐξάπαντος πάντων τῶν ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ τε καὶ ἐκκλησίᾳ ἐξεταζομένων, τῶν ὑπὸ τοῦ τιμιωτάτου καὶ συλλειτουργοῦ ἡμῶν Ἀλεξάνδρου προκεχειρισμένων. Theodoret. lib. I. cap. IX.

hoc ſenſum Patrum *Nicænorum* plane oſtendit, quod non ſtatuerint, baptiſmum, debita forma datum, neceſſario repetendum eſſe, ideo quod datus fuerit a perſona, quæ eum dandi non habuerit iuſtam auctoritatem. Tum enim non minus *Meletianos* quam *Paulianiſtas* rebaptizari iuſſiſſent: quod vero nec illi fecerunt, nec vllum aliud concilium; nec vllum exemplum huiuſmodi rebaptizationis *Meletianæ* in vniuerſa hiſtoria antiqua, quod ego ſciam, occurrit.

FACTO hoc decreto, *Meletius* ſimulac *Lycopolin* rediiſſet, in inſtituto ſuo perrexit, & in contemtum concilii epiſcopos ad ſchiſma ſuum propagandum ordinauit, vti fecerat antea. Vti enim CAESAR BARONIVS ex ATHANASIO (*c*) obſeruat, *Arſenium* ordinauit epiſcopum ciuitatis *Hypſelitarum* in *Thebaide*, & SOZOMENVS (*d*) addit, eum paullo ante obitum ſuum *Ioannem* quemdam ex familiaribus ſuis in ſuum locum *Lycopoli* ſurrogaſſe. Num vero quis dixerit, *Meletium* habuiſſe auctoritatem ordinandi hosce homines, poſtquam concilium omnem poteſtatem auctoritatemque ei ademit? Quod ſi non, certe *Meletius* non fuit verus ſacerdos & miniſter Dei eiusue eccleſiæ, ſed omnes actus eius auctoritate caſſi fuerunt & tantum per illicitam facti vſurpationem.

§. II.

Quomodo Arius *loco motus & anathemati ſubiectus fuerit ab eodem concilio.*

IDEM concilium auctoritatem ſuam paullo apertius oſtendit in damnatione *Arii*, & epiſcoporum hæreſi cum ipſo coniunctorum. Nam eos non ſolum officio pepulit, ſed anathemate etiam percuſſit. *Arius* iam antea ab *Alexandro*, epiſcopo ſuo, ſemel aut bis depoſitus, & in plena epiſcoporum *Aegyptiorum*

(*c*) Athanaſ. apol. II. (p. 185. edit. cit.) Ἀρσένιος ἐπίσκοπος τῶν ποτὲ ὑπὸ Μελιτίου τῆς Ὑψηλιτῶν πόλεως κ. τ. λ. *Arſenius epiſcopus ciuitatis Hypſelitarum, qui quondam ſub Meletio fuere*, cetera. Baron. ad an. CCCXXVI. num. VII. Ordinauit pariter Meletius contra decreta Nicæna Arſenium epiſcopum Hypſelitarum, quibus ipſe Meletius, (vt ait Athanaſius apol. II.) aliquando præfuit.

(*d*) Sozomen. lib. II. cap. XXI. μετ' οὐ πολὺ δὲ μέλλων τὸν βίον καταλιμπάνειν, Ἰωάννην τινὰ τῶν αὐτῶν συνήθων - - κατέστησεν ἀντ' αὐτοῦ.

synodo

ſynodo ſacrorum vſu & chriſtianorum conuentu excluſus, ſeu anathemati ſubiectus fuerat. SOCRATES (*e*) narrat, *Alexandrum* collecto multorum epiſcoporum concilio *Arium* & reliquos, ſententiam eius amplexos, gradu mouiſſe, & epiſcopos, per ſingulas vrbes conſtitutos, per epiſtolam encyclicam hac de re feciſſe certiores. Hæc epiſtola SOCRATI memoratur, in qua abdicati dicuntur ab eccleſia, & anathemate perculſi, & declarati alieni ab eccleſia & fide catholica. Et ALEXANDER ſe hoc aliis eccleſiis dicit indicare, vt faciant, quod deceat chriſtianos, hoc eſt, vt eos omnes, qui aduerſus CHRISTVM & loquantur & ſentiant, non ſecus ac Dei hoſtes & corruptores animorum auerſentur; ac ne aue quidem eiuſmodi hominibus dicant, vt ne ſceleribus eorum vllo modo communicent, ſicut a beato *Ioanne* præceptum ſit. EPIPHANIVS (*f*) eiuſdem rei mentionem facit dicitque, *Arium* eccleſia pulſum eiuſque excommunicationem per totam ciuitatem publicatam fuiſſe. COTELERII curioſa & diligens indagatio ipſam formam depoſitionis reperit in bibliotheca regis *Galliarum*, quam notis ſuis in *conſtitutiones apoſtolorum* (*g*) attextam exhibet. Quod igitur *Alexander* & ſynodi *Aegyptiæ*

(*e*) Socrat. lib. I. cap. VI. Ἀλέξανδρος συνέδριον πολλῶν ἐπισκόπων καθίσας τὸν μὲν Ἄρειον ϗ τοὺς ἀποδεχομένους τὴν δόξαν αὐτοῦ καθαιρεῖ· Γράφει δὲ τοῖς κατὰ πόλιν, τοιάδε, κ. τ. λ. - - Διὸ ϗ ἀπεκηρύχθησαν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας ϗ ἀναθεματίσθησαν. - - ἀποδείξαντες αὐτοὺς ἀλλοτρίους τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας τε ϗ πίστεως. - - Πρέπει γὰρ ἡμᾶς ὡς χριστιανοὺς ὄντας, πάντας τοὺς κατὰ Χριστοῦ λέγοντάς τε ϗ φρονοῦντας, ὡς θεομάχους ϗ φθορέας τῶν ψυχῶν ἀποστρέφεσθαι, ϗ μηδὲ κἂν χαίρειν τοῖς τοιούτοις λέγειν, ἵνα μή ποτε ϗ ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῶν κοινωνοὶ γινώμεθα, ὡς παρήγγειλεν ὁ μακάριος Ἰωάννης.

(*f*) Epiphan. hæreſ. LXIX. num. III. Ἐξωθεῖ αὐτὸν τῆς ἐκκλησίας ϗ ἐκκηρυκτὸν ποιεῖ ἐν τῇ πόλει.

(*g*) Coteler. not. in conſtit. apoſt. lib. VIII. cap. XXVIII. (In gratiam eorum, qui hanc depoſitionem legere volent, Cotelerium autem ipſum euoluere non poſſunt, lubet eam, etſi longiorem, heic interponere.) Καθαίρεσις Ἀρείου ϗ τῶν σὺν αὐτῷ, ὑπὸ Ἀλεξάνδρου ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας. Ἀλέξανδρος πρεσβυτέροις ϗ διακόνοις Ἀλεξανδρείας ϗ Μαρεώτου παροῦσι παροῦσιν ἀγαπητοῖς ἀδελφοῖς ἐν Κυρίῳ χαίρειν. Εἰ ϗ φθάσαντες ὑπεγράψατε, οἷς ἐπέστειλα τοῖς περὶ Ἄρειον προτρέπων αὐτοῖς (αὐτοὺς) ἀρνήσασθαι μὲν τὴν ἀσέβειαν, πεισθῆναι δὲ τῇ ὑγιαινούσῃ ϗ καθολικῇ πίστει, ϗ ἐδείξατε ἑαυτῶν ὀρθὴν τὴν προαίρεσιν ϗ τὴν ἐν τοῖς δόγμασι συμφωνίαν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ὅμως ἐπειδὴ ϗ πρὸς τοὺς ἁπανταχοῦ συλλειτουργοὺς ἐπέστειλα περὶ τῶν περὶ Ἄρειον, ἀναγκαῖον ἡγησάμην, ὑμᾶς μὲν τοὺς τῆς πόλεως κληρικοὺς συναγαγεῖν, ὑμᾶς δὲ τοὺς ἀπὸ τοῦ Μαρεώτου μεταπέμψασθαι, μάλιστα ὅτι ϗ ἀφ'

antea fecerant, magna ſynodus *Nicæna* ratum habebat atque confirmabat, declarans *Arium* & duos epiſcopos, *Secundum* & *Theonam*, qui cum eo conſenſerant, officio eſſe excludendos (*h*). Anathemate etiam damnabat ipſum & omnes eius ſectatores; hæc verba ſymbolo ſuo ſubiungens, (*i*) *Eos, qui dicunt, Fuit aliquando tempus, quum non eſſet, & antequam gigneretur, non erat: vel quod de non exſtantibus factus ſit, aut qui ex altera ſubſtantia vel eſſentia dicunt eſſe filium Dei, aut creatum, aut conuerſioni mutationique obnoxium, anathematizat ſancta catholica & apoſtolica eccleſia.*

IAM harum horribilium cenſurarum tenore *Arius* & omnes eius ſectatores non tantum ab officiis ſuis & ordinibus clericalibus abdicati, ſed etiam a communione laica & omnibus chriſtianorum

ὑμῶν Χάρης καὶ Πίστος πρεσβύτεροι, καὶ Σαραπίων καὶ Παράμμων καὶ Ζώσιμος καὶ Εἰρηναῖος διάκονοι, ἐπηκολούθησαν τοῖς περὶ Ἄρειον, καὶ ἠγάπησαν σὺν αὐτοῖς καθαιρεθῆναι, ἵνα καὶ τὰ νῦν γραφόμενα γνῶτε, ὅπως ἐν τούτοις συμφωνίαν ἑαυτῶν ἐπιδείξησθε, καὶ τῇ καθαιρέσει τῶν περὶ Ἄρειον πιστοὶ σύμψηφοι γένησθε. Πρέπει γὰρ τὰ παρ' ἐμοῦ γραφόμενα γινώσκειν ὑμᾶς, καὶ ἕκαστον ὡς παρ' αὐτοῦ γραφόμενα, ἐν τῇ καρδίᾳ κατέχειν. *Depoſitio Arii & eorum, qui cum illo, per Alexandrum archiepiſcopum Alexandriæ. Alexander presbyteris & diaconis Alexandriæ atque Mareotæ præſens præſentibus, dilectis fratribus in Domino ſalutem. Licet iam ſubſcripſeritis illis, quæ ad Arium & Arianos miſi, adhortans eos ad negandam impietatem & ad aſſentiendum ſanæ atque catholicæ fidei, rectamque ſententiam veſtram oſtenderitis, nec non in dogmatibus conſonantiam cum eccleſia catholica: tamen quia & ad omnes vbique terrarum comminiſtros de Ariana ſecta litteras dedi, neceſſarium cenſui, vt vos quidem ciuitatis clericos congregarem, vos vero qui de Mareota eſtis arceſſerem, præcipue quum ex vobis quoque Chares & Piſtus presbyteri, Serapio, Parammon, Zoſimus & Irenæus diaconi Arianos aſſectati fuerint, atque cum illis deponi voluerint; quo tum quæ nunc ſcriptis mandata ſunt, cognoſcatis, tum veſtrum in iis conſenſum demonſtretis, itemque Arii, Piſti ſociorumque depoſitioni ſuffrageamini. Decet enim vos, quæ a me ſcripta ſunt ſcire, & vnumquemque ea, quaſi a ſe eſſent exarata, corde retinere.*

(*h*) Concil. Nicæn. epiſt. Synod. ap. Socrat. lib. I. cap. IX. Τοσοῦτον δὲ ἴσχυσεν αὐτοῦ ἡ ἀσέβεια, ὡς καὶ παραπολέσαι Θεωνᾶν ἀπὸ Μαρμαρικῆς, καὶ Σεκοῦνδον ἀπὸ Πτολεμαΐδος· τῶν γὰρ αὐτῶν κἀκεῖνοι τετυχήκασιν. *Tantam vero vim habuit eius impietas, vt Theonam Marmaricæ & Secundum Ptolemaidis epiſcopum ſecum in exitium pertraxerit. Nam & in iſtos, eadem quæ in illum, lata ſententia eſt.*

(*i*) Ap. Socrat. lib. I. cap. VIII. Τοὺς δὲ λέγοντας, ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, ἢ οὐκ ἦν πρὶν γεννηθῆναι, ἢ ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, ἢ κτιστὸν, ἢ τρεπτὸν, ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία.

norum

norum priuilegiis depulsi fuerunt, nisi quod ex baptismo suo ius retinerent, vt vere resipiscentes in ecclesiam denuo admitti possent. Interea autem nec sacerdotes erant, aliqua auctoritate praediti, nec consummati christiani laici, dum eiusmodi excommunicationis vinculis subiacerent. Nullus enim consummatus laicus est, qui non est in plena communione ecclesiæ. Hanc ob caussam catechumeni, qui nondum sunt baptizati, & hæretici & schismatici & excommunicati, imperfecti tantum christiani sunt. Primi horum cum ecclesia communicant in fide, non autem in sacramentis: reliqui tres ordines vel se ipsi excommunicant, vel excommunicati sunt per potestatem clauium & censuras ecclesiæ. Antequam ergo rursus admittantur & per eamdem potestatem clauium soluantur, non sunt in plena communione cum ecclesia, & consequenter non nisi imperfecti christiani. Absurdum itaque foret dicere, eos, qui ne quidem proprie dicti & perfecti sunt christiani laici, esse proprie dictos & perfectos sacerdotes; eos, qui non habent ius recipiendi sacramenta, auctoritate pollere dandi sacramenta aliis. Quam ob rem hæretici, & schismatici, & sacerdotes anathemati subiacentes, non possunt habere vllam auctoritatem administrandi sacramenta, quamdiu in isto statu sunt; aut si faciunt, sine auctoritate & per illicitam vsurpationem id facere existimandi sunt. Atque ita res se habuit cum *Ario* & omnibus sectatoribus eius, dum sub anathemate synodi *Nicænæ* essent. Baptismi, quos in isto statu dabant, sine auctoritate dabantur, & ne quidem vt baptismi perfectorum laicorum erant. Neque vero ecclesia eos, qui apud illos in debita forma baptizati essent, rebaptizauit, sed tantum id, quod in baptismo eorum deerat, vbi ad ecclesiam reuertebantur, per manus impositionem & confirmationem suppleuit; quemadmodum in priore huius historiæ parte abunde probaui, quod nemo in dubium vocare ausus est. Hoc igitur, mea quidem sententia, satis dilucide demonstrat, quod si synodus *Nicæna Meletianis* & *Arianis* omnem clericalem auctoritatem ademit, illis quidem in statu laicorum relictis, his autem laicorum honore ne quidem dignatis; et tamen baptismos vtrorumque suscepit sine rebaptizatione: baptismos eorum admisisse existimanda sit, qui ex eius opinione non habuerunt auctoritatem baptismum conferendi, quia istam eis auctoritatem

tatem ipſa ademit. Hæc vna res ſufficeret ad terminandas omnes diſputationes, ſi homines rationibus cedere, vel eccleſiæ auctoritati in tanto concilio aures præbere vellent. Videamus autem, vtrum concilium *Nicænum* prorſus ſingulare fuerit in hoc tractandi *Arianos* & *Meletianos* modo, an vero eccleſia non ſemper ſequuta ſit illius exemplum in ſua contra hæreticos agendi ratione ſequentibus temporibus.

§. III.

Quomodo Macedoniani, Apollinariſtæ *& alii hæretici de gradu deiecti & anathemate percuſſi fuerint in ſecundo generali concilio* Conſtantinopolitano.

PROXIMVM generale concilium fuit id, quod *Conſtantinopoli* ad an. CCCLXXXI a *Theodoſio Magno* conuocatum fuit, in quo CL epiſcopi orientales conuenerunt ad damnandas & exſtinguendas duas ingraueſcentes hæreſes; vnam quidem *Apollinariſtarum*, qui SERVATORIS noſtri humanitatem negabant, dum humanam eius animam exſiſtere inficiabantur; et alteram *Macedonianorum*, qui diuinitatem impugnabant SPIRITVS SANCTI: *Apollinarius* & *Timotheus*, diſcipulus eius, aliquanto ante damnati fuerant & gradu moti in duobus famoſis conciliis Orientis & Occidentis, vno quidem nonaginta trium epiſcoporum *Romæ* ſub *Damaſo*, an. CCCLXXIII vel CCCLXXVIII, altero autem centum & quadraginta ſex epiſcoporum *Antiochiæ* an. CCCLXXVIII vel CCCLXXX celebrato. Concilium *Romanum* vtrumque depoſuit & anathemate perculit (*k*), ſicut acta concilii & epiſtola ſynodica DAMASI papæ (*l*) oſtendunt. *Anathematizamus eos*, inquit concilium, *qui pro hominis anima rationali & intelligibili dicunt Dei verbum in humana carne verſatum*, cetera. Et DAMASVS, *Scitote* inquit, *quod profanum olim Timotheum, Apollinaris hæretici diſcipulum, vna cum impio eius dogmate damnauimus.* Atque ita cenſuram concilii de depoſitione

(*k*) Concil. Roman. profeſſ. fidei conc. tom. II. p. 900.

(*l*) Damaſ. epiſt. ſynod. ap. Theodoret. lib. V. cap. X. Γινώσκετε, ὅτι τὸν πάλαι Τιμόθεον τὸν βέβηλον, τὸν μαθητὴν τοῦ Ἀπολλιναρίου τοῦ αἱρετικοῦ μετὰ τοῦ ἀσεβοῦς αὐτοῦ δόγματος καθείλομεν.

& ex-

& excommunicatione ſimul intellexit THEODORETVS (*m*). Hæc ſententia primum confirmata eſt in concilio *Antiocheno*, deinde in concilio generali *Conſtantinopolitano*, cuius in epiſtola ſynodica, THEODORETO (*n*) memorata, patres iſtius concilii ſcripſiſſe dicuntur aduerſus *Eunomianos*, *Arianos*, *Macedonianos* & *Apollinariſtas*, eosque omnes anathemate damnaſſe. Et vnus quidem canon huius concilii ea omnia, quæ DAMASVS & concilium *Antiochenum* contra *Macedonianos* decreuerant, confirmat his verbis (*o*): *Occidentalium epiſcoporum libellum, etiam eos ſuſcipimus, qui Antiochiæ vnam PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI deitatem confitentur.* Vt ergo epiſcopi occidentales & *Antiocheni Macedonianos* alienos ab eccleſia declararunt, ita heic *Conſtantinopolitani* huic ſententiæ adſtipulantur. Et alio canone (*p*) *Maximo Cynico* (qui *Conſtantinopoli* in locum *Gregorii Nazianzeni* ſeptem epiſcoporum, qui eum ordinarant, ope ipſe ſe intruſerat) officium abrogant, declarantes, *Maximum epiſcopum nec fuiſſe vel eſſe, nec qui ab eo ordinati fuerint, in vllo, quicunque is ſit, gradu cleri; omnibus & quæ circa ipſum fuerint, & quæ ab illo facta ſint, infirmatis.* Duæ rationes erant, quamobrem hunc virum munere ſuo abdicarent, prima quidem, quod ipſe ſe in plenam ſedem intruſerat; quæ res, vt poſt-

(*m*) Theodoret. lib. V. cap. IX. Καὶ Δάμασος δὲ ὁ πανεύφημος ταύτην μαθὼν ἀναφυεῖσαν τὴν αἵρεσιν, οὐκ Ἀπολλινάριον μόνον, ἀλλὰ καὶ Τιμόθεον τὸν ἐκείνου φοιτητὴν καθελὼν ἀπεκήρυξε· καὶ τοῦτο τοῖς τὴν ἑῴαν ἰθύνουσιν ἐπισκόποις διὰ γραμμάτων δεδήλωκεν. *Quin etiam laudatiſſimus Damaſus, quum hanc hæreſin exortam eſſe didiciſſet, non Apollinarem modo, verum etiam Timotheum eius diſcipulum depoſuit, & ab eccleſiæ communione alienos pronuntiauit. Idque orientalibus epiſcopis per litteras ſignificauit.*

(*n*) Theod. lib. V. cap. IX. Ταῦτα κατά τε τῆς Ἀρείου καὶ Ἀετίου καὶ Εὐνομίου μανίας καὶ μέντοι καὶ κατὰ Σαβελλίου καὶ Φωτεινοῦ καὶ Μαρκέλλου, Παύλου τε τοῦ Σαμοσατέως καὶ Μακεδονίου γεγράφασιν· ὡσαύτως δὲ καὶ τὴν Ἀπολλιναρίου καινοτομίαν προφανῶς ἀπεκήρυξαν κ. τ. λ.

(*o*) Concil. Conſtantin. can. V. Περὶ τοῦ τόμου τῶν δυτικῶν καὶ τοὺς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἀπεδεξάμεθα, τοὺς μίαν ὁμολογοῦντας τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος θεότητα.

(*p*) Concil. Conſtant. can. IV. Περὶ Μαξίμου τοῦ Κυνικοῦ καὶ τῆς κατ᾽ αὐτὸν ἀταξίας τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει γενομένης, ὥστε μήτε τὸν Μάξιμον ἐπίσκοπον ἢ γενέσθαι ἢ εἶναι, μήτε τοὺς παρ᾽ αὐτοῦ χειροτονηθέντας ἐν οἱῳδήποτε βαθμῷ κλήρου, πάντων καὶ τῶν περὶ αὐτὸν καὶ τῶν παρ᾽ αὐτοῦ γενομένων ἀκυρωθέντων.

ea ostendam, ordinationem per antiquos canones semper irritam fecit. Altera ratio erat, quod erat hæresi *Apollinaris* infectus, quæ ratio est, quam THEODORETVS adfert (*q*), cur concilium illum dignitate pontificali exutum damnarit. Iam quæstio erit, Num horum hominum vllus, *Maximus* vel clerici eius, aut reliqui *Macedoniani* & *Apollinaristæ* auctoritatem habuerint administrandi baptismum, postquam ab hoc generali concilio legitime abdicati fuerunt? Dicere, ipsos habuisse adhuc auctoritatem, depositione eorum non obstante, hoc nihil est nisi auctoritatem concilii contumelia adficere, & omnes censuras ecclesiasticas in iocum & ludum conuertere. Si vero non habuerunt auctoritatem conferendi baptismum, Vtrum baptismi, ab illis sine auctoritate dati, potuerint an non potuerint suscipi ab ecclesia, ea solum supplente, quæ deessent, sine rebaptizatione? Non opus erit ire longius ad hanc quæstionem dissoluendam, hoc ipsum enim concilium illam plene determinauit canone suo septimo, si istum ad hoc concilium pertinere concedamus. In illo enim *Macedoniani* & *Apollinaristæ* inter alios hæreticos diserte nominantur, quorum baptismum per sanctum chrisma sine rebaptizatione recipi posse statuunt. Si quis autem huius canonis auctoritatem in dubium vocauerit, vti GVILIELMVS BEVEREGIVS episcopus facit, res tamen euidens est ex aliis documentis. Nam concilium *Trullanum* eumdem canonem habet (*r*); neque *Macedonianos* vel *Apollinaristas* constat reiecisse veram baptismi formam, sed baptizasse semper in NOMINE PATRIS, FILII &

(*q*) Theodoret. lib. V. cap. I. Τὸν δὲ Μάξιμον, ὡς τῆς Ἀπολλιναρίου φρενοβλαβείας μετειληχότα, τῆς ἀρχιερατικῆς ἀξίας γυμνώσαντες ἀπεκήρυξαν. *Maximum vero vtpote Apollinarium infectum dementia pontificali dignitate exutum damnarunt.*

(*r*) Concil. Trullan. can. XCV. Ἀρειανοὺς μὲν καὶ Μακεδονιανοὺς - - καὶ Ἀπολιναριστὰς δεχόμεθα διδόντας λιβέλλους καὶ ἀναθεματίζοντας πᾶσαν αἵρεσιν, μὴ φρονοῦσαν ὡς φρονεῖ ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία, σφραγιζομένους ἤτοι χριομένους πρῶτον τῷ ἁγίῳ μύρῳ τό μέτωπον, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰς ῥῖνας, καὶ τὸ στόμα, καὶ τὰ ὦτα, καὶ σφραγίζοντες αὐτοὺς λέγομεν σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. *Arianos & Macedonianos - - & Apollinaristas recipimus dantes libellos & omnem hæresin anathematizantes, quæ non sentit vt sancta Dei vniuersalis & apostolica ecclesia; sancto primum chrismate inungentes & frontem & oculos & nares & os & aures: consignantes autem dicimus: Signaculum doni Spiritus sancti.*

SPI-

SPIRITVS SANCTI. Et obſeruatu dignum eſt, hoc ipſum concilium, quod ordinationem *Maximi* & omnium ab eo ordinatorum irritam & vacuam declarauit, non declaraſſe baptiſmos eorum irritos aut repeti iuſſiſſe. Id quod oſtendit, differentiam quamdam inter has res in diſciplina & praxi eccleſiæ factam fuiſſe.

§. IV.

Quomodo concilium generale tertium Epheſinum Neſtorium *eiusque ſectatores abdicarit.*

TERTIVM generale concilium *Epheſi* ſub *Theodoſio* iuniore an. CCCCXXXI. a ducentis amplius epiſcopis, *Cyrillo Alexandrino* illis præſidente, habitum eſt. Famoſum hoc concilium eſt depoſitione *Neſtorii*, epiſcopi *Conſtantinopolitani* & *Ioannis* epiſcopi *Antiocheni* & complurium aliorum. Et formulæ depoſitionum tam in actionibus quam canonibus iſtius concilii eiusmodi verbis conceptæ ſunt, vt oſtendant, patres iſtic congregatos ſuæ ipſorum auctoritatis, ad abdicandos homines propter hæreſin & alia magna crimina, ſibi bene fuiſſe conſcios, & homines, muneribus ſuis ita legitime exutos, non habuiſſe poſtea vllam auctoritatem actum quemdam miniſterialem obeundi, niſi eadem poteſtas, quæ vinculis eos adſtrinxerat, ex legitima indulgentia relaxandos duceret. Sententia, qua *Neſtorio* officium abrogatum fuit, expreſſis verbis ſic habet: *Dominus noſter IESVS CHRISTVS* [s], *quem ſuis ille blaſphemis vocibus impetiuit, per ſanctiſſimam hanc ſynodum eumdem Neſtorium, epiſcopali dignitate priuatum, & ab vniuerſo ſacerdotum conſortio & cætu alienum eſſe definit.* Num quid plus auctoritatis habere aut ſollemnius eſſe poteſt, quam hæc agendi ratio in nomine CHRISTI? Num etiam æquum fuerit cogitare, concilium reputaſſe *Neſtorium* ſacerdotem, poſt latam iſtiusmodi ſententiam iudicialem? Non autem ſolum *Neſtorium* abdicauit, ſed omnes etiam impulſores & defenſores eius, ſpeciatim *Chariſium*, qui expoſitionem ſym-

(s) Concil. Epheſ. act. I. Concil tom. III. p. 534. Ὁ βλασφημηθεὶς παρ᾽ αὐτοῦ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὥρισε διὰ τῆς παρούσης ἁγιωτάτης συνόδου, ἀλλότριον εἶναι τὸν αὐτὸν Νεστόριον τοῦ ἐπισκοπικοῦ ἀξιώματος καὶ παντὸς συλλόγου ἱερατικοῦ.

boli fecerat, vt sententiæ *Nestorii* illud accommodaret. Contra quem notissimum illud decretum fecerunt de nouis formulis fidei in hanc sententiam, *Statuit sancta synodus, aliam fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitum a sanctis patribus, qui in Nicæa cum SPIRITV SANCTO congregati fuerunt. Qui vero ausi fuerint aut componere fidem aliam, aut proferre, vel offerre conuerti volentibus ad agnitionem veritatis, siue ex gentilitate, siue ex iudaismo, siue ex qualicunque hæresi; hos quidem, si sunt episcopi aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu* [t] *& clericos a clericatu decreuit: si vero laici fuerint, anathemati subiici. Simili etiam modo, si qui inuenti fuerint vel episcopi* [u], *vel clerici, vel laici, siue sentire siue docere ea, quæ continentur in oblata expositione a Charisio presbytero de vnigeniti FILII DEI incarnatione siue scelerata & peruersa Nestorii dogmata, quæ & subnexa sunt, subiaceant sententiæ sanctæ huius & vniuersalis synodi: vt videlicet episcopus quidem remoueatur ab episcopatu & sit depositus; clericus vero similiter excidat a clericatu: si vero laicus quis sit, & ipse anathematizetur, sicut superius dictum est.* Iam vero patres illos per depositionem intelligere omnis potestatis & auctoritatis sacerdotalis ademtionem, ipsimet narrant, qui verborum suorum optimi interpretes sunt. Nam in epistola sua synodica ad

(t) Concil. Ephes. act. VI. p. 690. Ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος, ἑτέραν πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προσφέρειν, ἤγουν συγγράφειν, ἢ συντιθέναι παρὰ τὴν ὁρισθεῖσαν παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν τῇ Νικαίᾳ συνελθόντων σὺν ἁγίῳ πνεύματι· τοὺς δὲ τολμῶντας ἢ συντιθέναι πίστιν ἑτέραν, ἤγουν προκομίζειν, ἢ προσφέρειν τοῖς ἐθέλουσιν ἐπιστρέφειν εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, ἢ ἐξ ἑλληνισμοῦ, ἢ ἐξ ἰουδαϊσμοῦ, ἢ ἐξ αἱρέσεως οἱασδηποτοῦν. "Τούτους, εἰ μὲν εἶεν ἐπίσκοποι ἢ κληρικοὶ, ἀλλοτρίους εἶναι τοὺς ἐπισκόπους τῆς ἐπισκοπῆς, καὶ τοὺς κληρικοὺς τοῦ κλήρου." Εἰ δὲ λαϊκοὶ εἶεν, ἀναθεματίζεσθαι.

(u) Concil. Ephesin. ibid. Κατὰ τὸν ἴσον δὲ τρόπον, εἰ φωραθεῖέν τινες, εἴτε ἐπίσκοποι, εἴτε κληρικοὶ, φρονοῦντες ἢ διδάσκοντες τὰ ἐν τῇ προσκομισθείσῃ ἐκθέσει παρὰ Χαρισίου πρεσβυτέρου περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ Θεοῦ, ἤγουν τὰ μιαρὰ καὶ διεστραμμένα Νεστορίου δόγματα, ἃ καὶ ὑποτέτακται, ὑποκείσθωσαν τῇ ἀποφάσει τῆς ἁγίας ταύτης καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου· ὥστε δηλονότι "τὸν μὲν ἐπίσκοπον ἀλλοτριοῦσθαι τῆς ἐπισκοπῆς καὶ εἶναι καθῃρημένον, τὸν δὲ κληρικὸν ὁμοίως ἐκπίπτειν τοῦ κλήρου." Εἰ δὲ λαϊκός τις εἴη, καὶ οὗτος ἀναθεματιζέσθωσαν, καθὼς προείρηται.

Ca-

Cælestinum pontificem *Romanum* [w], in qua de sua aduersus *Ioannem Antiochenum* & schismaticam eius synodum agendi ratione ipsum faciunt certiorem, dicunt, se illos excommunicationi subiecisse omnique sacerdotali potestate exuisse, vt nullum suis sententiis lædere amplius possint. Et alio loco hunc *Ioannem* & reliquos consilii eius consortes declarant communione ecclesiastica alienos, nullam habentes facultatem [x], tamquam ex auctoritate sacerdotali, qua aliquibus vel detrimentum vel adiumentum adferre queant, donec se ipsos condemnantes proprium delictum confiteantur: id interim pro certo habentes, nisi celeriter hoc præstiterint, fore, vt perfectam sententiam iuxta canonum decreta incurrant. Nihil planius esse potest hisce verbis ad adimendam istis clericis omnem auctoritatem sacerdotalem, qui iusta clauium potestate in ecclesia legitime sunt abdicati. Auferebat hæc illis omnem δύναμιν, ἐξουσίαν, αὐθεντίαν ἱερατικὴν, omnem potestatem, auctoritatem & spiritualem efficaciam sacerdotii. Peragerent, si vellent, actus sacerdotales; ligarent, solverent: sed hoc nullam habiturum spiritualem efficaciam, quod sine auctoritate facerent; eorum actum ligandi nemini nociturum, soluendi profuturum nemini, quod rata & iusta eis potestas deesset. Ne somniarunt quidem tunc temporis de eiusmodi notione indelebilis characteris sacerdotii, quam nonnulli adhuc tuiti sunt, ac si quis agere posset cum absoluta auctoritate sacerdotis, quando DEVS & CHRISTVS & optima auctoritate in ecclesia præditi viri potestatem illi suam ademerunt. Ii ipsi, qui huic concilio sese opponebant, non erant in tali opinione, sed tantum se iniuste sacerdotio abdicatos esse dictitabant, et idcirco, vt a *Cyrillo* eiusque concilio se vindicarent, *Ioannes Antiochenus*

(w) Concil. Ephes. tom. III. p. 666. αὐτοὺς ἀκοινωνήτους ποιήσαντες καὶ "περιελόντες "αὐτῶν πᾶσαν ἐξουσίαν ἱερατικὴν," ὥστε μὴ δύνασθαι βλάπτειν δι' οἰκείαν ἀπόφασιν.

(x) Ibid. act. V. p. 653. Ἀλλότριος ἔστω αὐτός τε Ἰωάννης καὶ οἱ σὺν αὐτῷ τοῦτο δραματουργήσαντες - - τῆς ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας, "μηδεμίαν ἔχοντες ἄδειαν, "ὡς ἐξ αὐθεντίας ἱερατικῆς, εἰς τὸ δύνασθαι τινὰς βλάπτειν ἐκ ταύτης ἢ ὠφελεῖν," ἄχρις ἂν ἑαυτῶν καταγνόντες, τὸ οἰκεῖον ὁμολογήσωσι σφάλμα· εἰδότες, ὅτι εἰ μὴ τοῦτο ἐν τάχει ποιήσουσιν, τὴν τελείαν ἐκ τῶν κανόνων ἐφ' ἑαυτοὺς ἐπισπάσονται ἀπόφασιν.

& factio eius *Cyrillum* & reliquos illius concilii patres, cum CYRILLO consentientes, tanquam *Apollinaristas* damnare sibi sumebant, idque eadem verborum formula faciebant, qua reliqui in ipsos vsi fuerant. Ita enim LIBERATUS, qui gesta in hoc concilio memoriæ prodidit, eam repræsentat. *Ioannes* & triginta episcopi consilii eius consortes depositionis sententiam mittebant his verbis perscriptam: *Scitote* [y], *quod depositi estis & alieni ab episcopatu, tu Cyrille Alexandrine episcope, et tu Memnon huius ciuitatis, et omni ministerio ecclesiastico alieni.* Eadem legi possunt in sessione prima concilii *Ephesini*, vbi acta concilii illius schismatici [z] enarrantur. Ad hæc *Cyrillus* & patres *Ephesi* congregati respondebant ex ante memoratis catholicis principiis, Quod sententia depositionis aduersum se pronuntiata nullius sit auctoritatis, nullius roboris, quia triginta episcopi, qui eam decreuerint, legitima potestate exuti sint; non habere eos, dicebant, auctoritatem agendi iudices contra alios; perdidisse eos potestatem clauium, eorumque excommunicationes pariter & absolutiones esse vanas & inutiles, quia non sint homines, ad eiusmodi actus perficiendos legitima auctoritate instructi. Ex his enim triginta episcopis alios esse extorres, otiosos ecclesiisque carentes; alios ante multos annos ob graues culpas a suis metropolitanis depositos [a]; cum ipsis etiam *Pelagianos* & *Cælestianos* ac non nullos de iis, qui ex *Thessalia* eiecti fuerint. Hos igitur cum *Ioanne Antiocheno* rem ausos esse impiam, qualem nemo antea ausus sit vmquam, dum priuatim scriptum quoddam confecerint depositionisque nomen & contumeliam impe-

(y) Liberat. breuiar. cap. VI. (tom. V. concil. edit. Labb. p. 746.)

(z) Concil. Ephesin. act. I. tom. III. concil. p. 590. sub hoc titulo: Commentarii gestorum apud orientales episcopos, in quibus sanctissimos Cyrillum ac Memnonem deponunt, & omnes qui ad sanctam synodum conuenerant, excommunicant.

Ibid. pag. 598. Tu Cyrille Alexandrine, & tu Memnon huius ciuitatis episcope, scitote, vos depositos & ab episcopatu alienos, & ab omni ministerio ecclesiastico amotos, cetera.

(a) Concil. Ephes. epist. synod. ad Cælestin. act. I. Concil. tom. III. pag. 663. Συλλέξας ὥσπερ κολλήγιον ἑαυτῷ τριάκοντά πη τὸν ἀριθμὸν ἀνθρώπων, ἐπισκόπων ἐχόντων ὄνομα, ὧν οἱ μὲν εἰσιν ἀπόλιδες, σχολάζοντες δὲ, καὶ ἐκκλησίας μὴ ἔχοντες, ἕτεροι δὲ καὶ πρὸ πολλῶν ἐτῶν, ἐπὶ δειναῖς αἰτίαις καθῃρημένοι ἀπὸ τῶν ἰδίων μητρο-

gerint

rint *Cyrillo* & vniuersali synodo. Qua in re auctoritatem sibi arrogarint, nullo modo eis competentem, vtpote qui tantum nomen episcoporum habeant sine potestate, quam amiserint iuste abdicati. Nonne hæc omnia ex iudicio huius concilii arguunt, hæreticos, schismaticos & loco motos clericos legitima depositione perdere auctoritatem suam ministerialem; ita quidem, vt postea non habeant auctoritatem ligandi vel laxandi, excommunicandi vel absoluendi, aut perficiendi cum auctoritate alios actus ministeriales? Si hoc non arguunt, despero, vllius hominis mentem ex verbis suis percipi posse. Si vero sic est, manifestissimum est, sacerdotes ex huius concilii generalis opinione auctoritate sua ministeriali exui posse.

Facile esset integrum fere volumen de eadem materia ex variis actis & monumentis huius concilii transscribere: sed vero, ne amicus meus denuo queratur, quod ipsum ad libros remittam, quos non facile nancisci possit, subiungam heic duos vel tres canones huius concilii, qui in omnium manibus versantur, et ad rem præsentem æque faciunt atque ea, quæ ex actis huius synodi iam adlata sunt.

Praefationis ad canones locum obtinet epistola eorum encyclica ad omnes ecclesias, in qua de his triginta schismaticis episcopis loquuntur, qui separatam synodum sub *Ioanne Antiocheno* constituerant, quos eodem modo, vti audiuimus antea, depingunt dicentes [*b*]: *Hi nullam omnino ecclesiasticæ communionis facultatem habentes, vt ex auctoritate sacerdotali cuiquam nocere vel prodesse possint, propterea quod etiam quidam ex ipsis sunt depositi, cumprimis Nestorii & Cælestii sequi sententias mani-*

πολιτῶν, σὺν αὐτοῖς δὲ Πελαγιανοὶ ϗ Κελεςιανοὶ ϗ τῶν ἀπὸ Θεσσαλίας ἐκβεβλημένων τινὲς, πρᾶγμα τετόλμηκεν ἀνόσιον, ὁ μηδεὶς πώποτε τῶν πρὸς αὐτῦ· συνάπτει γὰρ καταμόνας χαρτίον ϗ δὴ καθαιρέσεως ὄνομα ϗ ὕβριν προσετρίψατο τῷ ἁγιωτάτῳ ϗ θεοσεβεςάτῳ τῆς Ἀλεξανδρείων ἐπισκόπῳ Κυρίλλῳ κ. τ. λ.

(*b*) Concil. Ephes. epist. encycl. ibid. pag. 803. Οἵτινες τῆς ἐκκλησιαςικῆς κοινωνίας ἔχοντες ἄδειαν ὡς ἐξ αὐθεντείας ἱερατικῆς, εἰς τὸ δύνασθαί τινας ἐκ ταύτης βλάπτειν ἢ ὠφελεῖν, διὸ τὸ ϗ τινας ἐν αὐτοῖς εἶναι καθῃρημένους, πρὸ πάντων μὲν τὰ Νεςορίου ϗ τὰ Κελεςίου φρονήματα ἐπιφερόμενοι σαφέςατα ἀπεδείχθησαν ἐκ τοῦ μὴ ἑλέσθαι μεθ᾽ ἡμῶν Νεςορίου καταψηφίσασθαι· οὓς τινας δόγματι κοινῷ ἡ ἁγία σύνοδος πάσης μὲν ἐκκλησιαςικῆς κοινωνίας ἀλλοτρίους ἐποίησε, πᾶσαν δὲ αὐτῶν ἐνέργειαν ἱερατικὴν περιεῖλε, δι᾽ ἧς ἠδύναντο βλάπτειν ἢ ὠφελεῖν τινάς.

feste

feste ex eo sunt deprehensi, quod Nestorium nobiscum condemnare noluerunt: quos sancta synodus communi decreto ab omni ecclesiastica communione alienos esse statuit, et omnem sacerdotii functionem illis ademit, per quam aliquibus vel nocere vel prodesse poterant. Sententia eorum est, quod eos omni sacerdotali priuarint auctoritate excommunicandi vel absoluendi, aut perficiendi vllos alios actus ministeriales, qui spiritualem effectum in alios habere possent. Et si hoc eos non reddidit personas auctoritatis expertes, difficile est dictu, quid tandem redditurum sit. Primus eorum canon contra omnes eiusmodi metropolitanos factus est, qui derelicta œcumenica synodo ad conuenticulum schismaticorum accesserint, vel cum *Cælestio* senserint: Istiusmodi metropolitam statuit [c] nihil amplius agere posse aduersus prouinciæ episcopos, vt qui iam inde a synodo totius ecclesiasticæ communionis expers sit factus & prorsus ad functiones inhabilis: sed & ipsis episcopis illius prouinciæ circumque vicinis metropolitis recte sentientibus subiectum fore, vt omnino sit deiectus a gradu episcopatus. Canone proxime sequente [d] idem decernunt aduersus episcopos, qui schismaticorum synodo adhæserint, quod penitus alieni sacerdotio & a gradu cecidisse existimandi sint. Hæc certe non sunt verba hominum, qui statuant hæreticos vel schismaticos; vel depositos sacerdotes agere adhuc posse cum auctoritate sacerdotali, postquam gradu fuerint moti & ordine suo exciderint.

(c) Concil. Ephes. can. I. Εἴ τις μητροπολίτης τῆς ἐπαρχίας ἀποστατήσας τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου, προσέθετο τῷ τῆς ἀποστασίας συνεδρίῳ, ἢ μετὰ τοῦτο προστεθείη, ἢ τὰ Κελεστίου ἐφρόνησεν, ἢ φρονήσῃ, οὗτος κατὰ τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπων διαπράττεσθαί τι οὐδαμῶς δύναται, πάσης ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας ἐντεῦθεν ἤδη ὑπὸ τῆς συνόδου ἐκβεβλημένος, καὶ ἀνενέργητος ὑπάρχων ἀλλὰ καὶ αὐτοῖς τοῖς τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόποις, καὶ τοῖς πέριξ μητροπολίταις, τοῖς τὰ τῆς ὀρθοδοξίας φρονοῦσιν ὑποκείσεται εἰς τὸ πάντη καὶ τοῦ βαθμοῦ τῆς ἐπισκοπῆς ἐκβληθῆναι.

(d) Can. II. ibid. Εἰ δέ τινες ἐπαρχιῶται ἐπίσκοποι ἀπελείφθησαν τῆς ἁγίας συνόδου, καὶ τῇ ἀποστασίᾳ προσετέθησαν, ἢ προστεθῆναι πειραθεῖεν, ἢ καὶ ὑπογράψαντες τῇ Νεστορίου καθαιρέσει ἐπαλινδρόμησαν πρὸς τὸ τῆς ἀποστασίας συνέδριον, " τούτους " πάντη κατὰ τὴν δόξαν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ ἀλλοτρίους εἶναι τῆς ἱερωσύνης, καὶ τοῦ βαθμοῦ " ἐκπίπτειν.

CANONE

CANONE tertio [*] decernunt, Si qui clerici a *Neſtorio* & cum eo conſpirantibus ſacerdotio prohibiti ſint, quod recte ſentirent, eos in proprium gradum reſtituendos eſſe: nec in poſterum clericos, orthodoxæ & œcumenicæ ſynodo conſentientes, eis, qui defecerint aut defecturi ſint, epiſcopis vllo pacto vllaue ratione ſubiectos eſſe debere. Hoc ſane arguit, hæreticos gradu motos non habere amplius auctoritatem tamquam ſacerdotes & epiſcopos cenſura adficiendi ſibi ſubiectos, aut exigendi ab illis obedientiam. Et tamen poteſtas clauium in præcipuis & propriis partibus epiſcopatus & ſacerdotii erat. Vbi autem tum clauem cognitionis tum clauem gubernationis perdiderant, ſubmiſſio & obedientia illis, tanquam ſacerdotibus & miniſtris Dei, in hoc ſtatu depoſitionis non amplius debebatur.

CANONE quarto [**] ſanciunt, Si qui clericorum defecerint & auſi fuerint vel priuatim vel publice, quæ ſint *Neſtorii* aut *Cæleſtii*, ſapere, iſtos quoque depoſitos eſſe.

ET canone quinto [***], Si qui clerici ob turpia geſta a ſynodo vel a propriis eorum epiſcopis condemnati fuerint, & *Neſtorius*, vel qui cum illo eadem ſentiant, eis præter canones reſtituere gradum vel communionem conati ſint aut conentur, iſtos nihil profeciſſe & manere & eſſe nihilo minus depoſitos cenſent. Vnde liquido apparet, quod *Neſtorius*, quum eſſet legitime depoſitus, nullam auctoritatem habuerit abſoluendi ſiue reſtituendi quempiam in communionem, beneficio alicuius characteris indelebilis, qui in eo remanſerit. Et licet eos vel ſexcenties abſol-

(*) Can. III. ibid. pag. 806. Εἰ δέ τινες καὶ τῶν ἐν ἑκάστῃ πόλει ἢ χώρᾳ κληρικῶν ὑπὸ Νεστορίου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ὄντων τῆς ἱερωσύνης ἐκωλύθησαν διὰ τὸ ὀρθῶς φρονεῖν, ἐδικαιώσαμεν καὶ τούτους τὸν ἴδιον ἀπολαβεῖν βαθμόν· κοινῶς δὲ τοὺς τῇ ὀρθοδόξῳ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ συμφρονοῦντας κληρικοὺς κελεύομεν τοῖς ἀποστατήσασιν ἢ ἀφισταμένοις ἐπισκόποις μηδόλως ὑποκεῖσθαι κατὰ μηδένα τρόπον.

(**) Can. IV. ibid. Εἰ δέ τινες ἀποστατήσαιεν τῶν κληρικῶν καὶ τολμήσαιεν ἢ κατ' ἰδίαν ἢ δημοσίᾳ τὰ Νεστορίου ἢ τὰ Κελεστίου φρονῆσαι, καὶ τούτους εἶναι καθῃρημένους ὑπὸ τῆς ἁγίας συνόδου δεδικαίωται.

(***) Can. V. ibid. Ὅσοι δὲ ἐπὶ ἀτόποις πράξεσι κατεκρίθησαν ὑπὸ τῆς ἁγίας συνόδου, ἢ ὑπὸ τῶν οἰκείων ἐπισκόπων, καὶ τούτοις ἀκανονίστως κατὰ τὴν ἐν ἅπασιν ἀδιαφορίαν αὐτοῦ ὁ Νεστόριος, καὶ οἱ τὰ αὐτοῦ φρονοῦντες ἀποδοῦναι ἐπειράθησαν, ἢ πειραθεῖεν κοινωνίαν, ἢ βαθμόν, ἀνωφελήτους εἶναι, καὶ μένειν καὶ τούτους καὶ εἶναι οὐδὲν ἧττον καθῃρημένους ἐδικαιώσαμεν.

viſſet, auctoritas tamen eius valuiſſet nihil, vſque dum eccleſia per actus iuſtiſſimæ auctoritatis illos reſtituiſſet.

CANONE ſexto (*) definiunt, Si qui velint ea, quæ de ſingulis per ſynodum *Epheſinam* geſta ſint, quocunque modo movere, ſi quidem epiſcopi aut clerici fuerint, eos omnino a proprio cadere gradu, ſi vero laici, excommunicatos eſſe.

CANON vltimus (**) decernit, ſi qui auſi fuerint impio *Theodori Mopſueſteni* ſymbolo, a *Chariſio* oblato, vti, aut aliud componere præter *Nicænum*, hos quidem, ſi ſint epiſcopi aut clerici, alienos eſſe epiſcopos ab epiſcopatu, & clericos a clericatu (ἀλλοτρίους εἶναι τοὺς ἐπισκόπους τῆς ἐπισκοπῆς καὶ τοὺς κληρικοὺς τοῦ κλήρου) Si vero laici, anathemati ſubiici oportere.

SVNT hi ſeptem canones, quos concilium *Epheſinum* fecit, & quos ſingulos eo tendere videmus, vt omnem miniſterialem epiſcoporum & ſacerdotum auctoritatem illis adimant, ſi in hæreſin vel crimen inciderint, ob quod cenſuras ſynodi incurrant. Et ſane pari iure nigrum album eſſe dixeris, quam concilium *Epheſinum* ſtatuas cogitaſſe, Quod iſti homines habuerint adhuc auctoritatem miniſtrorum CHRISTI, poſtquam auctoritate DEI & CHRISTI auctoritatem eis ſuam ademit. Nihilo tamen minus baptiſmi, ab iſtis hominibus in hoc ſtatu auctoritatis experte dati, non repetiti, nec ii, quos baptizarunt, dum miniſteriali ſua poteſtate exuti eſſent, rebaptizati fuerunt, ſi ad eccleſiam redirent, ſed tantum cum impoſitione manuum & per confirmationem recepti, quemadmodum in parte priore huius *hiſtoriæ ſcholaſticæ*, ſpeciatim de *Neſtorianis*, oſtendi, quo lectorem remitto.

(*) Can. VI. ibid. Ὁμοίως δὲ καὶ εἴ τινες βουληθεῖεν τὰ περὶ ἑκάστου πεπραγμένα ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τῇ ἐν Ἐφέσῳ οἱῳδήποτε τρόπῳ παρασαλεύειν, ἡ ἁγία σύνοδος ὥρισεν, εἰ μὲν ἐπίσκοποι εἶεν, ἢ κληρικοί, τοῦ οἰκείου παντελῶς ἀποπίπτειν βαθμοῦ· εἰ δὲ λαϊκοί, ἀκοινωνήτους ὑπάρχειν.

(**) Can. VII. Not. In editione Labbei ſex tantum canones habentur: in quibusdam autem aliis additur ſub nomine VII canonis, definitio eiuſdem ſynodi poſt relationem Chariſii edita, quæ habetur art. VI. p. 690. apud Labbeum. Vid. ſupra ſub not. (t) & (u). Gr.

§. V.

§. V.

Quomodo concilium Chalcedonenſe Eutychem & Dioſcorum *eorumque ſectatores depoſuerit.*

VENIMVS iam ad concilium quartum generale, hoc eſt magnum concilium *Chalcedonenſe*, in quo ſexcenti amplius epiſcopi ſub *Marciano* imperatore an. CCCCLI. ad damnandas hæreſes *Eutychis* & *Dioſcori* conuenerant, qui CHRISTVM nobis ſecundum humanam naturam conſubſtantialem eſſe negabant, quemadmodum *Arius* eum PATRI ſecundum diuinam naturam conſubſtantialem eſſe inficiatus erat. *Eutyches* iam ante condemnatus erat in concilio, quod an. CCCCXLVIII. *Conſtantinopoli* ſub *Flauiano* habitum fuerat, cuius concilii acta in prima actione ſeu ſeſſione concilii *Chalcedonenſis* interpoſita leguntur. Offendimus ibi primam ſententiam depoſitionis a *Flauiano* & quinquaginta ſex epiſcopis & archimandritis de ipſo latam verbis ſequentibus: *Decreuimus per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, ab eo blaſphematum, extraneum eum eſſe ab omni officio* [e] *ſacerdotali & a noſtra communione & primatu monaſterii; ſcientibus hoc omnibus, qui poſtea colloquentur ei & ad eum conuenerint, quoniam rei erunt & ipſi pœnæ excommunicationis, vt qui non declinauerint confabulationes eius.* Et heic illis vocatur ὁ πάλαι πρεσβύτερος, quondam presbyter, vt qui non amplius ſit presbyter, poſtquam ſic ordine ſuo motus eſſet. Hoc decretum quidem a ſecunda ſynodo *Epheſina* reſciſſum eſt, quam *ſynodum latrocinalem* vulgo vocant, quod templum Dei in ſpeluncam latronum conuerterit, dum inſtigante *Dioſcoro*, epiſcopo *Alexandrino*, *Flauianum* damnauit, abſoluit *Eutychem* [f]: Verum conatus huius ſynodi illico repreſſus eſt auctoritate magni concilii *Chalcedonenſis*, quod & *Dioſcorum* & *Eutychem* maxime notabili ratione damnauit. *Dioſcori* depoſitio ſæpius his verbis de-

(e) Concil. Conſtant. act. VII. in act. I. Concil. Chalced. tom. IV. concil. p. 230. Ὡρίσαμεν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ ὑπ' αὐτοῦ βλασφημηθέντος, "ἀλλότριον αὐτὸν εἶναι παντὸς ἱερατικοῦ τάγματος, καὶ τῆς πρὸς ἡμᾶς κοινωνίας," καὶ τοῦ προεστάναι μοναστηρίου· εἰδότων ἐκείνων πάντων τῶν μετὰ ταῦτα διαλεγομένων αὐτῷ, ἢ συντυγχανόντων, ὡς ὑπεύθυνοι ἔσονται καὶ αὐτοὶ τῷ τῆς ἀκοινωνησίας ἐπιτιμίῳ, ὡς μὴ ἀποστάντες τῆς πρὸς αὐτὸν ὁμιλίας.

(f) Vid. act. concil. Epheſ. ſecundi in actione prima concil. Chalced. p. 256. ſeqq.

claratur, Διόσκορον ὁ θεὸς καθεῖλεν [g], *Dioſcorum Deus depoſuit;* Διόσκορον ὁ Χριστὸς καθεῖλεν, *Dioſcorum Chriſtus depoſuit;* Τὸν φονέα ὁ Χριστὸς καθεῖλεν, *Homicidam Chriſtus depoſuit* [h]. *Sancta Synodus decreuit alienum eum eſſe ab epiſcopatus dignitate & omni ſacerdotali miniſterio* [i].

Et præterea notatu dignum eſt, quod in ſententia depoſitionis, contra illum pronunciata, declaretur omni ſacerdotali gratia & functione denudatus, ſine vlla ſpe reſtaurationis [k], propterea quod inobediens extiterit concilio, & euocatus, vt accuſationibus reſponderet, comparere noluerit. Liberatus earumdem rerum mentionem facit, loquens de hoc concilio: *Acclamauit*, inquit, *omne concilium* [l], *Dioſcorum Deus depoſuit, Homicidam Deus depoſuit.* Et ſubiungit: *Clericis vero Alexandrinis mandauit concilium, iam eum non putarent epiſcopum eſſe,*

(g) Concil. Chalced. act. II. p. 371.

(h) Ibid. act. I. p. 831. edit. Crabb. pag. 323. edit. Labbei.

(i) Ibid. act. III. p. 847. edit. Crabb. pag. 427. edit. Labb. Vid. diuerſæ ſubſcriptiones epiſcoporum in hac ſeſſione p. 439. Cyrus epiſcopus Siniandi ciuitatis dixit: *Ego alienum eum iudico a pontificatus collegio & omni ſacerdotali miniſterio.* Alius quidam dixit: *Dignus eſt alienus eſſe a ſacerdotali ordine, & ab omni miniſterio & communione*, cetera.

(k) Concil. Chalced. act. III. in edicto contr. Dioſcorum p. 459. Γίνωσκε σεαυτὸν διὰ τὴν κατὰ τῶν θείων κανόνων ὑπεροψίαν καὶ διὰ τὴν ἀπείθειάν σου τὴν περὶ τὴν ἁγίαν ταύτην καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον, ὑπὲρ ὧν πρὸς τοῖς ἄλλοις σου πλημμελήμασιν, οἷς ἑάλως καὶ τρίτον κληθεὶς παρὰ τῆς ἁγίας ταύτης καὶ μεγάλης συνόδου κατὰ τοὺς θείους κανόνας, ἐπὶ τῷ ἀποκρίνασθαι τοῖς ἐπαγομένοις σοι, οὐκ ἀπήντησας, ὀκτωμβρίῳ μηνὶ τοῦ ἐνεστῶτος τρισκαιδεκάτῃ παρὰ τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου "καθαιρεῖσθαι τῆς ἐπισκοπῆς, καὶ παντὸς ἐκκλησιαστικοῦ θεσμοῦ ὑπάρχειν ἀλλότριον." *Cognoſce te ipſum, propterea quod diuinos canones deſpexiſti, & inobediens extitiſti huic ſancto & vniuerſali concilio, ſuperque hæc, præter alia tua commiſſa, in quibus inuentus es reus etiam tertio euocatis, minime occurriſti; Octobris, menſis præſentis decimo tertio die a ſancto & vniuerſali concilio eſſe ab epiſcopatu depoſitum & ab omni eccleſiaſtica functione ſubmotum.*

Ibid. pag. 461. Τὸ δὲ γράμμα ἐδικαιώσαμεν προτεθῆναι διασημαίνοντες, ὡς ὁ παρὰ τοῦ δεσπότου θεοῦ, καὶ παρὰ τοσαύτης πληθύος ἐπισκόπων, δι᾽ ὧν ἀσυγγνωστα δέδρακε, τῆς κατὰ τὴν ἱερωσύνην χάριτος "ἀφαιρεθεὶς, οὐδεμίαν τοσύνολον ἔχει ἀποκαταστάσεως ἐλπίδα." *Iuſtum iudicauimus has litteras promulgare, ſignificantes, quod qui talia perpetrauit, quæ ab omnium dominatore Deo, & a tanta epiſcoporum multitudine ignoſci non debeant, ſacerdotali gratia denudatus, omnino nullam reſtaurationis ſpem poterit obtinere.*

(l) Liberat. breuiar. cap. XIII. (tom. V. concil. p. 761. edit. Labb.)

ſed

ſed omnino cognoſcerent, eum de gradu ſuo eſſe deiectum. Sed & aliquibus putantibus, Dioſcorum recuperare poſſe epiſcopatum, propoſitum eſt edictum & omnibus manifeſtatum eſt, Dioſcorum irrecuperabiliter honore fuiſſe abiectum. Num vlla res poteſt eſſe illuſtrior ac teſtatior aut maiorem fidem habere, quam hæc ipſa depoſitio? Quæ facta eſſe dicitur a DEO & CHRISTO; quæ eum non ſolum epiſcopatu ſed etiam omni eccleſiaſtico miniſterio & ſacra functione alienum pronuntiauit, quæ clericos illius vetuit agnoſcere eum epiſcopum, iuſſit autem abiectum & reprobratum habere, irrecuperabiliter de gradu deiectum, nullam reſtaurationis ſpem habentem; quæ eum collegio epiſcoporum & ordine ſacerdotum expulit, ne nomine quidem & appellatione illi relicta. Num quis ſibi perſuadere poteſt, illos eum reputaſſe miniſtrum CHRISTI auctoritate præditum, poſtquam poteſtate CHRISTI tam ſollemniter omnem illi auctoritatem ademerunt, ſine ſpe reſtaurationis? Quidquid heic fuerit in indelebili charactere epiſcopi vel ſacerdotis, certum eſt, hoc concilium non exiſtimaſſe, illud ei dare auctoritatem agendi pro epiſcopo, poſt tam ſollemnem & publicam depoſitionem. Etiamſi ſtatuere velimus, hoc eum conſeruaſſe in tali conditione, in qua tamquam ſacerdos agere potuiſſet ſine noua ordinatione, ſi concilium eum aliquando reſtituendum duxiſſet, vnde deieciſſet; non potuiſſet tamen dici miniſtrare cum auctoritate, quoad in iſto depoſitionis ſtatu manſiſſet; in quo vniuerſa poteſtas cæli & terræ auctoritatem ei ſuam eripuerat. Neque tamen vſpiam legimus, baptiſmos a *Dioſcoro* vel ab iis, qui illi adhærebant, datos vllo vmquam tempore repetitos, aut *Eutychianos* quosdam rebaptizatos eſſe, ſi ad eccleſiam catholicam rediiſſent.

CONDEMNATIO *Eutychis* ipſius parallela erat condemnationi *Dioſcori*. Non niſi vno aliquo eius rei exemplo lectori moleſtus ero, ex edicto *Marciani* imperatoris, quo acta & ſententiam concilii aduerſus ipſum confirmat. In editione PETRI CRABBII ſeſſioni tertiæ concilii inſerta eſt. pag. 866. in PHILIPPI autem LABBEI editione reperitur ad calcem omnium actorum, inter alia monumenta, quæ ad hoc concilium ſpectant, his ver-

bis concepta. *Hac lege decernimus* [m], *eos, qui Eutychetis decipiuntur errore, nullum episcopum, nullum habere presbyterum, nullos habere (al. creare) vel appellare clericos: ipsumque Eutychem nomine presbyteri, quo & indignus & spoliatus est, in totum carere. Si qui autem contra definita nostra episcopos, presbyteros, ceterosque clericos ausi fuerint creare, tum factos tum facientes, vel præsumentes sibi clericorum gradum, bonorum amissione perculsos, exilio perpetuo præcipimus contineri.* Iam si secundum sententiam istius concilii eamque ita approbatam *Eutyches*, & qui cum ipso consenserunt, omnibus ministerialibus functionibus priuati fuerunt, ita vt ne nomen quidem episcoporum & presbyterorum retinuerint, nec vllos sub his titulis creare potuerint: Quam sodes auctoritatem *Eutychiani* posthac habere potuerunt administrandi baptismum, aut actus quosdam functionis ministerialis perficiendi? Potuerunt quidem res eiusmodi peragere, non habuerunt autem peragendi auctoritatem. Vsurpatores non minus erant quam quisque laicus. Omnis differentia in ea sita erat, quod hic nunquam habuerat auctoritatem; illi habuerant aliquando, sed perdiderant, & per hæresin suam ac contumaciam ipsi se in statum & conditionem reduxerant, laicis vno gradu inferiorem, anathemati iusta & legitima ratione se subiici & ecclesiæ communione excludi passi. Et nihilo minus tamen canones narrant, eos, qui ab his vsurpatoribus auctoritatis omnis expertibus, debita quidem forma, baptizati fuerint, non esse rebaptizatos, sed ea tantum, quæ in baptismo illorum defuerant, per impositionem manuum & commodam confirmationis formam suppleta esse atque compensata.

Possem alia exempla in rem præsentem adferre ex residuis huius concilii actis, sed malo non nihil de canonibus illius di-

(m) Edict. Marciani ad calcem concil. Chalced. part. III. cap. XII. (tom. IV. concil. p. 868.) Διὰ τοῦ δὲ νόμου θεσπίζομεν, τοὺς ὑπὸ τῆς μανίας Εὐτυχοῦς ἀπατωμένους - - μηδένα ἔχειν πρεσβύτερον, μηδὲ τινας κληρικοὺς ἢ ἔχειν ἢ ὀνομάζειν. Καὶ αὐτὸν Εὐτυχῆ τῆς τοῦ πρεσβυτέρου προσηγορίας, ἧς ἀνάξιος ὢν ἐγυμνώθη, καθόλου στερίσκεσθαι· εἰ δέ τινες ἀντικρὺ τῶν παρ᾽ ἡμῶν ὁρισθέντων, ἐπισκόπους, ἢ πρεσβυτέρους ἢ καὶ λοιποὺς κληρικοὺς χειροτονῆσαι τολμήσαιεν, αὐτούς τε τοὺς χειροτονουμένους, καὶ τοὺς χειροτονοῦντας, ἢ περιποιοῦντας ἑαυτοῖς κατὰ πρόληψιν τὸν βαθμὸν τὸν τῶν κληρικῶν μετὰ τὸ καταδικασθῆναι τῇ τῶν ὑπαρχόντων ἀποβολῇ καὶ ἐξορίᾳ διηνεκεῖ συγκλεισθῆναι προστάττομεν.

cere,

cere; inter quos non minus octo sunt, qui certa crimina enarrant, propter quæ clericus aliquis ordinem suum amittat. Canon secundus contra ordinationem propter pecunias factam decernit, tam eum, qui propter pecunias ordinauerit, quam illum, qui ordinatus fuerit, nec non istum, qui sequester & intercessor tam turpibus lucris apparuerit, si sit clericus, gradu suo excidere oportere, τȢ οἰκείȢ ἐκπιπτέτω βαθμȢ. Ita si quis clericus, ecclesia sua deserta, sine venia ad aliam confugerit, secundum canonem decimum eamdem censuram incurrit, ἐκπίπτειν τȢ ἰδίȢ βαθμȢ.

Si quis episcopus per pragmaticam sanctionem prouinciam suam in duas diuiserit, vt duæ metropoles in detrimentum legitimi sui metropolitani ea efficiantur, per canonem decimum simili deiectioni de gradu suo ipse se facit obnoxium.

Secvndvm canonem duodeuicesimum clerici coniurationis siue conspirationis contra ciuile imperium rei proprio gradu omnino excidunt, ἐκπιπτέτωσαν πάντη τȢ οἰκείȢ βαθμȢ.

Per canonem vicesimum secundum clerici res, quæ ad defunctum episcopum pertinent, rapientes, itidem de proprio gradu deiiciendi dicuntur.

Et eos, qui nomine coniugii mulieres rapiunt, vel opem ferunt ac consentiunt iis, qui rapiunt, secundum canonem vicesimum septimum eidem pœnæ subiiciuntur.

Canon vicesimus nonus sacrilegium esse dicit, episcopum in presbyteri gradum deducere: si qua autem iusta caussa eum ab episcopali functione remoueat, nec presbyteri debere locum obtinere.

Iam adductis hisce canonibus omnibus scire cupio, Num, si quis clericus ordine suo formaliter & iudicialiter, vti hi canones statuunt, deiectus est, tunc amplius vllam auctoritatem habeat, functionis suæ munia ministerialia obeundi? Si dixeris, habere eum adhuc auctoritatem: in hos canones violenter inuolare, & omnis disciplinæ ecclesiasticæ neruos incidere, ecclesiamque sine iusta censurarum potestate relinquere videbere. Si autem eum nihil auctoritatis post talem depositionem habere statuamus, ipse autem in contemtum & contradictionem horum cano-

canonum pergere, & cum hæreticis ſe coniungere, aut παρασυνάγωγὴν, conuenticulum ſeparatim inſtituere, altare contra altare erigere, baptizare & reliquos miniſterialis functionis actus omnes perficere audeat; quemadmodum multi epiſcopi & presbyteri fecerunt: Quæſtio eſt, An omnes ab eiusmodi epiſcopo vel ſacerdote, nullum amplius gradum in clero nullamque auctoritatem habente, baptizati ab eccleſia catholica rebaptizati ſint? Si rebaptizati ſunt, eruditi viri, qui mihi in hac cauſſa contradicunt, decretum aliquod ex vno horum generalium conciliorum ad hoc probandum facile potuiſſent producere: ſi autem non ſunt rebaptizati, ſicut manifeſtum eſt, quod non ſint, æquum & iuſtum eſt concludere, vti ego heic concludo, merum defectum auctoritatis in adminiſtrante baptiſmum non omnino irritum & vacuum reddidiſſe baptiſmum, in debita forma ab homine auctoritatis experte datum, ſed defectum auctoritatis & reliqua, quæ in illo defuerint, ex auctoritate eccleſiæ per ſubſequutam manuum impoſitionem & confirmationem ſuppleri conſueuiſſe: quemadmodum ex horum quatuor priorum conciliorum generalium hiſtoria, cum iis comparata, quæ antea de ratione recipiendi eos in eccleſiæ catholicæ communionem, qui apud hæreticos & ſchiſmaticos baptizati fuerant, diſſeruimus, patet clariſſime. Sequens argumentum mea quidem ſententia conuictionem ſecum fert, & vim habet demonſtrandi:

Baptismus hæreticorum, ſchiſmaticorum, gradu ſuo motorum clericorum, & excommunicatorum clericorum eſt baptiſmus hominum auctoritatis expertium ex quatuor priorum generalium conciliorum ſententia:

Sed baptiſmus hæreticorum, ſchiſmaticorum, gradu ſuo motorum clericorum & excommunicatorum clericorum, ſi in debita forma fuerit adminiſtratus, ab eccleſia ſemper ſuſceptus eſt ſine rebaptizatione:

Ergo baptiſmus hominum auctoritatis expertium, ſi in debita forma adminiſtratus fuerit, ab eccleſia ſemper ſuſceptus eſt ſine rebaptizatione.

§. VI.

§. VI.

De condemnatione Anthimi *&* Seueri *in concilio* Conſtantinopolitano *ſub* Menna, *an. DXXXVI.*

VERVM TAMEN perſequamur præſentem hiſtoriam. Sunt duæ ſynodi, quæ ſibi quodammodo titulum & appellationem vendicant quinti concilii generalis, quarum vtraque tempore *Iuſtiniani* habita eſt, prior quidem ſub *Menna*, patriarcha *Conſtantinopolitano*, an. DXXXVI, poſterior ſub *Vigilio*, papa *Romano* an. DLIII. In editione conciliorum PETRI CRABBII ſynodus, quæ ſub *Menna* celebrata fuit, nomen habet concilii quinti generalis; PHILIPPVS autem LABBEVS poſteriori hoc nomen tribuit. Ego vtramque coniungam, atque ita habebimus certe concilium aliquod generale. Synodus illa ſub *Menna* conuocata fuit contra *Anthimum*, epiſcopum *Trapezuntinum; Seuerum*, epiſcopum *Antiochenum; Petrum*, epiſcopum *Apameenſem;* et *Zoaram* monachum; aliosque hæreticos, dictos *Acephalos*, qui *Eutychianæ* hæreſis erant propago; Acephali autem apellabantur, hoc eſt ſine capite, quia primi huius ſectæ auctores *Alexandriæ*, facta ab epiſcopo ſuo ſeceſſione, ſeparatos conuentus agitarant, et in priuatis ædibus baptiſmos dederant, qui propterea in actis huius concilii παρασυναγωγαὶ & παραβαπτίσματα vocitantur. *Anthimus* primum condemnatus fuerat ab *Agapeto* papa *Romano*, cuius epiſtola in concilio legebatur, qua illum neque catholico neque ſacerdotis nomine dignum eſſe [*n*] declarabat, et hæc ſententia iterum ac ſæpius approbata & confirmata fuit a ſynodo, quæ ratione quadam magis ſollemni decreuit [*o*], ipſum conſtitui extra ſacerdotium & alienum eſſe ab omni alia ſacra appellatione ſimul & dignitate ac poteſtate. Et alio loco [*p*] ſententiæ depoſitionis excommunicatio addita legitur: ita vt non potuerit non omni ſacerdotali auctorita-

(*n*) Agapet. epiſt. ad Petrum in act. I. concil. ſub Menna p. 48. Οὐδὲ καθολικοῦ οὐδὲ ἱερέως ὀνόματος ἄξιον εἶναι ψηφίζομεν.

(*o*) Ibid. act. IV. p. 91. Ἱερωσύνης ἔξω καθεστάναι συγχωροῦμεν, πάσης δὲ ἑτέρας αὐτὸν ἱερατικῆς προσηγορίας ἅμα καὶ ἀξίας καὶ ἐνεργείας ἀλλότριον εἶναι τοῦ λοιποῦ.

(*p*) Ibid. p. 89. Συνορῶμεν - - καθάπαξ αὐτὸν ὡς μέλος ἄχρηστον καὶ σεσηπὸς ἀποβληθῆναι τοῦ σώματος τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν καὶ τῆς Τραπεζουντίων ἐπισκοπῆς

te & poteſtate denudatus eſſe. Similis ſententia depoſitionis contra *Seuerum* pronuntiata fuit a quatuor diuerſis ſynodis, quarum epiſtolæ ſynodicæ in hoc concilio interpoſitæ ſunt & confirmatæ, nimirum a ſynodo *Hieroſolymitana*, ſynodo *Tyria*, ſynodo *ſecundæ Syriæ*, et antegreſſa quadam ſynodo *Conſtantinopolitana*, cuius [q] ſententia ſic habet: *Hunc iuſte perpetuo anathemati ſubiicimus, omni bonore, nomine, dignitate, operatione tam chriſtiano quam bieratico conueniente priuantes & nudum diuinæ communionis ſtatuentes.* Poſt hanc depoſitionem *Iuſtinianus* edictum imperiale contra illos publicauit, quod etiamnum inter nouellas [r] eius exſtat, quo omnia confirmauit, quæ ab eccleſia in depoſitione *Anthimi*, *Seueri*, *Petri* & *Zoaræ* eorumque aſſeclarum facta erant, interdicens illis conuenticula agere, baptizare, euchariſtiam dare, concionari aut aliud quoddam ſacerdotalis functionis officium peragere. Conſtat autem inter omnes, hos homines, non obſtantibus tot ſynodorum cenſuris & edictis imperialibus, conuenticula agitaſſe in illiſque adminiſtraſſe baptiſmum. Hac enim de re querimonia facta eſt contra *Zoaram* monachum in concilio ſub *Menna* [s], et is ipſe atque ſocii facinoris rurſus generali ſynodi ſententia condemnati ſunt. Hæc vero ſententia non ſpectauit ad eos omnes denuo

---

ἔξω γινόμενον, καὶ πάσης ἱερᾶς ἀλλοτριούμενον ἀξίας καὶ ἐνεργείας καὶ κατὰ τὴν αὐτοῦ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα ψῆφον, τῆς τοῦ καθολικοῦ προσηγορίας. Conſentimus, - - vt omnino ipſe tamquam membrum inutile & putridum abiiciatur de corpore ſanctarum Dei eccleſiarum, & extra epiſcopatum Trapezuntinum ſit & alienus ab omni ſacra dignitate & poteſtate & iuxta ipſius ſanctiſſimi papæ ſententiam a catbolica appellatione.

(q) Concil. CP. in actione I. concilii ſub Menna p. 36. edit. Crabb.

(r) Iuſtin. nouel. XLII. cap. III. (Vid. etiam Conc. tom. V. pag. 268. ſin. ſeq.) *Θεσπίζομεν ἕκαστον τῶν τοιούτων τὴν ἡσυχίαν ἄγειν, καὶ μηδὲ συγκαλεῖν εἰς ἑαυτόν τινας, μήτε προσιόντας δέχεσθαι, ἢ παραβαπτίζειν θαῤῥεῖν, ἢ τὴν ἱερὰν κοινωνίαν ῥυπαίνειν, καὶ ταύτης μεταδεδόναι τισὶν, ἢ τὰς ἀπηγορευμένας διδασκαλίας ὑφηγεῖσθαι. Sancimus quemlibet talium quietum eſſe & non conuocare aliquos ad ſe, neque accedentes recipere, aut perperam baptizare audere, aut ſacram communionem ſordidare, & ipſam aliquibus tradere aut interdictas doctrinas exponere.*

(s) Concil. Conſtant. ſub Menna act. I. p. 70. edit. Crab. Quamquam piiſſimus imperator noſter mandauerit, non reconuenticulare, neque rebaptizare, Zoaros tamen tale præceptum deſpexit & porro baptizauit in die paſchæ non paucos.

bapti-

baptizandos, qui ab his, nullam auctoritatem habentibus, essent baptizati. Hæretici quidem ministeriali potestate priuati erant, illi autem, quos baptizarant, si ad ecclesiam venirent, recipiebantur, sicut leges de *Eutychianis* præcipiebant, cum impositione manuum sine nouo baptismate.

§. VII.

Quomodo defensores trium capitulorum *gradu moti fuerint in concilio quinto generali* Constantinopolitano.

„ ALTERVM concilium *Constantinopolitanum* sub *Iustiniano* an. DLIII. habitum, quod in nouis conciliorum editionibus quintum generale concilium vocatur, centum sexaginta quinque episcopis constitit, qui conuocati fuerant ad damnanda *tria capitula*, i.e. tria scripta, quibus *Nestoriani* ad defendendam suam hæresin multum vtebantur, quæ erant scripta THEODORI MOPSVESTENI; epistola MARIS ad *Ibam Persam;* et scripta THEODORETI, quæ pro *Nestorio* aduersus *Cyrillum* exposuerat. Heic etiam errores *Origenis* damnati. Hi omnes autem erant homines mortui, et in alterum mundum decesserant pro se ipsi responsuri. Quidquid igitur censuræ siue anathemata concilii adficere illos poterant, parum erat, nisi quatenus viuentibus prodessent, vt ab amplectendis & propagandis mortuorum erroribus deterrerentur. Quod vt re ipsa efficerent, hoc sollemne decretum interponebant [t]: *Si quis conatus fuerit contraria his, quæ a nobis pie terminata sunt, tradere, aut docere, aut scribere; si quidem episcopus vel clericus sit, iste tamquam aliena a sacerdotibus faciens, denudabitur episcopatu vel clericatu, si autem monachus vel laicus sit, anathematizabitur.* Iam heic facile cuivis est obseruare, quod vti anathema monachum vel laicum omni communis ecclesiasticæ potestate & priuilegio, ad laicum

(t) Constant. conc. V. general. collat. VIII. concil. tom. V. p. 579. Εἴ τις ἐπιχειρήσει ἐναντία τοῖς παρ' ἡμῶν εὐσεβῶς διατυπωθεῖσι παραδοῦναι, ἢ διδάξαι, ἢ γράψαι, εἰ μὲν ἐπίσκοπος εἴη, ἢ ἐν κλήρῳ ἀναφερόμενος, ὁ τοιοῦτος ἀλλότρια ἱερέων καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως πράττων, "γυμνωθήσεται τῆς ἐπισκοπῆς, ἢ "τοῦ κλήρου" εἰ δὲ μόναχος, ἢ λαϊκός, ἀναθεματισθήσεται.

 petti-

pertinente, priuat: ita deiectio episcopi vel clerici de episcopali vel clericali officio illos omni auctoritate & priuilegio, ad communionem clericalem spectante, priuet, nec praetextus indelebilis character in vno casu magis quam in altero vllam eis auctoritatem tutam praestet. Sicut enim indelebilis character baptismi non dat laico auctoritatem & ius arrogandi sibi communionem, quoad legitime excommunicatus est ab ecclesia, sed ius tantum, vt restitui possit in communionem, si vere resipiscat, sine nouo baptismate: ita indelebilis character ordinationis non dat episcopo vel sacerdoti auctoritatem arrogandi sibi potestatem communionis clericalis, hoc est, auctoritatem exsequendi officium episcopi vel sacerdotis, quoad ab ecclesia gradu quisque suo legitime deiecti sunt: sed tantum facultatem sacra munia iterum obeundi, sine noua ordinatione, si ecclesiae, ipsis a censurarum vinculis laxatis, veniaque redeundi ad statum pristinum concessa, auctoritatem id faciendi dare visum sit: id quod, vrgente magna quadam necessitate, ecclesia interdum non autem adeo frequenter fecit. Iam si res sic est, sicut est, ii omnes, qui *tria capitula* & errores *Origenis* defenderunt, auctoritate clericali ab hoc concilio vere exuti fuerunt: neque tamen παραβαπτίσματα eorum repeti iussa sunt: Nusquam enim vllum *Nestorianum* vel *Eutychianum*, debita forma tinctum, in ecclesia rebaptizatum esse legimus.

§. VIII.

Quomodo concilium sextum generale Constantinopolitanum Monothelitas *deposuerit & anathemati subieecrit.*

CONCILIVM sextum generale *Constantinopoli* celebratum fuit sub *Constantino Pogonato*, an. DCLXXX. Heic congregati fuerunt episcopi CCLXXXIX, ad damnandam haeresin *Monothelitarum*, qui alia *Eutychianorum* propago erant, sic appellati, quod vnam tantum voluntatem in CHRISTO adsererent, et hoc modo perfectionem humanae eius naturae subruerent. Haec haeresis aliquanto ante & *Romae* & *Constantinopoli* praeualuerat. Papa enim *Honorius* defensor eius fuerat, qui propterea vna cum

cum *Sergio*, *Cyro*, *Paulo* & diuerſis aliis in huius concilii actis ſæpius poſt mortem anathematizatur. Enim vero, in quod inquirendum nobis eſt, hoc eſt, quænam pœnæ inflictæ ſint ab eccleſia viuentibus. Et inter has depoſitionem reperimus *Macarii* epiſcopi *Antiocheni* & *Stephani* monachi, de illius presbyteris.

SESSIONE octaua *Macarius*, quem *nouum Dioſcorum*, et *nouum Apollinarem* vocant, primum ab epiſcopatu alienari & circumpoſito ei pallio nudari iubetur [*u*]. Deinde ſeſſione nona ſententia contra illum & *Stephanum* diſcipulum eius ſollemniter his verbis pronuntiatur [*w*]: *Definimus, ab omni vos ſacerdotali dignitate & miniſterio alienos exiſtere.* Quo facto *Stephanus* ex concilio ſtatim foras mittitur.

SESSIONE duodecima, auditis omnibus, quæ pro ſe dicenda duxerat *Macarius*, denuo declaratur iuſte & regulariter pontificali habitu & poteſtate in doctoris ſede reſidendi denudatus [*x*], ne hæreſis ſuæ multo amplius recrudeſcere faciat intelligentiam. Et quum non erubuiſſet palam profiteri, ſi membratim incideretur & iactaretur in mare, ſe neque duas voluntates neque duas operationes dicturum in CHRISTO, idcirco concilium eum declarat ſynodice depoſitum & anathematizatum, nec vllo modo dignum, qui inpoſterum in ſacerdotali ſede ſuſcipiatur.

SESSIONE decima quinta *Polychronius* quidam monachus, ad firmandam *Monothelitarum* doctrinam miraculum hominem mortuum excitando ſe editurum ſimulabat. Quod quum fruſtra tentaſſet, ſynodus eum tamquam ſeductorem populi & deceptorem & manifeſtum hæreticum damnauit, et omni ſacerdo-

(*u*) Conc. VI. gen. act. VIII. p. 321. edit. Crabb. & edit. Labb. tom. VI. p. 758. 759. Τὸν νέον Διόσκορον ἔξω βάλλε· τῷ νέῳ Ἀπολιναρίῳ κακὰ τὰ ἔτη, δικαίως "τῆς ἐπισκοπῆς ἀλλοτριούσθω· γυμνούσθω τοῦ περικειμένου αὐτῷ ὠμοφορίου." *Nouum Dioſcorum foras mitte. Nouo Apollinari malos annos. Merito ab epiſcopatu alienatus, nudetur circumpoſito ei pallio.*

(*w*) Ibid. act. IX. p. 326. edit. Crabb. & edit. Labb. p. 778. Ὀρίζομεν ὑμᾶς πάσης ἱερατικῆς ἀξίας καὶ λειτουργίας ἀλλοτρίους ὑπάρχειν.

(*x*) Ibid. act. XII. p. 937. ap. Labb. Δικαίως καὶ κανονικῶς ἀπὸ ἀρχιερατικοῦ σχήματος γυμνωθέντα, οὐδαμῶς ὁ θεῖος κανὼν παραδέχεται τοῦ λοιποῦ εἰς διδασκαλικὸν καθίσαι θρόνον κ.τ.λ.

tali ordine & officio [y] denudauit. Quo ſic depoſito exclamavit ſanctum concilium: *Polychronio hæretico & conſentientibus cum ipſo anathema! Macario & Stephano & Polychronio anathema!* Ἡ τριὰς τοὺς τρεῖς καθεῖλεν, *Trinitas iſtos tres depoſuit.*

Svb finem ſeſſionis decimæ ſextæ omnes rurſus anathemati ſubiiciuntur (†) cum *Honorio* & reliquis hæreticis iam ante defunctis. Et in exitu ſeſſionis decimæ octauæ concilium, lectis ſymbolis *Nicæno* & *Conſtantinopolitano*, in hunc modum concludit: *His cum omni vndique cautela atque diligentia a nobis formatis, definimus, aliam fidem nulli licere proferre, aut conſcribere componereue, aut ſapere, vel etiam aliter docere. Qui vero præſumſerint fidem aliam componere, vel proferre, vel docere, vel tradere aliud ſymbolum volentibus conuerti ad agnitionem veritatis ex gentilitate, vel iudaiſmo, aut ex qualibet hæreſi, aut qui nouitatem vocis vel dictionis adinuentionem ad ſubverſionem eorum, quæ nunc a nobis determinata ſunt, introducere; hos, ſi quidem epiſcopi fuerint aut clerici, alienos eſſe* [z], *epiſcopos quidem ab epiſcopatu, clericos vero a clero: ſin autem monachi fuerint vel laici, etiam anathematizari illos.*

Ex horum decretorum tenore omnes epiſcopi, cum *Macario* & *Monothelitis* conſentientes, extra collegium epiſcoporum eſſe ab *Agathone* papa ipſiuſque concilio *Romano* declaran-

(y) Ibid. act. XV. p. 999. edit. Labb. Συνείδομεν τοῦτον ὡς λαοπλάνον, καὶ ἀπατεῶνα καὶ πρόδηλον αἱρετικὸν πάσης ἱερατικῆς τάξεώς τε καὶ λειτουργίας γυμνωθῆναι. Καὶ καθαιρεθέντος αὐτοῦ, ἡ ἁγία σύνοδος ἐξεβόησεν· Πολυχρονίῳ αἱρετικῷ καὶ τοῖς ὁμόφροσιν αὐτοῦ ἀνάθημα, Μακαρίῳ καὶ Στεφάνῳ καὶ τῷ Πολυχρονίῳ ἀνάθημα, ἡ Τριὰς τοὺς τρεῖς καθεῖλεν.

(†) Ibid. act. XVI. pag. 1010. Ονωρίῳ αἱρετικῷ ἀνάθημα. - - Μακαρίῳ καὶ Στεφάνῳ καὶ Πολυχρονίῳ αἱρετικοῖς ἀνάθημα.

(z) Ibid. act. XVIII. pag. 1027. Τούτων τοίνυν μετὰ πάσης πανταχόθεν ἀκριβείας τε καὶ ἐμμελείας παρ᾽ ἡμῶν διατυπωθέντων, ὁρίζομεν ἑτέραν πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προφέρειν, ἤγουν συγγράφειν, ἢ συντιθέναι, ἢ φρονεῖν, ἢ διδάσκειν ἑτέρως· τοὺς δὲ τολμῶντας ἢ συντιθέναι πίστιν ἑτέραν, ἢ προκομίζειν, ἢ διδάσκειν, ἢ παραδιδόναι ἕτερον σύμβολον τοῖς ἐθέλουσιν ἐπιστρέφειν εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας ἐξ ἑλληνισμοῦ, ἢ ἐξ ἰουδαϊσμοῦ, ἢ γοῦν ἐξ αἱρέσεως οἱασοῦν, ἢ καινοφωνίαν, ἤτοι λέξεως ἐφεύρεσιν πρὸς ἀνατροπὴν εἰσάγειν τῶν νυνὶ παρ᾽ ἡμῶν διορισθέντων, τούτους εἰ μὲν ἐπίσκοποι εἶεν, ἢ κληρικοί, "ἀλλοτρίους εἶναι τοὺς ἐπισκόπους τῆς ἐπισκοπῆς, καὶ τοὺς κληρικοὺς τοῦ κλήρου" εἰ δὲ μονάζοντες εἶεν, ἢ λαϊκοί, ἀναθεματίζεσθαι αὐτούς. . . .

tur,

tur, cuius epiſtola ſynodica [*a*] ad hoc concilium in ſeſſione quarta memoratur. Et *Conſtantinus Pogonatus* imperator in edicto, quo acta huius concilii confirmat, ſimilem locutionem adhibet, quando *Sanctum concilium*, inquit, *ſingula quæque perpendens atque diſcernens, eos, qui orthodoxæ fidei prædicationem concuſſerint & CHRISTI gregem ſcandalizauerint, a ſacerdotali ouili, hoc eſt, a fraternitate & ſocietate ſacri ordinis eliminavit* [*b*]. Similem in modum LEO ſecundus, epiſcopus *Romanus*, ad eumdem hunc imperatorem ſcribens de ratione agendi, quam hæc ſynodus aduerſus *Macarium* & ſectæ eius adſectatores inierat, ait: *Similiter anathematizamus & abominamur Macarium (c) quondam fallaciſſimum Antiochenæ eccleſiæ deceptorem, cum ſui erroris diſcipulo, immo magiſtro Stephano & cum eis Polychronium, nouum, vt vere dictum eſt, Simonem - quos & ſancta vniuerſalis ſexta ſynodus abdicauit: et Macarium quidem de præſulari dignitate deiecit, diſcipulumque eius Stephanum & Polychronium, ſenem vaniſſimum, ſacerdotii bonore fruſtrauit. - - Et dum ſub ouili tegmine latens lupus appareret, & pro paſtore fur & latro compertus eſt, a vero paſtore ouium CHRISTO vt peſtifer ac deuaſtator abiectus eſt.*

QVOMODO, quæſo, aliqua de gradu ſacerdotali deiectio dilucidius & ſignificantius deſcribi poſſet, quam hoc loco deſcribitur?

(*a*) Concil. Roman. in act. IV. concil. VI. general. p. 689. Qui vero hæc confiteri noluerint, vt infeſtos catholicæ atque apoſtolicæ confeſſioni, perpetuæ condemnationis reos eſſe cenſemus, nec aliquando tales in noſtræ humilitatis collegio niſi correctos ſuſcipere patimur.

(*b*) Conſtantin. edict. ad calcem conc. VI. gen. p. 1085. *Ἡ ἁγία σύνοδος ἕκαστα δοκιμάσασά τι καὶ ἀνακρίνασα τοὺς μὲν τὸ τῆς ὀρθῆς δόξης ἀνασείοντας κήρυγμα, καὶ τὸ τοῦ Χριστοῦ σκανδαλίζοντας ποίμνιον "τῆς ἱερατικῆς αὐλῆς ἐξωστράκισεν.*

(*c*) Leo epiſt. ad Conſtant. ibid. p. 1117. *Ὡσαύτως βδελυττόμεθα καὶ ἀναθεματίζομεν. - - Μακάριον τὸν γενόμενον ἀπατεῶνα τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας ἅμα τῷ σὺν αὐτῷ τῆς πλάνης μαθητῇ, μᾶλλον δὲ διδασκάλῳ Στεφάνῳ καὶ σὺν αὐτοῖς Πολυχρόνιον τὸν νέον ὡς ἀληθῶς Σίμωνα. - - οὓς ἀπεκήρυξεν ἡ προμνημονευομένη ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ ἕκτη σύνοδος, καὶ τὸν Μακάριον μὲν "τοῦ τῆς προεδρίας ἀξιώματος "ἀπέβαλλεν," τὸν δὲ μαθητὴν αὐτοῦ Στέφανον καὶ Πολυχρόνιον τὸν μεματαιωμένον γέροντα "τῆς ἱερατικῆς ἐξέκοψε τιμῆς" - - καὶ ὑπὸ τὴν δορὰν τοῦ προβάτου λανθάνων ἐναπεφάνθη λύκος, καὶ ἀντιποιμένος ηὑρέθη κλέπτης καὶ λῃστὴς "ἀπερρίφθη ἀπὸ τοῦ "ἀληθινοῦ τῶν προβάτων ποιμένος, τουτέστι τοῦ Χριστοῦ.*

bitur? Non tantum honore & ſede, ſed miniſterio etiam, ordine & officiis ſacerdotii, verbi diuini prædicatione & reliquis operationibus vniuerſis, ad ſacram functionem pertinentibus, priuantur. Nec a ſolis hominibus ſed ab ipſo DEO abdicantur. Nam ſancta TRINITAS eos deponebat, et vt tales a reliquis epiſcopis non amplius pro epiſcopis aut comminiſtris fratribusue ſpiritualibus, ſed pro lupis, ſed pro latronibus & raptoribus habebantur, qui non poſſent in epiſcoporum collegium admitti, niſi ſingularem quamdam mentis ſuæ mutationem in ſe effectam proderent. An vero fieri poteſt, vt quis ſibi perſuadeat, iſtiusmodi homines, non obſtantibus hæreſeos incommodis, excomunicatione & deiectione de ſuis gradibus, per ipſam ſanctam TRINITATEM facta, exiſtimari adhuc fidos Dei miniſtros etiamnum ſufficienti inſtructos auctoritate obeundi quosuis actus miniſteriales, idque beneficio & virtute acceptæ ordinationis, quæ poteſtatem eis conceſſerit, quam nulla poteſtas in terris omnino auferre poſſit? Quod ſi poteſtas eccleſiæ non fuit idonea & ſufficiens ad adimendam illis hanc falſo creditam auctoritatem, certe poteſtas ſanctæ TRINITATIS, omnis ſpiritualis auctoritatis & poteſtatis fons & ſcaturigo, longe ſufficientiſſima habenda eſt ad auferendam auctoritatem, quæ initio illis data eſt. Atque ita tam certum argumentum nobis ſuppetit, hos *Eutychianos* hæreticos ab omni ſua miniſteriali auctoritate fuiſſe denudatos ac ſpoliatos, quam dari vnquam poteſt. Neque tamen vllum præceptum ſiue decretum in hoc alioue quodam concilio reperitur, quo rebaptizari iubeantur, qui ab his hæreticis, nihil auctoritatis habentibus, eſſent baptizati: Quid? quod manifeſto contrarium habetur. Omnes enim *Eutychiani* per ſolam impoſitionem manuum & confirmationem recipi iubentur.

§. IX.

Qua pœna concilium Trullanum *epiſcopos & clericos, ſi quid deliquiſſent, adfecerit.*

Iis, quæ de ſex conciliis generalibus dicta ſunt, addam ſententiam concilii *Trullani*, quod duorum poſteriorum quaſi quædam appendix eſt. Quum enim in his duabus ſynodis nulli canones,

nones, ad diſciplinam ſpectantes, facti eſſent, hoc concilium an. DCXCII. vel, vt DIONYSIVS PETAVIVS computat, an. DCCVII ſub *Iuſtiniano* ſecundo eum in finem conuocatum eſt, vt hoſce duorum priorum conciliorum defectus ſuppleret; ideo *quiniſextum* vocitatum. Triginta amplius canones in hoc concilio habentur, qui epiſcopos & clericos ob diuerſa crimina illic nominata gradu ſuo moueri iubent. Ego autem duorum tantum vel trium mentionem faciam, qui præ aliis notatu digni ſunt. Canone viceſimo primo quorundam criminum rei facti perfectæ ac perpetuæ depoſitioni ſubiiciuntur [*d*] & in locum ac ſtatum detruduntur laicorum, vt ibi peccatum defleant, propter quod gradu exciderint, ſine ſpe reſtitutionis. Canon viceſimus ſecundus eos, qui pecuniis ordinantur, ſiue epiſcopos ſiue qualeſcumque clericos, deponi iubet [*e*], et eos etiam, qui ordinaverint. Et proxime ſequente canone clericus eidem pœnæ ſubiicitur, qui pro adminiſtratione ſacræ cœnæ aliquid exegerit, vt ſimoniaci erroris & maleficii æmulator [*f*]. Per viceſimum ſextum canonem presbyter, qui illicitis nuptiis etſi per ignorantiam implicatus eſt, honore quidem cathedræ frui poteſt, a ſacris autem officiis abſtinere iubetur. Nec publice nec priuatim benedicendi [*g*], nec CHRISTI corpus aliis diſtribuendi, nec aliquod aliud miniſterium obeundi habet veniam. Ratio horum omnium redditur ea, quia talis presbyter propria debeat curare vulnera, et ipſe benedictionis ſeu ſanctificationis indigus ſit, neque alteri impertire poſſit, quod ipſe non habeat, ſed peccatum ſuum coram Domino perpetuo deflere debeat.

(*d*) Concil. Trull. can. XXI. (tom. VI. concil. p. 1151.) Οἱ ἐπὶ ἐγκλήμασι κανονικοῖς ὑπεύθυνοι γινόμενοι καὶ διὰ τοῦτο παντελεῖ τε καὶ διηνεκεῖ καθαιρέσει ὑποβαλλόμενοι ἐν τῷ τῶν λαϊκῶν ἀπωθούμενοι τόπῳ. κ. τ. λ.

(*e*) Ibid. can. XXII. Τοὺς ἐπὶ χρήμασι χειροτονουμένους, εἴτε ἐπισκόπους, εἴτε οἱουσδήποτε κληρικοὺς, καὶ οὐ κατὰ δοκιμασίαν καὶ τοῦ βίου αἵρεσιν, καθαιρεῖσθαι προστάττομεν, ἀλλὰ καὶ τοὺς χειροτονήσαντας.

(*f*) Ibid. can. XXIII. Εἰ δὲ φανείη τις τῶν ἐν κλήρῳ καταλεγομένων ἀπαιτῶν, ᾧ μεταδίδωσι τῆς ἀχράντου κοινωνίας, τὸ οἱονοῦν εἶδος, καθαιρείσθω, ὡς τῆς Σίμωνος ζηλωτὴς πλάνης καὶ κακουργίας.

(*g*) Concil. Trull. can. XXVI. Μήτε δημοσίᾳ μήτε ἰδίᾳ εὐλογείτω, μήτε τὸ κυρίου σῶμα διανεμέτω.

IAM vero de his canonibus hasce planas quæstiones formabo: An sacerdotes, de gradu suo penitus deiecti & in locum ac statum laicorum detrusi, postea ab hoc concilio existimari potuerint agere pro ministris CHRISTI, idonea auctoritate instructis? An episcopi vel sacerdotes ob *Simoniam* abdicati, adhuc veris iuribus ac potestate functionum ministerialium gauisi sint? An non id, quod ordinationem, simulatque data erat, irritam & vacuam reddidit (vti *Simonia*) similiter hominem priuarit sacerdotali auctoritate, vbi postea huius criminis reus inuentus ob illudque ab ecclesia sacerdotio iuste spoliatus fuit? An denique homo, cui ab optima auctoritate in ecclesia legitime interdictum fuit, ne quem actum sacrum administraret, dici possit hos actus administrare auctoritate ecclesiæ, ipsis eius iustis legibus opposita? Qui hasce res ope duorum verborum, cuiusmodi sunt *indelebilis character*, conciliare potest, is suo abundet sensu, me quidem non contradicente. Non existimabo, operæ pretium esse cum quopiam infinite disputare, qui tam facilem & falli nesciam viam nouit soluendi difficultates per difficilia nomina, siue conciliandi contradictiones per obscuras quasdam & inexplicabilis distinctiones scholasticas.

CONFIDO, me omnibus lectoribus, quorum animi præiudicatis opinionibus vacui sunt, ex priorum sex generalium conciliorum historia satis dilucide demonstrasse, non esse heic vllam idoneam rationem adferendi, quod hæretici, schismatici, gradu moti sacerdotes, & sacerdotes cum anathemate ex ecclesia proiecti, sint ministri ecclesiæ CHRISTI aliqua auctoritate pollentes. Vnde consequitur, vt baptismi, ab istius modi personis auctoritate destitutis dati, non potuerint esse validi virtute veræ cuiusdam ministerialis auctoritatis in illis residentis, qui ea vere erant exuti, sed vt admissi sint ab ecclesia ex alio quodam principio; quandoquidem certum est, eam nunquam approbasse ministerialem hæreticorum auctoritatem, & tamen proselytos eorum per impositionem manuum sine nouo baptismo recepisse.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

EAdem assertio probata ex patriarchalibus, nationalibus & prouincialibus conciliis, & ex priuatorum patrum scriptis, vna cum diuersis argumentis ex testimonio eorum depromtis. ARGVMENTVM PRIMVM, Quod hæretici quidam, quorum baptismus susceptus est, numquam veri nominis ordinationem ad officium & functionem ministerialem primitus acceperint, consequenter non potuerint non esse personæ auctoritatis expertes. Hoc speciatim demonstratum de hæreticis *Nouatianis*.

§. I.

Breuis index patriarchalium, nationalium & prouincialium conciliorum, quæ ante memoratis conciliis generalibus consentanea sunt.

PERLVSTRATA sex generalium conciliorum historia necesse non erit lectores quosuis singulis patriarchalibus, nationalibus & prouincialibus synodis particulatim enarrandis demorari. Et vero vix vnam ex illis, quæ in vniuersis conciliorum tomis exstant, inuenias, in qua non eadem adsertio perspicuis verbis habeatur. Doctus & noscendi cupidus lector, qui eumdem, quem ego adhibui, laborem volet impendere, ipse sibi eas consulendo satisfaciat; cuius in gratiam concilia & canones istos, quos de hoc argumento ipsi probatum iri confido, strictim indicabo. Dantur quædam concilia prouincialia, quæ codici ecclesiæ vniuersalis inserta sunt, atque ita confirmata naturam atque rationem habent conciliorum generalium. Huiusmodi sunt concilium *Ancyranum*, can. I. II, X. XIV. Concilium *Neocæsareense* can. I. VIII. Concilium *Antiochenum* can. I. III. IV. V. X. XI. XII. XIII. Alia sunt magna concilia patriarchalia, generalibus proxima. Huiusmodi sunt concilium *Sardicense* can. I. II. IV. XX. Et Codex *Africanus*, can. XI. XV. XXV. XXVII. XXVIII. XXXI. LXXI. LXXXI. In quibus canonibus citandis sequor editionem ELIAE EHINGERI *Witteb.* MDCXIV. Hisce addi possunt canones sic dicti apostolici,

ſtolici, vtpote generatim recepti ab eccleſia *Græca*, can. III. VI. VII. VIII. XII. XX. XXIII. XXV. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXV. XLII. XLIV. XLV. XLVI. XLVII. XLIX. L. LI. LII. LIII. LVIII. LIX. LX. LXII. LXIII. LXIV. LXV. LXVI. LXVIII. LXIX. LXX. LXXXIII. Quibus in canonibus vniuerſis depoſitionis ſententia pronuntiatur contra omnes clericos, qui diuerſorum criminum, in illis particulatim recenſitorum, rei eſſent. Alia concilia tantummodo erant nationalia vel prouincialia; vti e. g. concilium *Illiberritanum*, can. LI. LXXVI. Concilium *Arelatenſe* primum, can. XIII. XXII. Concilium *Arelatenſe* ſecundum, can. XIV. XV. Concilium *Carthaginenſe* primum, can. II. XIV. Concilium *Aquileienſe*, in quo *Palladius Arianus* ab *Ambroſio* depoſitus eſt. Concilium *Colonienſe*,, in quo *Euphratas*, epiſcopus *Colonienſis*, ob *Arianiſmum* gradu excidit. Concilium *Carthaginenſe* quartum, can. XLVIII. XLIX. L. LVI. LVII. LX. LXVIII. LXIX. Concilium *Taurinenſe* can. II. Concilium *Carthaginenſe* quintum, can. III. XI. XII. XIII· Concilium *Toletanum* primum, can. II. IV. V. Concilium *Mileuitanum*, can. XVIII. XIX. XXII. XXV. Concilium *Rhegienſe* can. I. Coucilium *Agathenſe*, can. I. IX. XLIX. L. LX. Concilium *Arauſicanum* primum, can. XXI. Concilium *Romanum* ſub *Hilario*, can. III. Concilium *Tarraconenſe*, can. II. X. Concilium *Epaonenſe* can. XXII. Concilium *Ilerdenſe* can. V. XII. XVI. Concilium *Valentinum* in *Hiſpania*, can. III. Concilium *Gerundenſe*, can. XI. Concilium *Toletanum* ſecundum, can. III. Concilium *Aurelianenſe* ſecundum, can. IV. VIII. IX. XIII. Concilium *Aurelianenſe* tertium, can. II. VI. VII. VIII. XV. XIX. XXVI. Concilium *Aurelianenſe* quartum, can. X. XVII. Concilium *Aurelianenſe* quintum , can. IV. X. XI. Concilium *Toletanum* quintum, can. XXX. XLIV. Concilium *Bracarenſe*, can. XXXII. XXXVII. Concilium *Toletanum* octauum, can. III. IV. VII. VIII.

In his canonibus fere centum crimina nominantur, propter quæ epiſcopi & clerici officiis & functionibus ſuis priuari poſſint. Quid igitur, ſi tales clerici auſi eſſent officia ſacra obire, poſtquam depoſiti fuerunt, an dici poterit, iſtos homines adhuc fuiſſe miniſtros CHRISTI, auctoritate inſtructos, quando eccleſia nomine

mine

mine CHRISTI omnem eis auctoritatem ademit, eorumque ordinationem, vt in quibusdam canonibus factum, irritam & nullam declarauit? Quando ecclesia ministerialem eorum auctoritatem rescidit, an adhuc auctoritatem habuerunt cum alta quadam potestatis ecclesiasticæ despectione agendi pro legitimis ministris Dei? An vero omnes hi canones haud alium in finem facti sunt, nisi vt ostendant, quam inutilis & vana sit potestas & disciplina ecclesiæ; et quanto superior sit indelebilis character sacerdotis, qui auctoritatem eius tueri possit, quamcunque rationem ecclesia ineat ad illam ei adimendam? Quidquid homines quidam de sacerdotio senserint, id me nihil mouet, plerosque ex honestis lectoribus multo honorificentius de eo sentire credo, quam vt existiment, malum siue impium & hæreticum sacerdotem nihil agere posse, quo auctoritatem suam perdat, dummodo semel sit regulariter ordinatus: vel, ecclesiam non posse eum auctoritate sua spoliare, si quid delinquat, quod ipsum perfectæ & perpetuæ depositioni faciat obnoxium. Esset profecto hæc tanta iniuria in omnia hæc concilia eorumque auctoritatem, vt non cogitem necesse esse, quidpiam amplius dicere, vt hominem quemquam prudentem de inepta & absurda adsertionis eiusmodi ratione conuincam. Quocirca in horum diuersorum conciliorum historia peculiaria quæque persequi nolo, sed eorum aliorumque priuatorum scriptorum robur & neruos propriis quibusdam & aptis argumentis complectar, vt ostendam, omnes baptismos, quos olim ecclesia suscepit, non fuisse datos a vera auctoritate præditis ministris; id quod, sine ampliore disquisitione controuersiæ de baptismo laicorum certissime imponat finem, oportet.

§. II.
Argumentum primum *inde petitum*, *quod* Nouatianis *vera ordinatio defuit.*

ARGVMENTVM PRIMVM, quod ex antiquis conciliis & patribus in rem præsentem adferam, eo nititur, quod *Nouatianis* vera & legitima ordinatio defuit. Ecclesiam baptismos eorum recepisse, extra omnem controuersiam positum est, nec futurum scio, vt aduersarii mei id negare audeant. Habuisse autem hos

Nouatianos legitimam & veram ordinationem, non adeo res clara eſt, quin ex antiqua hiſtoria & canonibus vetuſtis contrarium pateat. Ipſe enim *Nouatianus*, qui pater erat *Nouatianorum*, numquam verus & legitimus epiſcopus conſecratus, ſed tantum epiſcopus falſo creditus fuit. Vnde omnes miniſtri, qui ordinum ſuorum originem ab eo deriuarunt, non niſi falſo crediti miniſtri fuerunt perinde atque eorum fundator. Scio equidem, bonos viros, cum quibus iam diſputo, hoc non eſſe negaturos, hoc poſito atque conceſſo, *Nouatianum* non fuiſſe verum epiſcopum: dicent autem, *Nouatianum* fuiſſe veri nominis epiſcopum, quod a tribus epiſcopis ordinatus fuerit. Et ſane ſi trium epiſcoporum manus omnia complexæ ſunt, quæ ad veram epiſcopi alicuius ordinationem neceſſaria fuerunt, negari non poterit, *Nouatianum* fuiſſe verum epiſcopum. Ignorare autem viri iſti boni non poſſunt, ad veram aliquam ordinationem aliquid amplius requiri præter manus trium epiſcoporum. Requiruntur videlicet in ipſo ordinando peculiares quædam animi dotes & ornamenta, & multæ canonicæ ſanctiones obſeruandæ ſunt in conſecrando vero quodam epiſcopo, alioquin ordinatio eius nulla & vacua eſt ab origine. Quid enim, ſi tres epiſcopi conſenſerint ad ordinandum trium annorum puerum, vt pontifices *Romani* quosdam ſeptem annos natos ordinarunt, an talis manuum impoſitio habebitur vera ordinatio? Quid, ſi tres epiſcopi pecuniis illecti, quempiam ordinauerint, nihil eius, quod in epiſcopo requiritur, habentem? Quid, ſi tres epiſcopi, vino prius graues & ſui impotes facti, contra regulas eccleſiæ & ſuam ipſorum voluntatem manus homini nequam & perdito, qui ne minimum ius ad ordinationem habeat, imponere cogantur, an hoc veram poteſtatem & auctoritatem epiſcopi ei dare, exiſtimari aut vt tale quid vlla ratione conſiderari poterit in eccleſia catholica? Quid, ſi tres epiſcopi illicite conſpirauerint ad ordinandum quempiam antiepiſcopum in plenam ſedem, in qua iam alius quispiam legitime ordinatus & in iuſta ac quieta poſſeſſione eccleſiæ ſit, an iſte inuaſor ob iſtiusmodi falſo creditam ordinationem in vlla orbis parte verus epiſcopus habebitur, præterquam in *Vtopia*? Et tamen magna ex parte ordinatio *Nouatiani* ſic fuit comparata. Nihil ille habuit præter ætatem ex iis omnibus, quæ ad legitimam ordinationem epiſcopi requiri diximus.

§. III.

§. III.

Nouatianum *numquam fuisse verum episcopum, probatur* primo, *quia tantum Simoniacam & coactam habuit ordinationem.*

PRIMVM quidem ordinatio illius non solum iuri iurando, quo adfirmauerat, se episcopatum non concupiscere, contraria sed etiam *Simoniaca* erat & violenta venerat ad pactionem. Sunt quidem, qui eum a solo *Nouato* sacerdote ordinatum esse dicunt, at falso: quia in confesso est, eum tres episcopos ad se ordinandum habuisse. At vero ratio agendi, quam illi tres inibant, talis erat, vt nullis regulis excusari aut defendi posset. Ordinatio, quam ei dabant, nulla erat ab origine, quia his episcopis, ex extima *Italia* parte accitis, nihil erat negotii & iuris in ordinando *Nouatiano* episcopo *Romæ*, sine regulari & synodica electione. Persuasi erant, si *Romam* venirent, se synodum episcoporum offensuros, qui ipsis sese iungerent. Quum autem eo aduenissent, *Nouatianus* eos in partes suas pertractos, a quibusdam sui simillimis, quos ad id comparauerat, inclusos hora decima temporis pomeridiani temulentos & crapula oppressos, adumbrata quadam & inani manuum impositione, episcopatum sibi tradere per vim coëgit [*h*]: quemadmodum CORNELIVS verus episcopus in epistola ad *Fabianum*, episcopum *Antiochenum* loquitur, in qua eum de rebus omnibus certiorem facit; recte concludens, *Novatianum* per hanc fraudem atque insidias episcopatum, nullo sibi iure competentem, vindicasse. Et quum ita hunc episcopatum sibi rapuisset, non de cælo ipsi datus fuit [*i*]. Non multo post vnus ex tribus illis episcopis, vt CORNELIVS addit, ad ecclesiam rediit, delictum suum cum fletibus ac lamentis confitens. Quem CORNELIVS, quum vniuersus populus pro illo intercessisset, ad communionem, sed laicam duntaxat, suscepit, (*ᾧ καὶ ἐκοινωνήσαμεν ὡς λαϊκῷ*) reliquis duobus episcopis abdicatis suc-

(*h*) Euseb. lib. VI. cap. XLIII. p. 243. (p. 311. edit. Readingii). *Συγκλεισθέντας ὑπό τινων ὁμοίων αὐτῷ τεταγμένων ἀνθρώπων, ὥρᾳ δεκάτῃ μεθύοντας καὶ κραιπαλῶντας, μετὰ βίας ἠνάγκασεν εἰκονικῇ τινὶ καὶ ματαίᾳ χειρεπιθεσίᾳ ἐπισκοπὴν αὐτῷ δοῦναι ἣν ἐνέδρᾳ καὶ πανουργίᾳ, μὴ ἐπιβάλλουσαν αὐτῷ ἐκδικεῖ.*

(*i*) Euseb. ibid. p. 243. (p. 311. edit. cit.) *Παρασπᾶσθαί τε καὶ ὑφαρπάζειν τὴν μὴ δοθεῖσαν αὐτῷ ἄνωθεν ἐπισκοπὴν ἐπιχειρεῖν.*

cesso-

cessores ordinauit eosque in loca eorum direxit. Huius rei etiam mentio facta est a CYPRIANO [*k*], qui dicere videtur, huic pœnitenti episcopo nomen fuisse *Trophimi*, qui magnam populi multitudinem reduxerit ad ecclesiam. Quæ res admissionem eius tanto faciliorem reddiderit, vtpote qua pro crimine suo quodam modo satisfecerit. Sic tamen eum admissum dicit, vt laicus communicaret, nec locum retineret sacerdotis. Nihil planius esse potest, quam quod secundum hanc narrationem ordinatio *Nouatiani*, quæ venditatur, cum non fecerit verum episcopum, nec episcopali potestate donarit ordinandi alios. Si enim vnus ex illis, qui eum ordinarunt, propter hoc crimen gradu suo excidit, factus laicus; et reliqui duo ne quidem priuilegii communionis laicæ participes redditi, sed ecclesiæ consortio penitus exclusi fuerunt, statuere non possumus, *Nouatianum*, horum omnium caussam, vel minimum ius veræ ordinationis, vel vllam a Deo ecclesiaue acceptam auctoritatem agendi pro episopo & dandi aliis ordinationem, sibi vendicare potuisse. Neque enim CORNELIVS tantum & CYPRIANVS, qui *Nouatiani* aduersarii existimari possunt, sed omnes antiqui canones eiusmodi ordinationes *Simoniacas*, per vim & contra regulas datas, vacuas & nullas ab origine pronuntiant. Quam rem ita inter omnes constare existimo [*l*], vt necesse non habeam ei longius immorari.

(k) Cyprian. epist. LII. al. LV. ad Antonian. p. 105. (p. 244. edit. Felli. Amstel. MDCC.) Tractatu cum collegis plurimis habito susceptus est Trophimus, pro quo satisfaciebat fratrum reditus & restituta multorum salus: Sic tamen admissus est, vt laicus communicet, non secundum quod ad te malignorum litteræ pertulerunt, quasi locum sacerdotis vsurpet.

(*l*) Vid. can. apost. c. XXIX. (al. XXX.) Εἴ τις ἐπίσκοπος διὰ χρημάτων τῆς ἀξίας ταύτης ἐγκρατὴς γένηται ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς καὶ ὁ χειροτονήσας, καὶ ἐκκοπτέσθω παντάπασι καὶ τῆς κοινωνίας, ὡς Σίμων ὁ μάγος ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου. *Si quis episcopus, aut presbyter aut diaconus, per pecunias hanc obtinuerit dignitatem; deiiciatur & ipse & ordinator eius, & a communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon magus a Petro.*

Concil. Chalced. can. II. Εἴ τις ἐπίσκοπος ἐπὶ χρήμασι χειροτονίαν ποιήσαιτο, καὶ εἰς πρᾶσιν καταγάγῃ τὴν ἄπρατον χάριν, καὶ χειροτονήσῃ ἐπὶ χρήμασιν ἐπίσκοπον - - - ὁ τοῦτο ἐπιχειρήσας, ἐλεγχθείς, περὶ τὸν οἰκεῖον κινδυνευέτω βαθμόν. καὶ ὁ χειροτονούμενος μηδὲν ἐκ τῆς κατ' ἐμπορίαν ὠφελείσθω χειροτονίας ἢ προβολῆς, ἀλλ' ἔστω ἀλλότριος τῆς ἀξίας, ἧς ἐπὶ χρήμασιν ἔτυχε. κ. τ. λ. *Si quis episcopus propter pecunias ordinationem fecerit, & non venalem gratiam in venditionem deduxerit & propter pecunias ordinauerit episcopum, qui hoc tentasse conuictus fuerit, de proprio gradu in periculum veniat, & qui est ordinatus, ex ordinatione vel promotione, quæ instar mercatorum venundatur, nihil iuvetur, sed sit a dignitate alienus, quam pecuniis adeptus est.*

§. IV.

§. IV.

Hoc deinde *ex eo probatum, quod ipse se intulit & intrusit in plenam sedem.*

Fvit autem præterea alia ratio, quæ ordinationem *Nouatiani* prorsus irritam reddidit fecitque, vt non esset verus episcopus; nimirum quod contra omnes ecclesiæ catholicæ leges & regulas catholicæ vnitatis ipse se intruserat in plenam sedem, quam alius regulariter & diuinitus electus ante eum occupauerat. Hoc argumentum est, quod speciatim magnopere vrget CYPRIANVS, vt eum minus verum episcopum esse probet. Sic in ante memorata epistola ad *Antonianum*, loquens de discrimine inter ordinationem *Cornelii* & illam *Nouatiani*, libere de vtraque iudicat in hunc modum: *Factus est Cornelius episcopus* [*m*] *de Dei & Christi eius iudicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, & de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio, quum nemo ante se factus esset, quum Fabiani locus, id est, quum locus Petri & gradus cathedræ sacerdotalis vacaret. Quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato, quisquis iam episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem, qui ecclesiæ non tenet vnitatem, quisquis ille fuerit, multum de se licet iactans, profanus est, alienus est, foris est. Et quum post primum secundus esse non possit, quisquis post vnum, qui solus esse debet, factus est, non iam secundus ille sed nullus est.* Clarioribus verbis declarari non potest, *Nouatianum* non fuisse verum episcopum, licet tres episcopos habuerit, qui ei theatralem & cassam ordinationem impertirent. CYPRIANVS paullo post in eadem epistola hæc duo argumenta coniungit, probaturus, eum non esse episcopum, quia sit ratione *Simoniaca* ordinatus & quia sit episcopus adulter & extraneus [*n*], factus post alium episcopum, in ecclesia a sedecim coëpiscopis ordinatum. Et id circo eum incusat, "quod post connexam & vbique coniunctam

(*m*) Cyprian. epist. LII. al. LV. ad Antonian. p. 104. (p. 243. edit. Amstel.)
(*n*) Ibid. ep. 112. (p. 249. edit. Amstel.)

" catholicæ ecclesiæ vnitatem humanam conetur ecclesiam facere, & per plurimas ciuitates nouos apostolos suos mittat, vt quædam recentia institutionis suæ fundamenta constituat: Cumque iam pridem per omnes prouincias & per vrbes singulas ordinati sint episcopi in ætate antiqui, in fide integri, in pressura probati, in persequutione proscripti, ille super eos creare alios pseudoepiscopos audeat." Sæpius hoc argumentum repetit & inculcat in aliis suis epistolis CYPRIANVS, episcopo semel facto & collegarum ac plebis testimonio & iudicio comprobato, alium [o] constitui nullo modo posse. *Nouatianum* esse episcopum adulterum [p] & contrarium caput non in ecclesia, sed extra ecclesiam, quia contra sacramentum semel traditum diuinæ dispositionis & catholicæ vnitatis ab obstinata & inflexibili factionis pertinacia ordinatus sit. Plura eamdem in rem [q] habet; quæ post tam perspicua testimonia hoc loco, ad satisfaciendum lectori intelligenti, interponi oportere non existimo. Ne autem hæc videatur priuata tantum opinio esse CYPRIANI vel CORNELII, qui ex præiudicio scripserint aduersus *Nouatianum*, ostendam, generali & fixæ regulæ ecclesiæ catholicæ consentaneum esse, Quod is non sit episcopus, qui alii episcopo in sedem, quam ille legitime & diuinitus vocatus tenet, supperaddatur. Hæc ratio est, ob quam concilium *Aquileiense* [r] *Valentem Arianum* declarat non esse episcopum, quod *Petauione* superpositus fuerit *Marco*, vero episcopo adhuc viuenti. Ex hac ratione ordinatio *Maiorini*, primi auctoris *Donatistarum*, habebatur nulla, quod superordinatus erat sic creditus episcopus *Carthagine*, sede episcopali iam ante a *Cæciliano* legitime occupata. Hoc enim schisma peperit, siue, vt OPTATVS loquitur [s], *Sic exitum est foras*,

(o) Cyprian. epist. XLI. al. XLIV. ad Cornel. p. 86. (p. 230.)

(p) Id. epist. XLII. al. XLV. p. 86. (p. 231. edit. cit.)

(q) Vid. Cyprian. epist. XLIV. al. XLVI. ad Maxim. & Nicostrat. p. 89. (p. 232.) Grauat me atque contristat - quum vos illic comperissem, contra ecclesiasticam dispositionem, contra euangelicam legem, contra institutionis catholicæ vnitatem, alium episcopum fieri consensisse, id per quod nec fas est, nec licet fieri ecclesiam aliam constitui, cetera.

(r) Concil. Aquilei. epist. synodic. ad Gratian. & Theodos. conc. tom. II. p. 995. Qui episcopus esse nec cœpit. Nam primo Petauione superpositus fuerat sancto viro Marco admirabilis memoriæ sacerdos al. sacerdoti.

(s) Optat. lib. I. p. 42.

& altare

& altare contra altare erectum est, & ordinatio illicite celebrata est. Hæc vna ratio erat, quamobrem synodus *Nicæna* ordinationes irritas pronuntiaret istorum episcoporum, quos *Meletius* schismatice superordinarat in *Aegypto*, sedibus iam ante occupatis ab episcopis catholicis. Fecerat hoc ad firmandam factionem suam, synodus autem decernebat, illos omnes denuo ordinandos esse ante, quam ad officia in ecclesia catholica obeunda admitterentur, quemadmodum supra in huius concilii historia percepimus. Proximum concilium generale *Constantinopolitanum* ex eodem fundamento *Maximum Cynicum* non esse episcopum declarabat (licet a septem episcopis ordinatus esset) quia ordinatio eius facta erat ad sedem, quam legitime possidebat *Gregorius Nazianzenus.* Neque eius tantum, sed etiam omnium eorum ordinationem, qui ab eo ordinati erant, irritam & nullam declarabant, vti capite antecedente ex canone quinto illius concilii demonstraui. Eamdem ob rationem omnes in vniuersum episcopi, synodi *Chalcedonensis* defensores, vna & mente & voce in litteris suis responsoriis ad *Leonem* imperatorem declarabant, *Timotheum Aelurum*, falso creditum episcopum *Alexandrinum*, qui primum ipse se in sedem *Proterii* intruserat eumque paullo post factionis suæ ope occiderat; declarabant, inquam "hunc *Timotheum* non solum inter episcopos non haberi, sed etiam christiana " appellatione priuari" quemadmodum LIBERATVS [*t*] ex epistolis synodicis, quæ tunc ex diuersis orbis partibus hac de re ad imperatorem mittebantur, nobis narrat. In epistola synodica episcoporum *Phœniciæ* secundæ ad imperatorem ita de *Timotheo* [*u*] mentem suam declarant: *De impia tyrannide Timothei Aegyptii, qua vsus est, sacerdos equidem factus non est, sed potius ecclesiæ adulter apparuit. Quid dicam, qui eam, quam saluator proprio sanguine liberauit, ille pontificali sanguine voluit adipisci; et factus est non pastor ouium CHRISTI, sed importabilis lupus, non pater, sed parricida; non sponsus, sed thalami violator.* Et paucis interiectis addunt, se eum *nequaquam vocare sacerdotem.*

(*t*) Liberat. breuiar. cap. XV.

(*u*) Epist. synod. Phœniciæ secundæ ad Leon. imperat. ad calcem concil. Chalced. part. III. cap. XXXVIII. (tom. IV. concil. p. 922.)

In alia epiſtola epiſcoporum prouinciæ *Helenoponti* [*w*] (quod libri impreſſi corrupte legunt *Helleſponti*) quam plurimæ rationes adferuntur, cur ordinatio huius *Timothei* eum nequaquam fecerit verum epiſcopum, quia primum damnatus fuerit presbyter a *Proterio* epiſcopo ſuo & ſynodo diœceſeos *Aegyptiacæ*, deinde quia a duobus tantummodo, regularem numerum ordinantium non complentibus, ordinatus ſit; porro, quia iſti duo ſimiliter cum ipſo damnati fuerint; et denique quia hæc ordinatio facta ſit *Proterio* viuo, & ea, quæ ſint ſacerdotii, celebrante. Tales inuaſores idcirco lingua antiquorum conciliorum lupi & adulteri, non veri paſtores ſiue epiſcopi audiunt. Quædam concilia [*x*] omnes iſtiuſmodi ſuperordinationes & ſuperpoſitiones, vt vocantur, fieri acriter prohibent, præterquam in locum eius, qui propter facinora capitalia gradu ſuo legaliter deiectus ſit. Alia concilia omnes eiuſmodi ſuperadditos vſurpatores lupos non epiſcopos eſſe, neque nomen epiſcoporum habere, decernunt, quemadmodum magnum concilium *Sardicenſe* [*y*] hanc in rem de *Gregorio Alexandriæ* in locum *Athanaſii*, & de *Baſilio Ancyræ* in locum *Marcelli*, & *Quintiano Gazæ* in locum

(*w*) Ibid. cap. LIII. (p. 962.) Neque is, qui ab eis ordinatus eſt, ſacerdotium poterit obtinere, vel ſi regulariter prouenіſſet, quando etiam is, qui dicitur ordinatus, damnatus erat a ſanctiſſimæ memoriæ epiſcopo ſuo Proterio, & concilio ſanctorum epiſcoporum Aegyptiacæ diœceſeos, quique a duobus ſolummodo ſimiliter ſecum condemnatis & neque numerum ordinantium complentibus regularem, nefandam ordinationem dicitur ſuſcepiſſe, viuo pontifice, & ea, quæ ſunt ſacerdotii, celebrante.

(*x*) Concil. Aurelian. V. can. XII. Nulli viuenti epiſcopo alius ſuperponatur aut ſuperordinetur epiſcopus, ni ſiforſitan in eius locum, quem capitalis culpa deiecerit.

(*y*) Concil. Sardic. epiſt. ſynod. ap. Hilar. in fragmentis p. 128. Illos autem, qui ſe eorum eccleſiis immerſerunt luporum more, id eſt Gregorium in Alexandria, Baſilium in Ancyra & Quintinianum in Gaza, neque nomen habere epiſcopi, neque communionis omnium eorum habere participatum.

Vid. Theodor. hiſtor. lib. II. c. VIII. p. 79. edit. Readingii Cantabr. MDCCXX. Τὰς δὲ εἰς τὰς ἐκκλησίας αὐτῶν ἐπελθόντας δίκην λύκων, Γρηγόριον τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, Βασίλειον τὸν ἐν Ἀγκύρᾳ, καὶ Κυντιανὸν τὸν ἐν Γάζῃ, τούτους μηδὲ ἐπισκόπους ὀνομάζειν μηδὲ χριστιανούς, μηδὲ ὅλως κοινωνίαν τινὰ πρὸς αὐτοὺς ἔχειν, μηδὲ δέχεσθαί τινα παρ᾽ αὐτῶν γράμματα, μήτε γράφειν πρὸς αὐτούς.

Athanaſ. apol. II. p. 167. (edit. Pariſ. MDCXCVIII.) vbi eadem verba habentur.

Aſcle-

Asclepa intrusis loquitur. Vt proinde res tam euidens sit atque manifesta, quam claris verbis & argumentis fieri potest, quod secundum regulas & disciplinam antiquæ ecclesiæ, non *Cypriani-ca* tantum ætate sed insequutis etiam temporibus, ordinatio viri ad sedem, quam alius iam legaliter occupatam possideret, nulla fuerit ab origine; et quod sic ordinatus non episcopus, sed iniustus inuasor, lupus, adulter, alienus, extraneus, nec sacerdos in oculis ecclesiæ catholicæ habitus sit. Vnde sequitur, vt *Nouatianus*, quum huius generis fuerit, nomen & auctoritatem episcopi sibi adeo non potuerit vindicare, vt etiam omnes ab eo, siue episcopi siue sacerdotes, ad factionem suam firmandam ordinati, haud meliore loco fuerint. Neque enim hi maiorem auctoritatem habere potuerunt ea, quam a *Nouatiano* deriuarunt, quæ omnino nulla fuit, si quid momenti habent, quæ de ordinatione eius memoriæ prodita modo narrauimus. Attamen horum *Nouatianorum* baptismi ex diuersorum generalium conciliorum decreto suscepti sunt, vtpote in debita forma dati, in nomine videlicet TRINITATIS, quamquam ab hominibus, multis de caussis nullam ministerialem auctoritatem illos conferendi habentibus. Spero iam BRETTVM, doctum amicum meum, fassurum esse, hoc maximum momentum habere ad persuadendum, ecclesiam recepisse baptismum istorum hæreticorum, qui debita forma vsi sunt, licet numquam veram, sed tantum sic creditam ordinationem acceperint. Si quæsierit, Cur ergo synodus *Nicæna* episcopos & sacerdotes *Nouatianorum* non iussit denuo ordinari? Respondeo. Viri quidam docti putant, fecisse eam tale decretum canone suo octauo, qui illos recipi iubet inter clericos catholicos per manuum impositionem, Χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. Ego vero non plane persuasus sum, per impositionem manuum eo loco intelligi impositionem, in ordinatione adhiberi solitam. Si BRETTVS eam intelligi putat, habet responsum suum. De hoc autem omnino persuasus sum, *Nouatianos* sine reconciliatoria quadam manuum impositione, per quam ecclesiæ iungerentur, non habuisse vllam auctoritatem agendi pro legitimis ecclesiæ ministris. Siue ecclesia nouam eis ordinationem dederit, siue non dederit, dedit certe auctoritatem nouæ functionis, quam habere antea non potuerunt in eiusmodi schisma implicati, quod eis non veras sed

tantum falſo creditas ordinationes conferre potuit. Quando enim externa ordinationis adſimulatæ forma eis, quantumuis ſine vlla legitima auctoritate in ordinantibus data erat, eccleſia forſitan idoneas cauſſas habuit, cur externam formam omitteret eaque ſuppleret, quæ in ordinatione eorum defuerant, addendo auctoritatem ſuam & mandatum authenticum in illorum reconciliatione. Siue autem hoc, ſiue illo modo id factum fuit, certo ſcimus, nunquam eos vere & more rato ordinatos fuiſſe in ſchiſmate ſuo, quia non veram ſed ſimulatam tantum & falſo creditam ordinationem habuerunt, ab illis datam, qui ſecundum leges eccleſiæ nulla dandi eam auctoritate præditi fuerunt.

CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTVM SECVNDVM. Quod hæretici non ſint miniſtri Dei auctoritate pollentes, quia quum in manifeſtam & apertam hæreſin incidunt, deſinunt eſſe veri chriſtiani ſacerdotes, et fiunt lupi & antichriſti, loco verorum paſtorum & moderatorum gregis CHRISTI.

§. I.

Quod legitima ordinatio hominem non tueatur in perpetua ſacerdotii, auctoritatem habentis, poſſeſſione; niſi regulas ſacerdotii obſeruet.

POSTQVAM hactenus oſtendi, quosdam hæreticos non fuiſſe veros & auctoritate præditos miniſtros Dei, quia numquam iuſtam & legitimam vocationem ſiue ordinationem ad ſacerdotium acceperunt: iam, vt doctorum aduerſariorum meorum hypotheſi gratificer, cum illis fingam (non vero concedam) omnes veteres hæreticos habuiſſe veram ac legitimam ordinationem: adſero tamen, non ſequi inde, vt veri & auctoritate præditi ſacerdotes Dei fuerint. Nam ſacerdotes Dei certis regulis adſtricti ſunt, quæ ad tuendam eorum auctoritatem ſunt neceſſariæ: neque ſolum legitimæ ordinationis priuilegium eos in perpetua ſacerdotii, auctoritate inſtructi, poſſeſſione confirmare poteſt, ſi quid faciunt, quod eos ad mini-

ministerium euangelii ineptos reddat. Centum circiter crimina in his antiquis canonibus, ad quos lectorem superiore capite ineunte remisi, enarrantur, ob quae sacerdos, qui legitimam ordinationem olim recepit, tandem de gradu deiici & titulum ac ius omne amittere potest, quo se gaudere sibi persuaserit, agendi cum auctoritate in quacumque ministerialis functionis parte. Et in his criminibus haeresis semper praecipuum locum obtinere credita fuit, quia ipsa fundamenta religionis, hoc est fidem sanctis semel traditam, subuertit. Quare sacerdos, de aperta & professa haeresi semel & plane quidem conuictus, non amplius existimatus fuit verus ac legitimus sacerdos, nec licentiam habuit agendi cum auctoritate pro ministro in ecclesia. Ipse populus ex officio christiano & propriae securitatis caussa illos fugere debebat; erant enim lupi, non pastores; antichristi, non veri ministri CHRISTI.

§. II.

Hoc probatum ex Cypriano, *qui haereticos & nomen & auctoritatem sacerdotum amittere declarat.*

VIX quispiam scripta CYPRIANI inspicere potest, quin hoc omnibus propemodum paginis videat. Semper enim sacerdotes Dei & haereticos, tanquam e diametro sibi inuicem oppositos, repraesentat; appellans hosce posteriores impios, sacrilegos, vsurpatores, qui sacerdotium humanae tantum inuentionis instituant, diuinae & euangelicae institutioni contrarium, et sibi sumant potestatem, nullo iure ipsis competentem. Ita in epistola quadam ad plebem *Carthaginensem* [a] de quinque presbyteris schismaticis, *Felicissimo* copulatis, queribundus narrat, per eos eam rationem ad ruinam salutis induci, vt *relictis Domini sacerdotibus contra euangelicam disciplinam noua traditio sacrilegae institutionis exsurgat.* Et post paullo (b) ait: *Deus vnus est & Christus vnus, & vna ecclesia, & cathedra vna super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium nouum fieri praeter vnum altare & vnum sacerdotium non potest.*

(a) Cypr. epist. XL. al. XLIII. ad pleb. p. 82. (p. 228. edit. Fell. Amstel. MDCC.)
(b) Ibid. p. 83. (p. 229. edit. Amstel.)

Quis-

Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcumque humano furore instituitur, vt dispositio diuina violetur. Procul ab huiusmodi hominum contagione discedite, & sermonem eorum velut cancrum & pestem fugiendo vitate. An is, qui ista de schismaticis dicit, existimare potuit, haereticos esse sacerdotes Dei, qui tanto peiores sunt schismaticis, quanto magis directe fundamenta diruunt? Etiamsi regulariter ordinati sint initio, tamen secundum CYPRIANVM haeresis eorum destruit titulum illorum, eorumque successio fit tantum humana institutio, quae sacerdotes facere non potest sine mandato Dei. Hinc eos, qui in haeresi ordinati erant [c], vocat pseudoepiscopos, falsos sacerdotes, aduersarios Domini, et antichristos [d], rebelles & hostes, quia a caritate atque veritate ecclesiae recesserint; peiores ethnicis ac publicanis, eo quod falsa altaria, illicita sacerdotia & sacrificia sacrilega & nomina adulterata fingant. Ad summam, eos omnes negat esse sacerdotes; hostes autem sacerdotum [e] esse dicit, aliena & illicita & nullo sibi iure concessa vsurpare conantes. Hinc concilium *Carthaginense* sub CYPRIANO habitum, decreuit, omnes istos falso nominatos sacerdotes [f] amisisse, quod beneficio legitimae ordinationis habuerint, eosque omnes, qui ordinati fuerint apud illos,

(c) Cypr. epist. LV. al. LIX. ad Cornel. pag. 132. (pag. 263.) Fortunatum istum sibi *pseudoepiscopum* dignum collegio suo fecit. Venerat etiam cum illo & Felix quidam, quem ipse extra ecclesiam in haeresi pseudoepiscopum olim constituerat.

(d) Cyprian. epist. LXXVI. al. LXIX. ad Magnum p. 180. (p. m. 294.) Vnde apparet, aduersarios Domini & antichristos omnes esse, quos constet a caritate atque ab vnitate ecclesiae catholicae recessisse. - - Si qui ecclesiam contemnunt, ethnici & publicani habentur; multo magis vtique rebelles & hostes, falsa altaria & illicita sacerdotia, & sacrificia sacrilega & nomina adulterata fingentes, inter ethnicos & publicanos necesse est, computentur; quando minora peccantes & tantum ecclesiae contemtores, ethnici & publicani sententia Domini iudicentur.

(e) Ibid. pag. 184. (p. m. 297.) Quomodo tales iustificare & sanctificare baptizatos possent; qui hostes sacerdotum aliena & illicita & nullo sibi iure concessa, vsurpare conantur?

(f) Concil. Carthag. ap. Cyprian. num. LXX. Homo haereticus dare non potest, quod non habet; multo magis schismaticus, qui, quod habuit, amisit.

illos, inter laicos recipi oportere [g], si ad ecclesiam catholicam conuertantur. Noui, aduersarios meos non negaturos, fuisse hanc opinionem CYPRIANI & totius concilii *Carthaginensis*. Immo vero facile eis adiungent FIRMILIANVM & BASILIVM. Norunt enim, BASILIVM dicere, quod CYPRIANVS & FIRMILIANVS vrgeant, rebaptizandos eos esse, qui ab hæreticis & schismaticis baptizati sint, ex hoc quidem principio, Quod hæretici non sint sacerdotes, neque adeo auctoritatem habeant baptizandi, vel aliud quoddam officium functionis sacerdotalis peragendi. Non possunt ergo putare, fuisse aliquam vim & virtutem in indelebili charactere sacerdotis, quæ sacerdotalem auctoritatem suam, ei seruarit integram, postquam hæreticus vel schismaticus factus, vel ab ecclesia iuste abdicatus fuerit. Hactenus igitur videmur consentire. Iam autem dixerint, Si CYPRIANI principium recte se habet, cur non admittatur eius etiam consequentia; Quod eos, qui ab hæreticis baptizantur, et illos, qui baptizantur a laicis, (qui vtrique sacerdotes sunt eiusdem, hoc est plane nullius, auctoritatis) rebaptizari oporteat? Respondeo, Quia iudices ipsis & me & ipso etiam CYPRIANO sapientiores, hoc est concilia generalia & patres ecclesiæ catholicæ, aliter determinarunt. Et idcirco quæstio nostra in præsenti non est, An hæretici rebaptizandi sint; (Hoc enim iam determinatum est sine contradictione) sed tantum, An hæretici ex opinione CYPRIANI & ecclesiæ catholicæ cum vera sacerdotum auctoritate agant, baptismum aliis conferentes? Non agere eos ex opinione CYPRIANI tanquam veros & auctoritate pollentes sacerdotes, a me iam probatum est & ab aduersariis meis concessum. Quare, quod iam agendum mihi est, hoc est, vt idem illud ex patribus & conciliis ecclesiæ sequentium ætatum demonstrem.

§. III.
Ex concilio Aquileiensi *sub* Ambrosio.

ET heic quidem testimonium habemus AMBROSII & vniuersi concilii episcoporum *Italicorum*, qui *Aquileiæ* congregati

(g) Ibid. num. IV. p. 231. (p. m. 159.) Eos, qui ordinati videbantur, inter laicos recipi.

fuerunt ad deiiciendos de sedibus suis *Palladium* & *Secundianum*, duos episcopos *Arianos* eodem an. CCCLXXXI, vbi *Macedoniani* gradu quisque suo deturbati sunt. Hoc autem concilium in epistola synodica ad *Valentinianum* & *Gratianum* imperatores, exponens illis rationem suam agendi contra hosce episcopos *Arianos*, *Ne vlterius*, inquit, *populos deciperent*, *sacerdotio putamus abdicandos. Neque enim dignum est* [b], *vt sacerdotium eius*, (scilicet CHRISTI) *sibi vindicent*, *quem negauerunt*. In actis huius synodi singuli episcopi suam quisque sententiam contra illos pronuntiarunt. *Ambrosius* his quidem verbis: *Palladium pronuntio sacerdotio indignum & carendum* [i]. *Valerianus* dixit: *Huiusmodi hominem a consortio sacerdotum censeo esse alienum* [ii]. *Iustus* dixit: *Palladium censeo vlterius* [k] *sacerdotem dici non posse*, *nec inter episcopos deputari. Theodorus* episcopus *Octodorensis* dixit: *Palladium nec christianum* [l], *nec sacerdotem vllo modo censemus.* Isti episcopi non habebant eiusmodi opinionem de indelebili charactere sacerdotii, quidquid eius in illo fuerit, vt *Arianum* hæreticum crederent habere longius auctoritatem sacerdotis CHRISTI, cuius diuinitatem negabat; sed sentiebant, posse eum a sacerdotio alienum fieri, quare & illum eo priuabant, ne amplius sub nomine CHRISTI populum deciperet.

§. IV.

Ex concilio Agrippinensi.

Ad an. CCCXLVI. aliud concilium *Coloniæ Agrippinæ* habitum est a celebri illo *Seruatio Tungrensi*, & diuersis aliis episcopis contra *Euphratam*, episcopum *Coloniensem*, quem itidem episcopatu priuarunt ob hæresin *Arianam.* Formula depositionis iisdem verbis concepta est, quibus illa in concilio *Aquileiensi. Maximus Treuerensis*, qui in concilio præsidebat, dixisse legitur: *Episcopum eum manifestum est* [m] *esse non posse. Seue-*

(b) Concil. Aquilei. epist. synod. Concil. tom. II. p. 994.
(i) Ibid. pag. 989. (ii) Ibid.
(k) Ibid.
(l) Ibid. p. 990.
(m) Concil. Agripp. ap. Crabb. tom. I. p. 317. (ap. Labb. tom. II. p. 615. 616. 617.)

rinus

rinus: Consentio, eumdem iuxta euangelica præcepta iure ab episcopatu esse deiectum. Seruatius: Censeo, christianis episcopum eum esse non posse, quia Deum Christum sacrilega voce negauit. Valentinus: Quia Euphrata Christum Deum negat, consentio, eum episcopum esse non posse, qui nec laicam debet communionem accipere. Eadem dicuntur in actis *Seruatii*, quæ a PETRO CRABBIO ad calcem huius concilii addita sunt his verbis [n]: *Cuius (Euphratæ) & pœnitentia si qua est exspectanda, potius hanc sentio inter laicos, quam inter episcopos, agendam.* Huic sententiæ quum reliqui episcopi omnes consensissent, *Euphratas* illico dicitur stilo eorum, deordinatus, hoc est, ordinatione sua denudatus; id quod factum videtur deiectione ad ordinem laicorum.

§. V.

Ex concilio quodam Italico *sub* Ambrosio, *ad an.CCCLXXXI. habito.*

ALIA eiusmodi sententia promulgata est aduersus hæreticos *Apollinaristas* in concilio quodam *Italico* sub *Ambrosio* an. CCCLXXXI. Vtrum hoc fuerit ante memoratum concilium *Aquileiense*, an vero *Mediolanense*, aut aliud quoddam, incertum est. Quidquid enim eius PHILIPPVS LABBEVS inuenire potuit, duæ sunt epistolæ ad *Theodosium* imperatorem; quarum in priore decretum memoratur, tamquam factum contra *Apollinaristas* in hoc concilio: *Vt conuictus in dogmate nouo* (sacerdos aliquis) *& redargutus in errore, nequaquam sub generali fidei lateret nomine: sed illico, quod doctrinæ magisterio non teneret, &* [o] *officium deponeret & vocabulum sacerdotis.* Quid planius esse potest quam testimonium, quod in his conciliis inuenimus de eo datum, quod hæretici de gradu suo deiecti, nullo sibi iure auctoritatem sacerdotalem vindicare possint? Deteriore loco, quam laici esse possunt; nam anathemati subiici possunt & ex ecclesia exturbari: meliore autem loco quam laici esse nequeunt,

(n) Acta Seruatii ap. Crabb. ibid. pag. 318. Cuius - cet. - agendam. Nulla mora, singulis pontificibus orationes similes ad eamdem normam dictantibus, Euphrata deordinatur.

(o) Concil. Italic. epist. I. ad Theod. (tom. concil. p. 1006.)

etiamſi reſipiſcant & in eccleſiæ communionem reſtituantur, quod & nomine & officio ſacerdotum exuti ſunt: quæ, ſecundum ſententiam & decreta horum antiquorum conciliorum, vſitata hæreticorum pœna erat.

§. VI.

Ex Romano *concilio* XC *epiſcoporum ſub* Damaſo ad an. CCCLXIX.

ALIVD quoddam huiuſmodi concilium *Romæ* an. CCCLXIX ſub *Damaſo* habitum eſt, in quo nonaginta epiſcopi præſentes fuerunt ad damnandum *Auxentium* aliosque epiſcopos *Arianos*. In epiſtola ſua ſynodali ad epiſcopos *Illyrici*, quæ apud THEODORETVM (*) & SOZOMENVM, nec non in conciliorum tomis [p] habetur, minantur illis, fore, vt & communione & nomine epiſcoporum priuentur. Quod certe innuit, quod crediderint, ſibi poteſtatem eſſe adimendi illis auctoritatem ſacerdotalem, quandoquidem ne nomen quidem epiſcoporum illis ſe relicturos eſſe denuntiant.

§. VII.

Ex teſtimonio Domni, *epiſcopi* Antiocheni & Ioannis Caſſiani.

VT autem hæreticos ſic, vt oſtendimus, tractabant; ita etiam eodem modo tractabant ſacerdotes catholicos, qui crimina commiſerant, quæ depoſitionem commererent, ſi in illis perſiſterent pertinaciter. Ita LIBERATVS de ratione agendi obſervat, quam *Domnus*, epiſcopus *Antiochiæ*, iniit cum presbyteris ac diaconis *Edeſſenis*, qui *Antiochiam* adſcenderant, *Ibam* epiſcopum ſuum ei accuſaturi. *Ibas* eos excommunicarat, quod

(*) Theodoret. lib. II. cap. XXII. Πιστεύομεν δὲ ὐκ εἰς μακρὰν τὺς ἄλλα φρονῦντας αὐτῇ τῇ ἐπιχειρήσει ἀπὸ τῆς ἡμετέρας κοινωνίας χωρισθήσεσθαι, κ̀ "περιαιρεθήσεσθαι ἀπ᾽ αὐτῶν τὸ τῦ ἐπισκόπυ ὄνομα." Sozom. lib. VI. cap. XXIII. eadem habet.

(p) Concil. Roman. epiſt. Synod. (tom. II. concil. p. 890.) Pro certo credimus eos, qui alia opinione tenentur irretiti, propter ſuum conatum breui fore & a noſtra ſegregatos communione & nomine epiſcoporum priuatos.

hoc

hoc facere ausi fuerant. Ab hac iniusta excommunicatione *Domnus* patriarcha eos absolui iussit sub ea conditione, vt ante festiuitatem quadragesimæ adscensionis *Antiochia* ne exirent, alioquin futurum, vt a suo deiicerentur ordine [q]. Hic patriarcha haud aliter de sacerdotis aut diaconi alicuius ordine videtur sensisse, quam quod, si quid ordine suo indignum committerent, ordines eis sui auferri possent, et quod nullus prætextus characteris indelebilis auctoritatem vel nomen sacerdotis eis tutum præstare valeret aduersus patriarchæ sui auctoritatem, qui legitimam potestatem se habere credebat ordinibus eos suis priuandi. Et hanc fuisse firmam ecclesiæ catholicæ *Antiochenæ* regulam, porro patet ex iis, quæ de occasione, qua *Nestorius* factus sit hæreticus, dicit IOANNES CASSIANVS. *Nestorius* natus, educatus, baptizatus & ordinatus erat *Antiochiæ*, et professio fidei secundum symbolum *Antiochenum* fecerat eum & christianum & sacerdotem. Vbi autem fidem semel perdiderat, tum ex CASSIANI [r] opinione omnia perdidit, quæ per fidei professionem lucratus fuerat: nam sacramentum sacerdotii ac salutis illius æqualiter symboli veritate constitit. Ita vt sacerdotium non minus perdiderit quam salutem suam perdidit, quando hæreticus & desertor fidei, in qua baptizatus erat, euasit.

§. VIII.

Et Innocentii *episcopi* Romani.

IN ecclesia *Romana* numquam aliquem susceperunt vt sacerdotem, qui ad publicam pœnitentiam adactus fuit. Quam ob caussam ii, qui apud hæreticos ordinati erant, non habiti sunt ab ista ecclesia sacerdotes ad ætatem vsque *Innocentii*, qui ait: *Vbi pœnitentiæ remedium necessarium est*, (vti necessarium erat in suscipiendis iis, qui in hæresi ordinati fuerant) *illic ordinationis honorem*

(q) Liberat. breuiar. cap. X. Qui quum adscendissent Antiochiam, Ibas eos excommunicauit. Sed superueniente festiuitate quadragesimæ adscensionis, iussi sunt a Domno excommunicatione absolui, sub ea conditione, vt Antiochiam non exirent, alioquin a suo deponerentur ordine.

(r) Cassian. de incarnat. lib. VI. p. 1274. Perdens symboli fidem, totum, quod fueras, perdidisti: Sacramentum enim sacerdotii ac salutis tuæ symboli veritate constabant.

norem locum habere [*s*] *non posse, decernimus. Sed e contrario adseritur, eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse; nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere.* Hinc, paucis interiectis, legem ecclesiæ *Romanæ* dicit esse, *venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sint, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare* (*t*). Quamuis enim, vrgente extraordinaria quadam necessitate, aliæ quædam ecclesiæ hanc legem migrarint, *Romæ* tamen contrariam consuetudinem numquam dicit inualuisse. Vnde manifestum est, neque eos, qui in hæresin lapsi, neque illos, qui in hæresi ordinati essent, vllum honorem titulumue sacerdotii habere, fuisse creditos.

§. IX.
Et Simplicii.

Simplicius, episcopus *Romanus* eamdem opinionem de clericis delinquentibus habuit, posse eos amittere sacerdotii auctoritatem. Scribens enim ad *Ioannem Rauennatem* episcopum, qui clericos quosdam adhibita vi ordinauerat, *Priuilegium*, inquit, (*u*) *meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Denuntiamus autem, quod si posthac quidquam tale præsumseris, et aliquem seu episcopum, seu presbyterum seu diaconum inuitum facere forte credideris, ordinationes tibi Rauennatis ecclesiæ vel Aemiliensis noueris auferendas.* In alia epistola (*w*) ad *Florentium, Equitium* & *Seuerum*, tres episcopos *Italicos*, *Gaudentium* quemdam *Aufiniensem* episcopum ob illicitas ordinationes contra statuta canonum factas, censuræ ecclesiasticæ subiicit & omnem illi potestatem ordinandi penitus aufert, eosque, qui illicite ab eodem *Gaudentio* ordinati erant, ab ecclesiasticis ministeriis remotos esse declarat.

(*s*) Innocent. epist. XXII. ad episc. Macedon. cap. III. (tom. II. concil. p. 1274.)

(*t*) Ibid. cap. IV.

(*u*) Simplic. epist. II. ad Ioan. Rauen.

(*w*) Id. epist. III. ad Florent. ap. Crabb. tom. I. p. 957. Relatio nos instruxit, Gaudentium Aufiniensis ecclesiæ sacerdotem, contra statuta canonum ac nostra præcepta ordinationes illicitas perpetrasse, quorum illi totam penitus auferri præcipimus potestatem. - - Et hi, qui illicite ab eodem sunt prouecti, ab ecclesiasticis ministeriis sint remoti.

§. X.

§. X.
Et Vigilii.

VIGILIVS, pontifex *Romanus*, tam disertis verbis, quam quidem antecessores eius, declarat, synodum episcoporum habere potestatem auferendi episcopo vel clerico delinquenti omne ministeriale officium omnemque potestatem. Et virtute huius potestatis ipse cum episcoporum synodo *Theodorum*, episcopum *Cæsareæ* in *Cappadocia*, gradu suo mouit, eumque *tam sacerdotali* [x] *bonore & communione catholica, quam omni officio episcopali seu potestate spoliatum esse* decreuit. Qui huiusmodi canones aduersus hæreticos & aliorum criminum reos clericos fecerunt, non potuerunt sentire, illos post tam legitimam & sollemnem depositionem, quæ eis officium & nomen & potestatem & auctoritalem sacerdotalem abstulit, adhuc esse sacerdotes auctoritate pollentes. Dicent autem iterum iterumque illi, adversum quos disputo, non fuisse eos mere laicos. Per hosce si homines intelligant, qui nullam vmquam ordinationem, siue vere talem, siue falso creditam, habuerunt, concedo, eos non fuisse nec potuisse esse mere laicos. Pugnantia enim absurde dicerem, si ordinationem eos accepisse nec tamen vmquam habuisse staturerem. Quod autem adsero, hoc est, quod homo veram ordinationem adeptus, si ob hæresin vel aliud quoddam crimen officio suo legitime priuaretur, non habuerit amplius diuinam sacerdotis, auctoritate instructi, potestatem, quia eadem diuina auctoritas, quæ suam ei auctoritatem in ordinatione impertiuit, in ademtione ordinis eam ipsi rursus abstulit; et nisi dici non possit, eum numquam habuisse ordinationem; quod in aliis respectibus omnibus laicus fuerit, quia omni clericali auctoritate penitus exutus; et vel ad statum & communionem laicorum, si pœniteret, redactus, vel si in contumacia perseueraret, ad gradum quemdam laicis inferiorem deiectus, hoc est, omni communione spoliatus & ex ecclesia expulsus fuit. De quibus partibus disciplinæ in hæreticos & delinquentes clericos in antiqua ecclesia iam quædam indicia feci, veritatem autem illarum in duobus capitibus sequentibus demonstrabo plenius.

(x) Fragment. depositionis Theodori per Vigil. ap. Crabb. tom. II, p. 8.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

ARGVMENTVM TERTIVM, Quod hæretici & gradu moti clerici in antiqua ecclesia non fuerint reputati sacerdotes, auctoritatem aliquam habentes, quia per disciplinam eius ad statum & communionem laicorum redacti erant.

§. I.

Nullis, ad agendam publicam pœnitentiam obstrictis, de clero esse licitum.

AD ampliorem probationem theseos supra firmatæ, Quod hæretici & clerici gradu moti in administratione baptismi aliorumue sacrorum officiorum non possint agere cum auctoritate sacerdotum, sed tantum vt laici, heic obseruo, eos per censuras ecclesiasticas redactos fuisse ad statum, nomen & communionem laicorum. Et id quidem ea tantum conditione, si facti eos sui pœniteret, seque disciplinæ ecclesiæ submitterent: alioquin enim maiore excommunicatione percellebantur & ne ad beneficium quidem communionis laicæ in ecclesia admittebantur. Communio laica tum priuilegium erat, quod hæreticis & clericis gradu deiectis dabatur, quum pœnitentiam agerent; neque amplius quiddam illis concedi solebat. Si quis ob plenum offendiculi crimen publicæ pœnitentiæ submitteretur, hoc eum per seueriorem disciplinam, quæ per diuersa secula in ecclesia viguit, a clericali communione in perpetuum excludebat. Quam ob rationem, quemadmodum alio loco [a] ex multis testimoniis SIRICII, INNOCENTII, GENNADII, concilii secundi *Arelatensis*, concilii *Agathensis*, concilii primi *Toletani*, concilii quinti *Carthaginensis*, concilii *Gerundensiis*, OPTATI & AVGVSTINI, obseruaui, si quis ob graue aliquod crimen publicam pœnitentiam egisset in ecclesia, hæc res, secundum regulas & disciplinam istorum temporum, eiusmodi hominem ad sacros ordines ineptum reddebat in perpetuum; vel si quis ex errore ordinatus esset, simulac id innotesceret, per canonem LXVIII concilii *Carthaginensis* quarti

(a) Origin. eccles. lib. IV. cap. III. n. VI.

abdi-

abdicabatur, eo quod ordinationis tempore non declarasset, se aliquando publicam egisse pœnitentiam. Ita similiter clericus, qui iustam ac canonicam acceperat ordinationem, si postea crimen quoddam perpetraret, quod publicæ eum pœnitentiæ obnoxium redderet, cuiusmodi erat hæresis, idololatria, homicidium, adulterium & id genus alia, eo ipso ab omni clericali communione ecclesiæ exclusus erat & redactus ad communionem laicam, non secus ac is, qui initio contra regulas & leges ecclesiæ ordinatus erat.

§. II.

Omnes de gradu deiectos ad minimum redactos esse ad communionem laicam.

NEQVE vero tantummodo ii, qui de clericis publicam pœnitentiam agebant, ita tractabantur, sed similiter omnes, qui ob quæcunque crimina gradu in totum deiecti erant. Licet ab agenda publica pœnitentia immunes essent, quia simplex pœna deiectionis de gradu, talibus criminibus irrogata, sufficere credebatur: nihilo minus tamen ab omni clericali communione arcebantur & tantum in laicis postea semper habebantur ab ecclesia. Hoc adeo inter omnes antiquitatis ecclesiasticæ peritos constat, vt tempus ad probandum illud non sumerem, nisi viri illi, cum quibus mihi controuersia intercessit, rei cuiusque, quam contra illos adsero, superfluentes demonstrationes ex patribus & conciliis tam seuere exigerent. Quibus ergo vt satisfiat, videamus, quænam documenta suppetant, quod hæretici & clerici gradu moti, siue publicæ pœnitentiæ subiecti fuerint, siue non fuerint, in vniuersum omnes ad statum communionis laicæ redacti sint.

§. III.

Hoc probatum ex Cypriano *illique contemporaneis* Cornelio *atque concilii* Carthaginensis *patribus.*

INITIVM facio a CYPRIANI illique contemporaneorum CORNELII, episcopi *Romani* atque patrum in concilio *Carthaginensi* sub CYPRIANO congregatorum, testimonio. Iam ante audiuimus aliquid de iudicio, quod de hac materia tulit CYPRIANVS in

in cauſſa *Trophimi*, [b] vnius ex tribus illis epiſcopis, qui *Nouatianum* ordinauerant, qui errore ſuo agnito in eccleſiam rurſus admiſſus, neque vero veniam adeptus eſt recipiendi in ſe officium ſacerdotis, ſed tantum communicandi [c] vt laicus? Ita quoque CORNELIVS de eodem *Trophimo* loquens, ſe eum ad communionem laicam [d] ſuſcepiſſe dicit. Quod non ſignificat, eum tantum quaſi laicum ſed mere laicum, non ſacerdotem fuiſſe, vti CYPRIANVS diſtinctius id exprimit. In alia epiſtola CYPRIANVS cum vniuerſa quadam epiſcoporum *Africanorum* ſynodo cauſſam *Baſilidis* & *Martialis*, duorum epiſcoporum *Hiſpanorum*, qui perſequutionis tempore in idololatriam lapſi erant, conſiderat. Hoſce homines narrat initio "epiſcopatum pro conſcientiæ ſuæ " vulnere ſponte depoſuiſſe [e], ad agendam pœnitentiam con-" verſos, Deum deprecantes & ſatis ſibi gratulantes, ſi ſibi vel " laicis communicare contingeret." Deinde autem mutata ſententia voluiſſe rurſus admitti tamquam epiſcopos, quod nullo modo eis permitti poſſit. *Fruſtra*, inquit [f], *tales epiſcopatum ſibi vſurpare conantur, quum manifeſtum ſit, eiusmodi homines nec eccleſiæ CHRISTI poſſe præeſſe, nec DEO ſacrificia offerre debere. Maxime quum iam pridem nobiſcum & cum omnibus omnino epiſcopis in toto mundo conſtitutis, etiam Cornelius collega noſter, ſacerdos pacificus ac iuſtus & martyrio quoque dignatione DOMINI honoratus, decreuerit, eiusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem cleri atque ſacerdotali honore probiberi.* Heic, mea quidem ſententia, ſi vſpiam, vniuerſalis conſenſus omnium omnino epiſcoporum in orbe terrarum habetur de materia controuerſa. Omnes vno ore decernunt, epiſcopum vel ſacerdotem, iuſte quidem ob idololatriam officio exutum, non eſſe amplius epiſcopum vel ſacerdo-

(b) Vid. ſupr. cap. II. n. III.

(c) Cyprian. epiſt. LII. al. LV. ad Anton. p. 105. (p. 244. edit. Amſtelod.) Sic tamen admiſſus eſt Trophimus, vt laicus communicet, non - - quaſi locum ſacerdotis vſurpet.

(d) Cornel. epiſt. ad Fabian. ap. Euſeb. lib. VI. cap. XLIII. ᾧ ἐκοινωνήσαμεν ὡς λαϊκῷ.

(e) Cyprian. ep. LXVIII. al. LXVII. ad fratr. Hiſpan. p. 173. (p. m. 289)

(f) Cyprian. ibid. p. 174. (p. m. 290.)

tem

tem auctoritate præditum, nec in clericis habendum, sed tantum vt laicum tractandum. Prouoco omnes mortales, vt planius documentum adferant de vniuersali consensu hac in re. Et si illi, qui baptismum laicum validum esse negant, & defendunt rebaptizationem, tam firmum testimonium pro thesi sua produxerint, promitto, me quod ad historiam opinioni eorum esse subscripturum.

SED procedo in CYPRIANO, qui in alia epistola ad *Stephanum*, episcopum *Romanum [g]*, in hunc modum scribit: *Addimus plane & adiungimus consensu & auctoritate communi, vt si qui presbyteri aut diaconi, qui vel in ecclesia catholica prius ordinati fuerint, & postmodum perfidi ac rebelles contra ecclesiam steterint, vel apud hæreticos a pseudoepiscopis & antichristis contra CHRISTI dispositionem profana ordinatione promoti sint, & contra altare vnum atque diuinum sacrificia foris falsa ac sacrilega offerre conati sint; eos quoque hac conditione suscipi, quum reuertuntur, vt communicent laici, & satis habeant, quod admittuntur ad pacem, qui hostes pacis exstiterint, nec debere eos reuertentes ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellarunt.* Clarioribus verbis dici non potest, hæreticos & gradu motos clericos non esse sacerdotes, sed tantum laicos, siue, ordinatos ab hæreticis, qui solum falsi episcopi & antichristi sunt, esse tantum laicos, & in laicis habendos, si ad ecclesiam reuertantur. Adhuc vnius tantum loci in CYPRIANO mentionem faciam, qui ad caussam *Fortunatiani* episcopi *Africani Assuræ* attinet, qui vel in idololatriam vel schisma *Nouatianum* inciderat, ob quod delictum officio exutus erat, postea autem pro episcopo denuo agere cupiebat; cui proinde CYPRIANVS in epistola ad plebem *Assuritanam* fortiter obsistebat, *Grauiter & dolenter*, inquiens, *motus sum, quod cognouerim, Fortunatianum [h] quondam apud vos episcopum, post grauem lapsum ruinæ suæ, pro integro nunc agere velle, & episcopatum vindicare cœpisse, & quum debeat satisfacere, & ad Dominum orandum, diebus ac noctibus,*

(*g*) Cyprian. epist. LXX. ad Stephan. p. 197. (p. m. 305.)

(*h*) Cypr. epist. LXIX. al. LXV. ad pleb. Assuritan. p. 162. (p. m. 282.)

lacrimis & orationibus & precibus incumbere, audere sibi adhuc sacerdotium, quod prodidit, vindicare, quasi post aras diaboli accedere ad altare Dei fas sit. Hoc euidenter eodem principio nititur, Quod episcopus, ob idololatriam vel hæresin semel motus officio, numquam posthac episcopus existimari nec vllis officii sacerdotalis partibus se admiscere, sed pœnitentiam agere debeat de suis criminibus, vt ad communionem tamquam laicus recipiatur. Et ex hoc principio in concilio *Carthaginensi* sub *Cypriano* [*i*] decretum fuit, non solum omnes hæreticos & schismaticos, qui ad ecclesiam conuersi sint, baptizari, sed eos etiam, qui ab illis ordinati sint, inter laicos recipi oportere. Quid? quod ex hoc ipso principio, si BASILIVS vera loquitur [*k*], CYPRIANVS & FIRMILIANVS hæreticos & schismaticos rebaptizari iusserunt, quod baptismus eorum non esset alius atque baptismus laicorum. Vt adeo eos oporteat credidisse, hæreticos & schismaticos esse tantum laicos, alioqui ratio argumenti eorum fuisset falsa. Et licet iniustam conclusionem ex hoc principio elicerent, quam ecclesia posterioribus temporibus per concilia sua generalia correxit; numquam tamen principium eorum negauit, sed adhuc conuenienter ei egit, hæreticos & schismaticos graduque deiectos clericos reducens ad communionem laicam, nisi interueniens quædam necessitas & extraordinaria occasio ecclesiæ requireret, vt disciplinam suam laxaret, sicut cum *Nouatianis* & *Donatistis* & quibusdam paucis aliis, ad pacem ecclesiæ conciliandam & inueteratum schisma abolendum, factum est. Quod plenius probabo in persequenda praxi ecclesiæ vniuersalis, vnde euidenter patebit, vsitatam rationem tractandi hæreticos & schismaticos graduque motos clericos, secundum ætatem *Cyprianicam*, fuisse eam, vt reducerentur ad communionem laicam.

(*i*) Concil Carthag. ap. Cyprian. num. IV. p. 231. (p. m. 159.)

(*k*) Basil. can. I. *Οἱ δὲ ἀποῤῥαγέντες λαϊκοὶ γενόμενοι οὔτε τοῦ βαπτίζειν, οὔτε τοῦ χειροτονεῖν εἶχον τὴν ἐξουσίαν, οὐκέτι δυνάμενοι χάριν πνεύματος ἁγίου ἑτέροις παρέχειν, ἧς αὐτοὶ ἐκπεπτώκασι. Διὸ ὡς παρὰ λαϊκῶν βαπτιζομένους τοὺς παρ' αὐτῶν, ἐκέλευσαν ἐρχομένους ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν τῷ ἀληθινῷ βαπτίσματι τῷ τῆς ἐκκλησίας ἀνακαθαίρεσθαι. Qui autem abrupti sunt laici effecti, nec baptizandi nec ordinandi habent potestatem, vt qui non possint amplius Spiritus sancti gratiam aliis quoque præbere, a qua ipsi exciderunt. Quare eos, qui ab ipsis baptizati erant, tamquam a laicis baptizatos, iusserunt ad ecclesiam venientes vero ecclesiæ baptismate expurgari.*

§. IV.

§. IV.

Et ex canonibus apostolicis.

Hoc apparet ex canonibus sic dictis apostolicis, si eos *Cypriano* recentiores esse statuamus. Nam in duobus ex hisce canonibus hoc præscriptum habetur. In canone decimo quarto decernitur, Si quis ex clericorum catalogo, relicta parœcia sua ad aliam abierit et episcopo ad reditum hortanti non obtemperauerit, in ordinis desertione perseuerans: illic tamquam laicus iubetur communicare, ὡς λαϊκὸς κοινωνείτω. Et in sexagesimo secundo dicitur, Si quis clericus propter metum humanum iudæi, vel gentilis, vel hæretici, negauerit nomen clerici, deponatur, si autem pœnitentiam egerit, vt laicus recipiatur, ὡς λαϊκὸς δεχθήτω. Ex quibus vnusquisque facile potest iudicare, quod deiectum esse ministerio, et factum esse laicum, ex horum antiquorum canonum sensu vocabula sint eiusdem significationis. Vid. etiam can. IX. al. XII.

§. V.

Et concilio Illiberritano.

Eamdem regulam habemus in antiquo concilio *Illiberritano* (*l*), quando ita decernit: *Si quis diaconus se permiserit ordinari, et postea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiserit; si sponte fuerit confessus, placuit eum, acta legitima pœnitentia, post triennium accipere communionem. Quod si alius detexerit, post quinquennium acta pœnitentia accipere communionem laicam debere.*

§. VI.

Et concilio Sardicensi.

Alivm istiusmodi canonem offendimus in magno concilio *Sardicensi* (*m*), in quo caussa duorum pseudoepiscoporum *Musæi* & *Eutychiani* examinata est & decretum, *Eutychianum ne*

(*l*) Concil. Illiber. can. LXXVI.

(*m*) Concil. Sardic. can. XIX. Ἐυτυχιανὸν δὲ μήτε ἐπισκόπου ἑαυτῷ διαδικεῖν ὄνομα· ἀλλ᾽ οὐδὲ Μουσαῖον ὡς ἐπίσκοποι νομίζεσθαι· εἰ δὲ λαϊκὴν κοινωνίαν ἀπαιτοῖεν, μὴ χρῆναι αὐτοῖς ἀρνεῖσθαι.

episcopi quidem sibi nomen vsurpare, neque Musæum vt episcopum existimari, si autem laicam communionem petiuerint, non oportere eis denegari.

§. VII.

Et concilio Agathensi.

Simile decretum in concilio *Agathensi [n]* factum legitur pro ecclesiis *Gallicanis; Si episcopus, presbyter aut diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsauerit, aut testimonium falsum dixerit, ab officii bonore depositus in monasterium retrudatur, et ibi quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.*

§. VIII.

Et concilio tertio Aurelianensi.

Concilium tertium *Aurelianense* duos habet canones in eamdem sententiam. Vnus quidem vniuersis clericis, ab episcopis vsque ad subdiaconos, interdicit vxoribus suis misceri, addita hac comminatione: *Quod si quis fecerit, laica communione [o] contentus iuxta priorum canonum statuta ab officio deponatur.* Alter iisdem clericis interdicit pecuniam commodare ad vsuras, eamdem pœnam non obedientibus denuntians. *Si quis*, inquit, *aduersum statuta venire præsumserit, communione concessa ab ordine regradetur [p].* Vbi per *communionem* communio laica intelligenda est: neque enim alia locum habere potest, quandoquidem a clericali communione exclusus erat, de gradu suo deiectus.

§. IX.

Et concilio primo Toletano.

Concilium primum *Toletanum* alium huiusmodi canonem habet de subdiaconis, *Qui tertiam vxorem acceperit, abstentus biennio, postea inter laicos [q] reconciliatus, per pœni-*

(n) Conc. Agath. can. L.
(o) Concil. Aurel. III. can. II.
(p) Ibid. can. XXVII.
(q) Concil Tolet. I. can. IV.

tentiam

tentiam communicet. Et canon ſequens decernit, *Presbyter vel diaconus vel ſubdiaconus ſi ad eccleſiam ad ſacrificium quotidianum non acceſſerit, clericus non habeatur* [r], *ſi caſtigatus per ſatisfactionem veniam ab epiſcopo noluerit promereri.*

§. X.

Ex concilio Hipponenſi & Auguſtino.

CONCILIVM *Hipponenſe* in *Africa* idem decretum habet de *Donatiſtis* [s], *vt in numero laicorum recipiantur.* Et quamquam eccleſia ab hac regula poſtea pacis ſtudio & finiendi inueterati ſchiſmatis cauſſa receſſit; AVGVSTINVS tamen [t] perſpicue dicit, id per ſeueritatem diſciplinae fieri non potuiſſe alio quam pacis intuitu. *Donatiſtis* enim aſtute quaerentibus, *Si oportet, vt nos extra eccleſiam & aduerſus eccleſiam fuiſſe poeniteat, vt ſalui eſſe poſſimus, quomodo poſt iſtam poenitentiam apud vos clerici vel etiam epiſcopi permanemus?* hunc in modum reſpondet: *Hoc non fieret, quoniam reuera, quod fatendum eſt, fieri non deberet, niſi pacis ipſius compenſatione ſanarentur. Sed ſibi hoc dicant, & multo maxime humiliter doleant, qui in tanta morte praeciſionis iacent, vt iſto quodam vulnere matris catholicae reuiuiſcant. Vt enim conſtitueretur in eccleſia, ne quiſquam poſt alicuius criminis poenitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non deſperatione indulgentiae ſed rigore factum eſt diſciplinae: alioquin contra claues datas eccleſiae diſputabitur, de quibus dictum eſt: Quae ſolueritis in terra, ſoluta erunt & in caelo. Sed ne forſitan etiam de ceteris criminibus ſpe honoris eccleſiaſtici animus intumeſcens ſuperbe ageret poenitentiam, ſeueriſſime placuit, vt poſt actam de crimine damnabili poenitentiam, nemo ſit clericus, vt deſperatione temporalis altitudinis medicina maior & verior eſſet humilitatis. - - Verum in huiusmodi cauſſis, vbi per graues diſſenſionum ſciſſuras non huius aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages ia-*

(r) Ibid. can. V.
(s) Concil. Hippon. can. XLI.
(t) Auguſt. epiſt. L. ad Bonifac. pag. 87. (pag. 227. A. tom. II. Opp. edit. Baſil. MDLXIX.)

cent,

cent, detrahendum est aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis caritas sincere subueniat.

TRANSCRIPSI hunc integrum AVGVSTINI locum, vt ostenderem, quis fuerit vsitatus disciplinæ ecclesiasticæ rigor hac in re, & quæ fuerint caussæ, quamobrem ecclesia interdum, exigente extraordinaria quadam necessitate, alias rationes inierit. Vnde apparet, quod, licet nonnumquam rebus sic postulantibus a præscripto deflexerit, ordinaria tamen & consueta illius methodus fuerit, hæreticos & schismaticos aliosque delinquentes clericos ad statum & communionem laicorum reducere.

§. XI.

Ex decretis Innocentii, *pontificis* Romani.

DE praxi ecclesiæ *Romanæ* testimonium habemus INNOCENTII, qui AVGVSTINO fuit contemporaneus. Nam eum audiuimus supra cap. III. num VIII. adferentem, fuisse ecclesiæ *Romanæ* legem, venientibus ab hæreticis per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex illis aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare.

§. XII.

Et Siricii.

SIRICIVS eiusdem disciplinæ meminit, tamquam adhibitæ in omnes clericos, qui contra canonem aut viduam aut secundam coniugem duxissent. Omni ecclesiasticæ dignitatis priuilegia [u] eos nudatos dicit, laica tantum illis communione concessa. Et HIERONYMVS idem adfirmat de episcopis hæreticis in dialogo contra *Luciferianos* cap. VII.

§. XIII.

Et Basilii.

INTER canones BASILII vnus quidem habetur in eamdem

(u) Siric. epist. I. ad Himerium Tarracon. cap. XI. Quisquis sane clericus aut viduam aut certe secundam coniugem duxerit, omni ecclesiasticæ dignitatis priuilegio mox nudetur, laica sibi tantum communione concessa.

sen-

ſententiam: *Qui peccatum ad mortem peccant clerici, de gradu quidem deiiciuntur, a laicorum autem communione* [w] *non arcentur. Non enim vindicabis bis,* (hoc eſt, & deiectione de gradu & excommunicatione) *in id ipſum.*

§. XIV.

Et concilii Trullani.

HAEC omnia canone quodam concilii *Trullani* confirmantur, qui clericos *canonice quorumdam criminum reos factos & propterea perfectæ ac perpetuæ depoſitioni ſubiectos in laicorum locum* [x] *detrudi*, ait. Atque ita tam idoneum diſciplinæ eccleſiaſticæ in hoc genere documentum habemus, quam quis requiſiorit.

IAM VERO, quod reliquum eſt, iuſtus quisque rerum æſtimator de ſenſu & praxi eccleſiæ antiquæ, reſpectu habito ad ſusceptionem baptiſmatum, debita forma a laicis auctoritatis expertibus datorum iudicet. Si eccleſia haud aliam de hæreticis, ſchiſmaticis & gradu deiectis clericis opinionem habuit, quam de laicis auctoritate deſtitutis, et tamen eorum omnium baptiſmos eatenus admiſit, vt eos non repetierit per rebaptizationem: Nonne hinc manifeſto ſequitur, vt baptiſmos eorum admiſerit, qui ex opinione eius tantum laici fuerunt, auctoritate vacui? Si quis dixerit, eos redactos quidem ad communionem laicam, ſed tamen adhuc ſacerdotes fuiſſe auctoritate inſtructos, non laicos: is primum reſpondere debebit CYPRIANO & reliquis epiſcopis omnibus, qui diſertis verbis declarant, illos non ſacerdotes, ſed laicos eſſe; non quaſi laicos, ſed vere tales. Deinde oſtendere etiam debebit, quomodo quis dici poſſit habere auctoritatem ſacerdotis, quando DEVS & CHRISTVS & optima auctoritate in eccleſia pollentes antiſtites auctoritatem ei

(w) Baſil. can. XXXII. Οἱ τὴν πρὸς θάνατον ἁμαρτίαν ἁμαρτάνοντες κληρικοὶ, τοῦ βαθμοῦ μὲν κατάγονται, "τῆς κοινωνίας δὲ τῶν λαϊκῶν" οὐκ ἐξείργονται. Οὐ γὰρ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό.

(x) Concil. Trull. can. XXI. Οἱ ἐπὶ ἐγκλήμασι κανονικοῖς ὑπεύθυνοι γινόμενοι, καὶ διὰ τοῦτο παντελεῖ τε καὶ διηνεκεῖ καθαιρέσει ὑποβαλλόμενοι, "ἐν τῷ λαϊκῶν ἀπωθούμενοι τόπῳ.

ſuam ademerunt. Quo facto alia ſupererit difficultas. Quomodo quis dici poſſit ſacerdos eſſe auctoritate præditus, qui non eſt conſummatus & perfectus laicus: vti nemo hæreticorum vel clericorum gradu motorum, poſtquam ob contumaciam ſuam anathemati ſunt ſubiecti, dici poteſt. Nam non ſolum ad communionem laicam rediguntur, ſed etiam ad gradum infra laicos detruduntur, eccleſia proiecti ſeu excommunicati. Nemo enim perfectus laicus eſt, niſi ſit in plena communione cum eccleſia: quo beneficio hæretici & ſchiſmatici & gradu deiecti clerici non fruuntur, poſtquam excommunicatio deiectioni eorum ſemel addita eſt, vti fieri ſolebat, ſi in animi obſtinatione & contumacia contra diſciplinam eccleſiæ perſiſterent. Qua de re diſtinctius & vberius capite ſequente diſſeremus.

CAPVT QVINTVM.

ARGVMENTVM QVARTVM. Quod hæretici & ſchiſmatici & gradu deiecti clerici non exiſtimati fuerint vera auctoritate præditi ſacerdotes, quia ad gradum laicis inferiorem nonnumquam detruſi, dum anathemati ſubiecti & eccleſiæ communione exturbati fuerunt.

§. I.

Neminem perfectum laicum habitum, niſi qui in plena communione cum eccleſia eſſet conſtitutus.

OMNIA, quæ capite vltimo de hæreticorum & ſchiſmaticorum & gradu deiectorum clericorum reductione ad communionem laicam diximus, cum conditione intelligenda ſunt, ſi nimirum pœnitentiam agerent & diſciplinæ eccleſiæ ſeſe quiete ſubmitterent, in aliquo vitio reprehenſi. Ita enim eccleſia in multæ irrogatione illis ſeſe mitiorem præbebat, ſi criminibus ſuis aliis non adderent obſtinationem & rebellionem. Satis eſſe ducebat, vulgaria crimina in pœnitentibus clericis punire ſola deiectione eorum ad communionem laicam, nec ad extremam excommunicationis ſeueritatem progrediebatur, niſi

nisi aut grauiora quædam & atrociora facinora commisissent, aut sese præberent refractarios & contumaces in illius censuras. Dantur quidam antiqui canones, qui hac de materia distincte præcipiunt, clericum peccantem non esse ordinarie propter vnum idemque crimen bis puniendum, [a] hoc est, non esse de dignitatis gradu dimouendum, & simul communione laica priuandum. Hoc autem fiebat, si se quiete submitteret censuræ ecclesiæ, & crimina eius non essent talia, quæ seuerius iudicium grauioremque condemnationem requirerent. Alioquin enim vtraque pœna ei infligi poterat; non clericali solum sed & laica communione poterat priuari, & eodem tempore, quo ordine suo exuebatur, proiiciebatur quoque ex ecclesia & omni omnino communione excludebatur. Atque hæc erat deiectio eius infra conditionem alicuius laici. Nullus enim perfectus habebatur laicus, nisi qui in plena communione esset cum ecclesia & ius haberet participandi cum fidelibus omnia sacra officia, maxime vero sacram eucharistiam siue oblationem, quæ erat τὸ τέλειον, omnium consummatio, & quæ hominem perfectum & consummatum reddebat christianum. Sine hac enim communione aliquis tantummodo imperfectus christianus & in inconsummato statu esse existimabatur, vix pro perfecto & apto membro ecclesiæ habendus. Quam ob caussam omnes catechumeni ducebantur tantum imperfecta membra ecclesiæ (etsi sensu quodam latiore nomen christianum habebant) quia, quum nondum essent baptizati, iure plenæ communionis christianorum haud gaudebant. Similiter omnes excommunicati vt plurimum imperfecti tantum christiani erant, propterea quod a communione ecclesiæ essent abrupti. Erant genus quoddam membrorum mortuorum, vsque dum per resipiscentiam reuiuiscerent & vi iuris, quod baptismus eis dederat, interueniente confessione & satisfactione, ad

(a) Can. apost. can. XXV. al. XIIX. Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ὁ πορνείᾳ, ἢ ἐπιορκίᾳ, ἢ κλοπῇ ἁλοὺς, καθαιρείσθω, καὶ μὴ ἀφοριζέσθω· λέγει γὰρ ἡ γραφή· οὐκ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν θλίψει. Ὡσαύτως καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοί. *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, in fornicatione, vel periurio, vel furto deprehensus; deponatur & non segregetur: dicit enim scriptura; Non vindicabis bis in id ipsum. Similiter & reliqui clerici.* Vid. Basil. epist. can. XXII. sub litt. anteced. (w).

communionem denuo admitterentur. Et hoc in ſtatu omnes iſti hæretici & ſchiſmatici ac de gradu dignitatis deiecti clerici eſſe exiſtimabantur, qui duplicem ſubierant pœnam, dum non ſolum officio eccleſiaſtico ſpoliati, ſed ab omni etiam communione fidelium ſegregati erant. Hac ratione eccleſia excluſi & priuilegio ipſius etiam communionis laicæ nudati erant. Ita vt ne quidem perfecti & conſummati laici, ſed gradus quidam laicis inferior eſſent, qui in præſenti ius plenæ communionis perdiderant & paullo plus præter baptiſmum ſuum retinuerant, vt nomen chriſtianorum ipſis adhæreret. Quare facile ad percipiendum non eſt, quomodo illi veri & auctoritate præditi ſacerdotes ab eccleſia habiti ſint, quos ipſa verorum & perfectorum laicorum priuilegio orbauit.

§. II.

Hæreticos & ſchiſmaticos & gradu dignitatis eccleſiaſticæ deiectos clericos ſæpius etiam excluſos fuiſſe priuilegio communionis laicæ.

IAM VERO eccleſiam ſæpius hanc duplicem cenſuram exercuiſſe & vtramque pœnam depoſitionis & excommunicationis ſontibus clericis inflixiſſe, non difficile erit demonſtratu. Vt enim iam ne memorem, quoties hæretici anathemati ſubiiciantur a ſex conciliis generalibus, quam rem capite huius libri primo enarraui vberius, nec quam vnanimiter omnes veteres declarent, omnes hæreticos & ſchiſmaticos eſſe extra veram & perfectam totius catholicæ eccleſiæ communionem, nec quam ſæpe hæretici negentur eſſe chriſtiani & eccleſia & membra eccleſiæ; chriſtiani videlicet ſenſu adæquato ſumti & perſonæ plena communione eccleſiæ gaudentes, vt ne, inquam, earum rerum vlli in præſenti inſiſtam, ſatis erit oſtendere, hæreticos & ſchiſmaticos & clericos, ordinibus ſuis priuatos, ſæpius, poſtquam officio pulſi eſſent, ſollemniter etiam ab eccleſia fuiſſe excommunicatos ipſaque communione laica excluſos.

§. III.

Hoc probatur teſtimonio Cypriani.

HOC ex iis liquido conſtat, quæ de *Euariſto*, vno de tribus epiſco-

epiſcopis, qui *Nouatianum* ordinare auſi erant, narrat CYPRIANVS, *Didicimus*, inquiens, *& docere atque inſtruere ceteros cœpimus, Euariſtum de epiſcopo iam nec laicum* [*b*] *remanſiſſe, cathedræ & plebis extorrem, & de eccleſia CHRISTI exſulem.* Ratio erat, quod in ſchiſmate obſtinate perſiſteret, nec, vt *Trophimus* fecerat, confitendo & pœnitendo cenſuræ eccleſiæ ſe ſubmitteret, vt in communionem tamquam laicus poſſet recipi. Hæc erat differentia, quam eccleſia inter duos iſtos epiſcopos ſontes, qui ordinationi *Nouatiani* interfuerant adiutores, tum adhibebat. Ambo ordine ſuo deiiciebantur & exiſtimabantur non eſſe epiſcopi; alter autem in eccleſiæ ſuſcipiebatur communionem: dum alter ob contumaciam ſuam communione eccleſiæ omnino excludebatur, ne honorifico quidem laicæ communionis titulo fruendi veniam adeptus. Iam minor factus erat laico, qui paullo ante epiſcopus fuerat in eccleſia catholica.

§. IV.

Et canonum apoſtolicorum.

INTER ſic dictos canones apoſtolicos ſunt, qui clericum bis puniri vetant ob idem crimen in omnibus caſibus ordinariis; duo tamen caſus indicantur, in quibus depoſitioni addi debeat excommunicatio. Prior quidem ad *Simoniam* attinet, de qua vtpote in atrocioribus criminibus poſita decretum ita habet: *Si quis epiſcopus aut presbyter, aut diaconus per pecunias compos huius dignitatis fuerit; deponatur & ipſe, & qui eum ordinauit, atque penitus abſcindatur etiam a communione* [*c*] *vt Simon magus a Petro.* Alter caſus [*d*] eiusdem erat generis, de quo canon ita habet; *Si quis epiſcopus vſus principibus ſæcularibus* (per

(*b*) Cyprian. ep. XLIX. al. LII. ad Corn. p. 96. (p. 237. edit. Amſtelod.)

(*c*) Can. apoſt. c. XXII. al. XXX. Εἴ τις ἐπίσκοπος διὰ χρημάτων τῆς ἀξίας ταύτης ἐγκρατὴς γένηται, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς καὶ ὁ χειροτονήσας, καὶ ἐκκοπτέσθω παντάπασι καὶ τῆς κοινωνίας, ὡς Σίμων μάγος ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου.

(*d*) Ibid. can. XXIII. (al. XXXI.) Εἴ τις ἐπίσκοπος κοσμικοῖς ἄρχουσι χρησάμενος, δι' αὐτῶν ἐγκρατὴς ἐκκλησίας γένηται, καθαιρείσθω καὶ ἀφοριζέσθω.

quos viri docti magistratus ethnicos intelligunt) *per eos ecclesiam obtinuerit, deponatur & segregetur.* Nullus his hominibus gratiæ locus; sccludendi erant non solum a communione & dignitate clericali, sed a communi etiam priuilegio & communione laicorum.

§. V.

Et concilii Coloniensis.

Haec censura erat, qua *Euphratas* episcopus *Arianus Coloniæ Agrippinæ* adficiebatur, quia, quum hæresin suam eiurare nollet, in concilio *Coloniensi*, an. CCCXLIX celebrato, episcopatu suo spoliabatur. Singuli episcopi sententiam suam illic contra eum dicunt, quorum aliquis condemnationem eius his verbis declarat: *Consentio* [e], *Euphratam episcopum esse non posse, qui nec laicam debet communionem accipere.*

§. VI.

Et concilii Sardicensis.

Concilium *Sardicense* duos hanc in rem habet canones notatu dignos, pronuntiatos ore *Hosii* celebratissimi episcopi *Corduensis*, qui huic synodo præsedit. Prior factus est contra istos episcopos, qui vel auaritia vel ambitione inducti, sine legitima & synodali vocatione ab alia sede in aliam, a minori ciuitate in maiorem migrabant: Ad quam arrogantiam cum debita seueritate compescendam *Hosius* ita decernit [f]: *Existimo, eos ne laicorum quidem debere habere communionem.* Et iterum, si quis episcopus se a populo vocatum adsereret, clarum autem esset, potuisse paucos aliquos mercede & pretio corruptos seditionem in ecclesia mouere, vt eum episcopum postularint habere, has fraudes vel artes idem *Hosius* secundo quodam canone puniendas esse statuit, *vt nemo possit, qui sit eiusmodi, ne in fine quidem* [g] *laica communione dignus haberi.* Hi patres sane non potuerunt eos

(e) Concil. Agrippin. in sententia Valentini ap. Crabb. tom. I. p. 317.

(f) Concil. Sardic. can. I. Ἡγοῦμαι, μηδὲ λαϊκῶν ἔχειν τοὺς τοιούτους χρῆναι κοινωνίας.

(g) Ibid. can. II. Τὰς ῥᾳδιουργίας τὰς τοιαύτας καὶ τέχνας κολαστέας εἶναι νομίζω, ὥστε μηδένα τοιοῦτον μηδὲ ἐν τῷ τέλει λαϊκῆς γοῦν ἀξιοῦσθαι κοινωνίας.

pro

pro epiſcopis, auctoritate pollentibus, habere, quos tam terribili anathemati ſubiecerunt, vt illos ne quidem in fine pace eccleſiaſtica dignos iudicarent, ſed commune illis viaticum in vltima vitæ hora negarent.

§. VII.
Et concilii Illiberritani.

CONCILIVM *Illiberritanum* alium eiuſmodi canonem habet de diaconis, qui ſe permiſerant ordinari, quum ipſi ſe peccati cuiusdam mortalis reos ſcirent, quod ſi antea innotuiſſet, ordinationem eorum impediturum fuiſſet. Talis quiſpiam *ſi ſponte fuerit confeſſus*, inquit canon, *placuit eum, acta legitima pœnitentia poſt triennium* [h] *accipere communionem. Quod ſi alius detexerit, poſt quinquennium acta pœnitentia accipere communionem laicam debere.* Et alio quodam canone [i] ſic decernunt: *Epiſcopi, presbyteri, diaconi, ſi in miniſterio poſiti, detecti fuerint, quod ſint mœchati, placuit, & propter ſcandalum & propter nefandum crimen nec in fine communionem accipere debere.* Reperiuntur quam plurimi alii canones in hoc concilio, qui communionem certorum criminum, ibi nominatorum, reis omnibus generatim etiam in fine dari prohibent. Et licet clerici non diſerte nominentur, ſine dubio tamen includuntur numero, quando iſta crimina, e. g. lapſus in idololatriam, [k] perpetua excommunicatione puniri iubentur, ſine vlla ſpe reſtaurationis in extremo vitæ articulo. Neque enim nobis perſuadeamus oportet, hoſce canones benigniores fuiſſe clericis quam aliis, ſiquidem idem concilium audiuimus eamdem illis pœnam alia occaſione inflixiſſe.

§. VIII.
Et concilii Romani *ſub* Felice III. ad an. CCCCLXXXVII *celebrati.*

CONCLVDAM haſce collectiones teſtimonio concilii cuiusdam *Romani*, ſub *Felice* III. an. CCCCLXXXVII habiti. Heic

(h) Concil. Illiberrit. can. LXXVI.
(i) Ibid. can. XIIX.
(k) Ibid. can. II. Flamines, qui poſt fidem lauacri & regenerationis ſacrificaverint - - placuit eos nec in fine accipere communionem. Vid. can. I. III. &c.

diuer-

diuerſorum epiſcoporum cauſſa cognoſcebatur, qui durante perſecutione *Vandalica* ab *Arianis* in *Africa* ſe rebaptizari paſſi erant. Qua de re decretum factum legimus huiuſmodi: *[l] Vſque ad exitus ſui diem in pœnitentia (ſi reſipiſcunt) iacere conueniet, nec orationi non modo fidelium ſed ne catechumenorum omnimodis intereſſe, quibus communio laica tantum in morte reddenda eſt.*

IAM ſi iſtis epiſcopis, presbyteris & diaconis communio laica negata & tantum in articulo mortis, interdum vero ne tunc quidem, conceſſa fuit, manifeſtum eſt, illos non potuiſſe eſſe veros & auctoritate præditos ſacerdotes, quia ad gradum laicis inferiorem in eccleſia detruſi erant, niſi quis dicere velit, poſſe quem eſſe ſacerdotem eccleſiæ auctoritate pollentem, qui ne quidem laicali auctoritate in ea gaudet. Numquam tamen eccleſia legem tulit de rebaptizandis illis, qui ab hiſce hominibus baptizati eſſent, ſed illos ſuſcepit, ſicut ſuſcepit alios per impoſitionem manus & confirmationem. Quod firmo nobis argumento eſt, ipſam non repetiiſſe baptiſmum laicorum, quandoquidem non ſolum baptiſmum eorum admiſit, quos ipſa laicos fecit, ſed illorum etiam, quos ad gradum laicis inferiorem deiecerat, dum eos excommunicationi & anathemati ſubiectos beneficio ac priuilegio excluſerat communionis laicæ in eccleſia.

CAPVT SEXTVM.

OBIECTIO ex notione indelebilis characteris, in ordinatione ſacerdotis cuiusdam impreſſi, deſumta examinatur & oſtenditur, nihil roboris habere contra allata ſupra teſtimonia. Cum recenſione primitiui ſignificatus huius locutionis in ſcriptis eccleſiæ.

§. I.

Quid per indelebilem characterem, in baptiſmate impreſſum, intelligatur.

VNA tantum obiectio habetur contra omnia, quæ in antegreſſa diſſertatione dicta ſunt, ad quam pro re nata iam reſponſum eſt: Quia autem nonnullis plus ponderis ad hanc rem adferre videtur, quam reuera adfert, propter ambiguam

(l) Conc. Rom. III. ſub Felice II. al. III. can. II. (Concil. tom. IV. p. 1076.)

guam verborum ſignificationem, diſtinƈte eam heic conſiderabimus. Obieƈtio hæc eſt: Quod indelebilis quidam charaƈter homini imprimatur, quando ordinatur ſacerdos, quem nulla hæreſis vel ſchiſma, vel deieƈtio de gradu ſacerdotali, vel excommunicatio poſſit oblitterare, vnde, licet ei muneris adminiſtratio interdicatur, non poſſit tamen ſacerdotii poteſtas & auƈtoritas auferri. Antecedens in hoc argumento quodammodo verum eſt, ſi recte explicetur & intelligatur: conſequens autem, quod inde infertur, omnino falſum eſt. Quod niſi falſum eſſet, eccleſia catholica ſemper in magno errore verſata fuiſſet, dum poteſtatem & auƈtoritatem ſacerdotum illis adimere auſa eſt; immo ne ipſius quidem DEI & CHRISTI poteſtas hoc facere potuiſſet, ſi hæc notio recte ſe habet. Nam eccleſia ſemper ſibi viſa eſt agere ex auƈtoritate DEI & CHRISTI, hoc eſt ex poteſtate clauium ſibi commiſſarum, in miniſteriali auƈtoritate illis ſacerdotibus auferenda, qui cenſuras ſuas commeruerant. Vt adeo, ſi eccleſia hoc facere non potuit, nec DEVS nec CHRISTVS hoc potuerit facere, vt certe eccleſia reprehendenda ſit, quod ſibi poteſtatem arrogarit, nullo modo ipſi competentem. Fundamentum autem rei eſt, quod indelebilis charaƈter ordinationis ſacerdotalis non ſignificet eiusmodi rem in opinione veterum, quam hæc obieƈtio ſtatuit. Neque enim vmquam ſibi perſuaſerunt, ſacerdotem aliquem vi huius charaƈteris auƈtoritatem ſuam miniſterialem, cum omnium cenſurarum eccleſiæ ſibi infliƈtarum contemtione, poſſe tueri; fuiſſe eum ſacerdotem, quando illum, munere ſacerdotali exutum & ad ordinem & conditionem laicorum redaƈtum, non eſſe ſacerdotem declararunt; fuiſſe eum ſacerdotem, quando ipſum, non ſolum a clericali ſed omni etiam eccleſiaſtica communione proieƈtum, anathemati ſubmiſerunt, & ſæpius ne quidem in articulo mortis ad communionem laicam admittere voluerunt. Miram quamdam vim indelebili charaƈteri ineſſe oportuit, ſi ſacerdotalem auƈtoritatem in ſacerdote quodam conſeruare potuit, poſtquam eccleſia tanto ſtudio conatuque id egit, vt eam illi adimeret. Operæ igitur pretium erit diſquirere, Annon hac in re inſit ſenſus quidam alienus, & annon ſiniſtra notio, quam de natura indelebilis charaƈteris nonnulli imbiberunt, eos

in errores de isto charactere abripuerit? Iam vero optima ratio perueniendi ad veram horum vocabulorum notionem & significationem est, vt examinemus primum quidem, Quid in baptismo significare putetur? Nam indelebilis quidam character æque in baptismo atque in ordinatione imprimi semper creditus est; quamquam non memini, concilium aliquod antiquum hac locutione de alterutro actu vsum esse, sed tantum aliquid dicere, quod perinde valere existimari possit. Et hoc est, quod ad baptismum attinet, Quod is, qui semel vere baptizatus est, nihil possit agere, quo baptismum suum eatenus eradere aut expungere valeat, vt vlla occurrente occasione necesse habeat secundo quodam baptismate tingi. Eatenus veteres indelebilem quemdam characterem in baptismo inesse crediderunt. Licet quis christianismum desereret & omnino deficeret a professione fidei illius; licet euaderet hæreticus & schismaticus; licet ipse se excommunicaret vel excommunicaretur ab ecclesia; licet amplecteretur gentilismum vel iudaismum aut aliam quamcunque religionem oppositam; licet CHRISTO in synagoga quadam vel templo malediceret; licet fieret *Iulianus* aliquis vel *Ecebolius*, *Deique filium proculcaret, & testamenti sanguinem pro profano haberet & gratiæ spiritum adficeret contumelia;* tamen, si post hæc omnia ad ecclesiam christianam rediret, non debebat secundo baptismate rursus admitti. Resipiscentia eius & absolutio ecclesiæ ad restituendum eum in integrum sufficere credebatur, nec rebaptizandus erat, vt iterum christianus efficeretur. Ecclesia vnum solum habebat baptismum pro peccatorum remissione, cuius virtus & efficacitas eatenus indelebilis erat, vt hominem, qui eum susceperat, idoneum & dignum redderet, qui post grauissimam fidei desertionem tantum per veram resipiscentiam & sacerdotalem manus impositionem, sine nouo baptismate, ad communionem denuo admitteretur. Hoc est, quod veteres per id intellexerunt, quod nos iam indelebilem characterem baptismi vocamus. Maxime vero alienum ab ipsis erat statuere, habere eiusmodi desertorem, quoad talis maneret, vllum ius vel vllam auctoritatem arrogandi sibi communia hominis christiani priuilegia. Nequaquam putabant, eum, dum esset paganus vel iudæus, esse adhuc proprie membrum ecclesiæ christianæ propter baptismum, quem olim susceperat; aut iure

suo

ſuo poſſe vocari chriſtianum, vel admitti ad preces eccleſiæ, & multò minus ad communionem cum aliis fidelibus laicis. Et tamen, his omnibus non obſtantibus, tantum chriſtianiſmi beneficio baptiſmatis in eo inerat, vt neceſſe non eſſet, ipſum tanquam iudæum vel paganum denuo baptizari. Baptiſmus illius talis erat, vt oblitterare eum nihil poſſet. Manſurus cum eo erat, quum deſertorem ageret, & ipſum vel ad orcum comitaturus, vel per viam reſipiſcentiæ, non rebaptizationis, ad cælum & eccleſiam reducturus. Si quis igitur quærat, An iſtiuſmodi deſertor ſiue apoſtata, quoad in iſta deſertione perſeuerauit, fuerit chriſtianus? Reſpondendum omnino eſt, quod non, aut certe cum diſtinctione in ſcholis vſitata, qua aliquid vel *ſimpliciter* vel *ſecundum quid* adfirmatur vel negatur. Nam ſimpliciter & abſolute loquendo incongruum eſſet & contra proprietatem ſermonis, vocare aliquem apoſtatam, iudæum, vel gentilem, vel muhammedanum, hominem chriſtianum. Verba enim & nomina, niſi limitationem habeant ad ſpecialiorem ſenſum, in ſenſu famoſiore accipienda ſunt, quo communiter intelliguntur. Iam vero per hominem chriſtianum, proprie loquendo, intelligimus hominem, in perfecta & plena communione cum eccleſia chriſtiana conſtitutum. Quare chriſtianæ religionis deſertor numquam abſolute & ſimpliciter vocatur chriſtianus, ſed deſertor ſiue apoſtata; ſiue ſit iudæus, ſiue paganus, ſiue muhammedanus, ſiue ſub alia quacunque denominatione. At vero eſt tamen aliquid chriſtiani in hoc apoſtata, hoc eſt, baptiſmus eius; cuius intuitu non eſt tam perfectus non-chriſtianus, quam qui numquam baptizatus fuit. Quod ſi quis hoc tantum reſpectu, in tali ſenſu minus proprio, eum vocare voluerit apoſtatam chriſtianum, quod eſt, vt ſcholæ loquuntur, tantummodo chriſtianum ſecundum quid, ratione baptiſmi, quem aliquando in eccleſia chriſtiana recepit & qui perpetuo cum ipſo manſurus eſt; ego non exiſtimo de verbis aut nominibus litigandum eſſe, vbi de valore & ſignificatu eorum conſentimus. Sit chriſtianus hoc ſenſu, non habet tamen, vſque dum reſipiſcat & reconcilietur, quidquam iuris vel auctoritatis coniungendi ſe in communione cum veris chriſtianis laicis, non obſtante indelebili baptiſmi ſui charactere. Qui vero aliquid plus

de hoc charactere effingere volent, illi nec quid iste sibi velit, nec quæ fuerit vera ecclesiæ disciplina, respectu habito ad baptismatis iterationem, intelligunt.

§. II.

Eandem esse indelebilis characteris ordinationis naturam.

POSTQVAM omne arcanum, quod sub duris his vocabulis, *indelebilis character*, in baptismo latet, perspeximus: examinemus iam, annon eadem prorsus ratione se habeat indelebilis character ordinationis. Sacerdos, quando ordinatur, recipit beneficio impositionis manuum talem consecrationem ad officium ministeriale, quam nullo vmquam tempore iterari necesse est, vt in illius officii exsecutione confirmetur. Est heic idem omnino indelebilis character, qui in baptismo. Nihilo magis quempiam iterum ordinari oportet quam denuo baptizari. Quod si vero sacerdos aliquis idololatrá vel apostata fiat offeratque sacrificium in aris gentilium loco altaris Dei? An auctoritatem vere christiani sacerdotis, vel nomen & officium sacerdotis retinebit, diabolica ista præuaricatione implicatus? Num vis & efficacia indelebilis characteris statui potest per canones ecclesiæ eo se extendisse? Hoc qui adferunt aliisque persuadere volunt, prorsus ita esse, illos oportet prius pugnantia & contraria inter se conciliare & ostendere, quomodo quis auctoritatem sacerdotis habere possit, vbi sua ipsius apostasia, & Deus atque ecclesia per censuras suas auctoritatem ei eripuit. Producant hanc in rem idonea testimonia ex antiquis conciliis, qualia ego produxi in contrarium, atque ita fortassis notio indelebilis characteris plus ponderis habere videbitur, quam ego illi tribûi. Ante autem, quam hoc factum fuerit, aut vix aut nullo modo prudentioribus persuadebunt, sacerdotem defectorem ius & auctoritatem vere christiani sacerdotis aliquanto magis retinere, quam laicus desertor ius & auctoritatem retinet vere christiani laici. Potest quidem sacerdos, si ecclesiæ videatur expedire, rursus admitti ad communionem clericalem sine noua ordinatione, vti laicus ad communionem laicam sine nouo baptismate admitti potest: sed hoc omne est, quicquid indelebilis character significare potest in vtroque. Non dat sacerdoti

cerdoti apostatæ auctoritatem agendi pro sacerdote Dei, dum apostata manet, & a Deo & ab ecclesia priuatus est auctoritate sacerdotii. Si ecclesia, exigente magna quadam necessitate, talem quempiam in officium suum rursus reciperet (quod numquam faciebat nisi extraordinaria quadam necessitate adacta) tum non opus erat noua ordinatione, sed tantum censurarum relaxatione, & restitutione auctoritatis, quam crimina eius & censuræ ecclesiæ ipsi ademerant. Eadem quoque ratio baptismatis erat. Non necesse erat apostatam denuo baptizari, vt ad communionem laicorum admitti posset: Similiter necesse haud erat quempiam iterum ordinari, vt ad communionem clericorum posset admitti. Modus admittendi vtrumque vnus idemque erat; fiebat hoc per resipiscentiam & absolutionem sine rebaptizatione vnius & reordinatione alterius. Vt adeo notio indelebilis characteris nihilo plus in illius quam in huius caussa significare potuerit. Quare sicut laicus apostata non habebat ius & auctoritatem laici christiani, quoad in desertione contumaciter persisteret, non obstante indelebili baptismatis charactere; admitti autem rursus poterat ad communionis laicæ priuilegium sine rebaptizatione, si ecclesia vinculis eum suis soluendum & per potestatem clauium sibi concreditarum reconciliandum duceret: Ita quoque sacerdos apostata non habebat ius & auctoritatem christiani sacerdotis, quoad apostata manebat, non obstante vi & efficacitate indelebilis characteris ordinationis; sed tantum poterat denuo officio suo fungi sine noua ordinatione, si ecclesia expedire crederet eum muneri sacro rursus præficere, restituendo ei auctoritatem, quam per censuras suas ipsi abstulerat. Quod nisi concedatur, omnia antiqua concilia statuimus absona atque absurda loqui, eademque præterea de tyrannide & illicita vsurpatione accusamus, dum auctoritatem Dei præ se tulerunt in auferendo sontibus clericis nomine, officio & auctoritate sacerdotali, quum talis potestas illis concredita haud fuerit. Quid? quod omnis disciplina ecclesiæ heic finem inuenit, quantum ad censuram in delinquentes clericos attinet. Laicos suos refrænare & corrigere eosque omni iure ac titulo communionis christianorum laicorum priuare poterit; at omnes eius censuræ in clericos nihil nisi brutum fulmen erunt. Nam si, postquam sacerdotem quemdam de gradu deiecit dixitque, eum nec esse,

nec debere esse sacerdotem; eum nec nomen, nec officium, nec dignitatem, nec auctoritatem sacerdotis retinere, sed tantum vt priuatum laicum agere & communicare debere: si, postquam sacerdotem contumacem etiam anathemati submisit, de ecclesia proiectum & ad statum laicis inferiorem detrusum, his omnibus non obstantibus, hic sacerdos gloriari potest, se beneficio indelebilis characteris, post omnia fulmina ecclesiæ in se explosa, verum & auctoritate præditum sacerdotem esse, perinde vt antea: Quid tum omnis potestas & disciplina ecclesiæ eiusque auctoritas puniendi & coërcendi sacerdotes reos & desertores futura est? Censura conscientiam sacerdotis adficere posse videtur, non eius auctoritatem. Hæc ei integra mansura est vi indelebilis characteris, quacunque auctoritate ad illam ei adimendam ipsumque gradu suo deiiciendum vsa fuerit ecclesia. Ego de huius interminatæ potestatis defensoribus optarem, vt ne auctoritatem ecclesiæ perfoderent, dum auctoritatem sacerdotii tanto studio defendere videri cupiunt. Quæso illos, perlustrent omnes antiquorum conciliorum canones, vti ego hac occasione feci, & videant tum, an vel vnum aliquem canonem inuenire possint, qui tantam vim indelebili characteri tribuat, quantam habere venditatur.

§. III.

Nomen indelebilis characteris non inueniri in vllo antiquo concilio.

VERVMENIMVERO nomen *indelebilis characteris* ne semel quidem in vllo actu vel canone antiquorum conciliorum expresse occurrit. Et qui, postquam synodice receptum fuit, quam diligentissime illud perquisiuere & inuestigarunt, numquam nisi in concilio *Florentino* & concilio *Tridentino* inuenire potuerunt. Quæ res arguit, conciliis antiquioribus id fuisse ignotum. At vero si nomen ignorant, rem ipsam tamen in aliis verbis nihilo secius noverint? Ita est, sensu modificato, quo illud explanaui. Confitentur, ei, qui semel in recta forma, siue in ecclesia, siue extra ecclesiam, siue a catholico & veram auctoritatem habente sacerdote, siue ab apostata hæretico baptizatus sit, numquam opus esse secundo baptismate, quo ecclesiæ post contractam aliquam culpam reconcilietur. Similiter confitentur, ei, qui semel rite ordi-

ordinatus ſit ſacerdos, numquam opus eſſe ſecunda ordinatione, qua idoneus reddatur ad miniſtrandum in eccleſia, ſi eccleſiæ expedire videatur, ipſum denuo in munus ſuum immittere eique auctoritatem ſuam & mandatum dare agendi pro miniſtro, poſt inſignem quamdam apoſtaſiam vel cenſuram. Numquam autem dicunt, ſi quem apoſtatam omnibus anathematis & excommunicationis vinculis ſubiecerint, ſi quem omni clericali poteſtate & auctoritate ſpoliarint, eum adhuc habere auctoritatem ſacerdotis, vbi illam ei ademerint. Talem indelebilis characteris notionem auſim adfirmare in nullo concilio antiquo reperiri.

§. IV.

Quo ſenſu Auguſtinus *indelebilem characterem agnoſcat & admittat in ſacerdotibus hæreticis.*

PATRES quidam baptiſmum ſæpiſſime vocant σφραγῖδα & σημεῖον, quod indiſcriminatim reddimus vel *ſigillum*, vel *ſignum*, vel *notam*, vel *characterem*. Et in AVGVSTINO vocabula *character dominicus* & *character regius* frequentiſſima ſunt, vbi de baptiſmo ſermo eſt. Sed vero ſub hac appellatione ipſum ſolum baptiſmum intelligunt; nec vllum diſtinctum *characterem*, vel *qualitatem*, vel *ſpirituale ſignum* animæ impreſſum idque adeo diſtinctum a gratia ſanctificante, vti recentiores ſcholaſtici id amant reddere. Erat enim tantummodo aliud nomen *baptiſmi*, qui erat *nota* ſiue *character*, quo conſummati chriſtiani, qui CHRISTO ipſi ſeſe addixerant, diſtinguebantur a iudæis & paganis, talem characterem in ſe non habentibus. Et idcirco quatenus baptiſmus erat indelebilis, eatenus hic character indelebilis erat, non autem vlterius. AVGVSTINVS eamdem appellationem de ordinatione adhibet, et rationem indelebilem baptiſmi & ordinationis, mea quidem ſententia, in hoc ponit, Quod is, qui ſemel vere baptizatus vel ordinatus eſt, numquam ſecundo baptiſmate vel ſecunda ordinatione egeat. *In baptizato*, inquit, *baptiſma inſeparabiliter permanere* [a] *manifeſtum eſt, quia in quodlibet profundum malorum & in quamlibet horribilem voraginem peccatorum irruat baptizatus vſque ad*

(a) Auguſt. de bapt. lib. V. cap. XV.

apo-

apostaticam ruinam, non caret baptismo; et ideo per pœnitentiam redeunti non redditur, quia eo non potuisse carere iudicatur. Sæpius hoc repetit in libris suis aduersum *Donatistas* [*b*], et præterea obseruat, CYPRIANVM ipsum [*c*] omnesque eius sectatores idem sentire. Id quod ex diuersis CYPRIANI epistolis [*d*] & concilio *Carthaginensi*, quod sub CYPRIANO celebratum est, apparet. Quamvis enim eos rebaptizarent, qui ab hæreticis & schismaticis baptizati fuerant, nullum tamen eorum rebaptizarunt vmquam, qui in ecclesia essent baptizati, licet lapsi vel apostatæ facti essent, vel ab ecclesia defecissent in hæresin aut schisma, quod crederent cum AVGVSTINO, nullum crimen adeo posse baptismum oblitterare aut exstinguere, vt apostatam redderet secundi cuiusdam baptismatis indigum. Et sicut laicus apostata non poterat indigere nouo baptismo, quo fieret perfectus christianus laicus, sed tantum pœnitentia & absolutione, vt in plenam communionem cum ecclesia rursus admitteretur; ita clericus apostata, etsi ad communionem

(*b*) Aug. de bapt. lib. I. cap. I. Nullus illorum negat habere baptismum, etiam apostatas, quibus vtique redeuntibus & per pœnitentiam conuersis, dum non redditur, amitti non potuisse iudicatur. Ibid. lib. VI. cap. XV. Hæc admonemur iterum quærere, cur dixeris, exceptis his sane, qui in ecclesia catholica fuerant ante baptizati? An quia non amiserant, quod intus acceperant, &c. Id. contr. Petit. lib. II. cap. VII. Qui baptizati apostatant & per pœnitentiam redeunt, non eis redditur baptismus, quem si amitterent, redderetur. Cap. XLVIII. Apostatæ si redeunt, non, quasi eum (baptismum) amiserint, baptizantur, sed quod in se permanenti iniuriam fecerint, humiliantur.

(*c*) Aug. de bapt. lib. III. c. XI. Hoc enim ipse Cyprianus etiam cum ceteris statuit, vt si ab hæresibus redirent ad ecclesiam, quicunque in ea fuerant in ea baptizati, non iam per baptismum sed pœnitentiam reciperentur: vnde constat, eos non posse amittere recedentes, quod non recipiunt remeantes.

(*d*) Cyprian. epist. LXXI. ad Quint. p. 194. (p. m. 303.) Quod nos quoque hodie obseruamus, vt quos constet hic baptizatos esse, & a nobis ad hæreticos transiisse, si postmodum peccato suo cognito & errore digesto ad veritatem & matricem redeant satis sit in pœnitentiam manum imponere.

Id. epist. LXXIV. ad Pompeium p. 216. (p. m. 318.) Obseruatur a nobis & tenetur explorata & perfecta veritate, vt omnes, qui ex quacumque hæresi ad ecclesiam conuertuntur, ecclesiæ vnico legitimo baptismo baptizentur, *exceptis his, qui baptizati in ecclesia prius fuerant* & si ad hæreticos transierant: hos enim oportet, quum redeunt, acta pœnitentia per manus impositionem solam recipi.

laicam

laicam redactus aut infra hanc amandatus, egere non potuit noua ordinatione, ſed tantum auctoritate & mandato eccleſiæ, vt vinculis ſuis ſolueretur & clericali poteſtate rurſus indueretur; quod eccleſia faciebat per abſolutionem ſiue poteſtatem clauium, non autem per nouam ordinationem. Eatenus igitur AVGVSTINVS [e] & veteres omnes conceſſerunt, baptiſmum & ordinationem inſeparabiliter illis dari, quibus dentur. Eatenus actus indelebiles ſunt, vt eorum neutrum neceſſe ſit in apoſtatis iterari. Quod vero apoſtatæ, quoad apoſtatæ manent, ſint proprie dicti & vera auctoritate præditi ſacerdotes, hæc quidem doctrina eſt eiuſmodi, quam in nullo antiquo eccleſiæ concilio, nec in vllo ſcriptore priuato inuenias.

§. V.

Quid pontificii *intelligant per ſuum indelebilem characterem.*

DIXERIT autem quiſpiam, recentiores ſcriptores indelebilem characterem alio ſenſu accipere & eo extendere, vt auctoritatem ſacerdotis in eo conſeruet, etiam poſtquam eccleſia per legitimas cenſuras ſuas ipſum gradu deiecit vel excommunicauit. Sed vero, quinam ſunt iſti recentiores ſcriptores? Suntne ex pontificiis aut ex proteſtantibus? Pontificii, fateor, prorſus aliam rem faciunt indelebilem characterem, quam quidem veteres, tametſi intelligenti lectori vix dicere poſſunt, quid per illum intelligant. Alii vocant ſpiritualem adfinitatem, alii ſpiritualem qualitatem impreſſam animæ, tamquam effectum baptiſmi, ab externo ſacramento pariter & interna ſanctificante gratia eius diſtinctum. Quæ abſtruſa loquendi ratio eſt, veteribus omnino

Concil. Carth. ap. Cyprian. n. VIII. Cenſeo, omnes hæreticos & ſchiſmaticos, qui ad catholicam eccleſiam voluerint venire, non ante ingredi, niſi exorcizati & baptizati prius fuerint, *exceptis his ſane, qui in eccleſia catholica fuerint ante baptizati.* Et num. XXII. Cenſeo, flebiles & tabidos hæreticos baptizandos eſſe, quum ad eccleſiam venire cœperint - - *abſque his, qui de eccleſia fideles ſupplantati*, ad hæreſis tenebras tranſierunt, ſed eos per manus impoſitionem reſtituendos.

(*e*) Aug. contr. Parmen. lib. II. cap. XIII. vid. cit. ſupra Part. I. cap. I. §. XVI. ad litt. (c) pag. 33.

incognita. Quæcunque autem natura illius fuerit, eatenus cum veteribus consentiunt, indelebilem illius rationem in eo consistere, Quod baptismus vere semel datus haud vlla occasione repeti debeat. Quod ad characterem sacerdotis attinet, paullo longius a doctrina veterum videntur recedere. Nam non satis habent dicere, esse istiusmodi indelebilem characterem, qui sacerdotem munere exutum idoneum reddat ad ministrandum rursus sine noua ordinatione, si ecclesia ipsum ad stationem suam reuocandum ducat: sed volunt, eum esse potestatem & auctoritatem spiritualem perpetuam, animæ sacerdotis impressam, quam nulla muneris ademtio auferre ei possit. Ita enim ROBERTVS BELLARMINVS [*f*], magnum illud ecclesiæ *Romanensis* oraculum, expressis verbis hanc opinionem catholicam venditat. Quod communi opinioni antiquæ ecclesiæ æque contrarium est, atque doctrina concilii *Tridentini* contraria est doctrinæ & disciplinæ priorum sex generalium conciliorum; quæ omnem potestatem & auctoritatem clericis ab officio dimotis aufert, vsque dum ecclesia vtile esse existimet, per censurarum suarum relaxationem, auctoritatem illis pristinam reddere. Manifesta est repugnantia & contrarietas in stilo & lingua antiquæ ecclesiæ aduersus hanc nouam recentiorum scriptorum doctrinam. *Nos malum sacerdotem potestate & auctoritate sacerdotii priuamus*, inquiunt antiqua concilia. *Nequaquam*, inquit BELLARMINVS, *hoc potestis facere; officium ei abrogare potestis; sed spiritualem potestatem eius auferre non potestis, vtpote quæ animæ eius per indelebilem characterem impressa remanet. Nos facimus ipsum sacerdotem nullum*, inquiunt concilia antiqua, *nec nomen quidem sacerdotis ei relinquimus; nos eum ex ordine sacerdotum ad ordinem laicorum reducimus. Tacete*, inquit *Bellarminus*, *Nemo nisi huius æui haeretici hoc faciunt. Non est situm in potestate ecclesiæ, quempiam, qui hoc die sacerdos factus est, proximo die facere laicum.* Anne hoc est, omnes antiquæ ecclesiæ patres hæreticos facere, & loqui stilo illis prorsus igno-

(*f*) Bellarm. de sacram. ordinis lib. I. cap. X. tom. II. p. 970. Conuenit inter catholicos, duplicem esse effectum huius sacramenti, primo potestatem spiritualem perpetuam, in cuius signum inprimitur character, cetera.

to?

to? Nisi quis forte BELLARMINI verba emollire velit & dicere, eum per potestatem spiritualem perpetuam & characterem sacerdotis nihil amplius intelligere, quam quod ecclesia, si ipsi sic placeat, ad munus suum eum reuocare possit sine noua ordinatione.

§. VI.

Quatenus indelebilis character admittatur a scriptoribus protestantibus.

VERVM in pingui verborum sensu nihilo magis doctrinæ & praxi antiquæ ecclesiæ, quam vniuerso protestantium scriptorum choro aduersatur. Ipse BELLARMINVS hoc fatetur. Ait enim, *Hæretici huius temporis characterem* [g] *præcipue negant. Volunt enim ministerium ecclesiasticum esse simplex officium, quod possit dari & auferri, proinde cras fieri laicos, qui sunt hodie ministri & pastores.* Hæc tum generalis protestantium sententia fuit de hoc nouo charactere *Romano*, nisi BELLARMINVS eam repræsentet perperam. Non multum autem iniuriæ illis eum facere, ex iis apparet, quæ concilio *Tridentino* statim opposuerunt, simulatque istum canonem de indelebili charactere cum anathemate (quasi maximus fidei articulus esset) contra illos promulgauit, qui fidem ei non haberent. IOANNES CALVINVS scripsit *antidotum suum* & MARTINVS CHEMNITIVS *examen concilii Tridentini*, vterque characterem istum tamquam commentum recens excogitatum reiiciunt & explodunt. CALVINVS ait [h]: *Quod de charactere indelebili fabulantur, ex eadem prodiit officina;* (indoctorum monachorum schola:) *nam veteribus hoc totum ignotum fuit, et magis consentaneum est incantationibus magicis, quam sanæ euangelii doctrinæ. Eadem ergo facilitate repudiabitur, qua excogitatum fuit.* DANIEL CHAMIERVS sententiam CALVINI de nouitio inuento fuse confirmat, non solum ex patribus, sed ex ipsis etiam scholasticis [i], DVRANDO & SCOTO & GABRIELE BIEL, et DE RVBIONE & CAIETANO,

(g) Bellarmin. ibid.
(h) Caluin. antidot. concil. Trid. sess. VII. can. IX.
(i) Chamier. panstrat. tom. IV. de sacramentis lib. II. cap. XII. n. IV. Accusat Caluinus hoc quidquid est commenti, tanquam incognitum scripturæ:

qui omnes confitentur, neque in ſcriptura, neque in antiquitate eccleſiaſtica vllum eius veſtigium exſtare, ſed in totum ex auctoritate eccleſiæ & non multum antiqua haberi. Nam dignum obſeruatu eſt, quod PETRO LOMBARDO ignotus fuerit. Nullius characteris mentionem facit niſi characteris [k] CHRISTI in baptiſmo, per quem externam tantum formulam baptizandi, *In nomine PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI* intelligit, quæ forma characteris ſatis antiqua eſſe conceditur, ſed longe differt ab interna illa qualitate, quæ animæ inprimi perhibetur. Qui plura videre geſtit, quæ ſcriptores proteſtantes contra hanc nouellam pontificiorum doctrinam monuerunt, is MARTINVM CHEMNITIVM [l], ANDREAM RIVETVM [m], CONRADVM

ſed & recens. In quo venit merito vapulanda Cotoni impudentia, qui hoc ipſo eum loco dixit fateri antiquitati fuiſſe cognita. Sed habuit Caluinus conſcios ex ipſis Scholaſticis. Durandus enim ſic diſerte, *Omnes moderni,* inquit, *profitentur, inprimi characterem in aliquibus ſacramentis: & nos loquentes vt plures, dicamus cum eis characterem non nihil eſſe.* Caietanus etiam, *Sacramenta inprimere characterem ex ſacra ſcriptura non habetur: ſed ex eccleſiæ auctoritate & non multum antiqua;* ſed & Scotus teſte Soto, *tenuiſſimam opinionem oſtendit ſe habere de charactere. Contendit enim probare, huiuſcemodi aſſertionem neque ex ſacris litteris, neque ex ſanctorum patrum teſtimoniis colligi poſſe, neque vero per rationem naturalem. Et ſubiungit, quod quum neque magiſter ſententiarum, neque Gratianus de conſecratione diſtinctione quarta, vbi ſententias patrum de baptiſmo computauit, de charactere mentionem fecerit, indicium eſt, non eſſe effectum ita multum neceſſarium.* Nihilo minus *propter ſolam eccleſiæ auctoritatem totam non exiſtimat ipſum negare.* Gabriel, *Concluſio prima: characterem eſſe ponendum eo modo, quo definitus eſt, nec ratio neceſſaria demonſtrat, nec euidens auctoritas probat.* Immo De Rubione, *Concluſio prima eſt, quod non oportet ponere characterem modo prædicto ſumtum inprimis alienum ſuſcipienti aliquid per ſacramentum.* Paullo poſt, *Tertia concluſio eſt, quod character ponitur in eſſe de facto ab eccleſia. Hæc concluſio eſt vulgata, licet non videatur multum certa; quum nec ad hoc eſſe expreſſa determinatio eccleſiæ videatur.*

(k) Lombard. lib. IV. diſtinct. VI. p. 303. Ex his aperte colligitur, quod qui etiam ab hæreticis baptizati ſunt, ſeruato charactere Chriſti, rebaptizandi non ſunt.

(l) Chemnit. exam. concil. Trid. part. II. ad can. IX. ſeſſ. VII. (p. 45. 46. 47. edit. Francof. MDCVI. 8uo.)

(m) Riuet. cathol. orthodox. tract. III. quæſt. VI. (tom. III. opp. Roterod. MDCLX. p. 308. 309.)

VOR-

VORSTIVM [n], IOANNEM GERHARDVM [o], HENRICVM ALTINGIVM [p], GVILIELMVM PERKINSIVM, GVILIELMVM AMESIVM (q) & alios huiusmodi scriptores consulat, qui de hoc argumento peculiares dissertationes composuerunt. Ego in praesenti vnum tantum ex illis FRANCISCVM TVRRETINVM, virum magno iudicio multaque doctrina praeditum in vltimo hoc saeculo, proferam. Verba eius hac de materia, a LEONHARDO RÜSSENIO (r) epitomatore eius in summam redacta, ita habent: *Pontificii docent, characterem esse signum spirituale & indelebile impressum siue in animae substantia, siue in eius potentiis, vi & efficacia trium sacramentorum baptismi, confirmationis & ordinis, et hanc volunt esse caussam, propter quam haec tria sacramenta non sunt iteranda, quod nempe imprimant characterem indelebilem. - Nos tale commentum reiicimus, et dicimus, fideles duplex habere sigillum, internum vnum, nimirum SPIRITVM SANCTVM, quo obsignantur in diem redemtionis; alterum externum, nimirum baptismum, quo distinguimur a Turcis, Iudaeis & aliis Infidelibus; sed nullum alium characterem agnoscimus.* Nihil, mea quidem sententia, planius esse potest quam hoc, quod indelebilis character, pro quo tantopere dimicant *Romanenses*, sit purum putum commentum, et tam sensu protestantium quam doctrinae patrum primitiuae ecclesiae contrarium, qui vtrique indelebilem characterem admittunt, vt qui significet externam formam baptismi, vel formam ordinationis, quam non necesse sit iterari; negant autem & pernegant alium quemdam characterem, imprimentem animae sacerdotis spiritualem quamdam potestatem, per quam habeat auctoritatem sacra officia perpetuo administrandi, non obstante vlla vel depositione vel excommunicatione. Tantum abest, vt protestantes hoc admittant, vt illorum quidam ordinationem sine sacrilegio repe-

(n) Vorst. antibellarm. p. 361.
(o) Gerhard. loci commun. tom. IV. de sacramentis, num. XCV. p. 184.
(p) Alting. theol. elenctica loc. XIV. p. 594. 595. 596. 597.
(q) Perkins. demonstratio problematis p. 130. (p. 278. 279. 280. edit. Hanou. MDCIV. 8uo.)
* Ames. Bellarmin. eneruat. tom. III. cap. V. p. 47.
(r) Rüssen. comp. theologiae Turretin. loc. XVII. p. 242.

ti posse existiment. Ita IOANNES CALVINVS, MARTINVS CHEMNITIVS, HENRICVS ALTINGIVS & FRIDERICVS BALDVINVS; et obseruari meretur, *Geneuae* caerimoniam ordinationis repeti, si quis minister ab ecclesia alia ad aliam transločetur, quemadmodum in dissertatione quadam alius generis [s] ante hac edita ostendendi habui occasionem. Sed & illi, qui putant, hoc neque necessarium neque conueniens esse, neque ipsum apostatam vel haereticum sacerdotem per nouam ordinationem ad pristinum officium denuo admitti oportere, non tamen contendunt, esse aliquem sacerdotem auctoritate instructum, postquam auctoritate ecclesiae munere suo prorsus exutus est; sed confitentur, habere ecclesiam potestatem auferendi istiusmodi delinquenti sacerdoti omnem sacerdotalem auctoritatem, si necessarium esse credat, eumque reducendi ad statum laici. Confitentur item, fuisse reuera multis in casibus talem disciplinam & praxin ecclesiae primitiuae, qualem ego illam repraesentaui cum approbatione, vt confido, ingenui cuiusque lectoris & conuictione quorundam errantium fratrum meorum, qui forte vtiliorem operam ecclesiae praestituri essent, si in diligenter studioseque perquirenda & explananda antiquae ecclesiae disciplina partem aliquam sustinere mecum vellent, quam vbi semetipsos & alios perplexis & intricatis, interdum etiam periculosis, scholasticorum notionibus impediunt. CHAMIERVS sane non dubitat adfirmare, posse per ecclesiae antiquae disciplinam nocentem sacerdotem ordine suo priuari & fieri laicum. Explicans enim antiquum morem redigendi clericos ad communionem laicam (quam BELLARMINVS & alii quidam de communione sub vna specie, secundum phrasin modernam, inscite & falso intelligunt) ait: *Disce appellatam fuisse laicam, non a loco, non ab speciebus, non a tempore, sed a persona: nimirum, quod qui ante fuerat clericus, siue in clericorum nomenclatura* (t), *nunc sit laicus, & in laicorum ordine.* Ad summam, videmus iam perspicue, secundum antiquam ecclesiam & ex opinione protestantium posse sontem sacerdotem ordine suo deiici & fieri laicum, non obstante, qui a pon-

(s) Vid. differt. IV. in conclusione.
(t) Chamier. panstrat. tom. IV. de eucharist. lib. IX. cap. III. num. XXXVII. pag. 487.

tificiis

tificis venditatur, indelebili charactere, imprimente in animo eius ſpiritualem poteſtatem, quem antiqua eccleſia omnino ignorauit, et ſcholæ proteſtantium reiiciunt tamquam inuentum nouitium. Ex quibus omnibus concludendum eſt, clericum loco ſuo ſic dimotum non eſſe amplius ſacerdotem auctoritate præditum ſeu publicum miniſtrum eccleſiæ catholicæ, ſed hominem priuatum in ordine laicorum. Omnes item hæreticos & ſchiſmaticos, ab eccleſia ſollemniter gradu deiectos, eodem fuiſſe loco, hoc eſt, in ordine & conditione laicorum, hoc ſolum cum diſcrimine, vt, ſi eccleſia, magna quadam neceſſitate exigente, vtile eſſe arbitraretur, ad priſtinam ſuam ſtationem, eos reuocare, non nouam ordinationem, ſed nouam tantum auctoritatem, ſeu nouum mandatum, quo antea carebant, eis dandum eſſe exiſtimaret. Neque tamen vmquam eos rebaptizabat, qui ab iſtis hominibus in ſtatu auctoritatis experte, rite baptizati fuerant. Vnde manifeſto ſequitur, vt baptiſmum laicorum auctoritate deſtitutorum ſuſceperit, quia baptiſmum eorum admiſit, quos laicos, omni illis clericali auctoritate ablata, faciebat. Id quod demonſtrare inſtitui. Quam ſolide autem & ſincere, nullo vſus artificio aut ſophiſmate, ex puro veritatis hiſtoricæ fonte hoc probauerim ſine exceptione, cuiusque lectoris præiudicatis opinionibus liberi iudicio relinquo, argumento tantum memoriæ cauſſa adhuc ſemel repetito.

BAPTISMVS depoſitorum hæreticorum, ſchiſmaticorum, gradu deiectorum clericorum & excommunicatorum clericorum eſt baptiſmus hominum auctoritate carentium, vel effectorum laicorum, vel ad gradum laicis inferiorem detruſorum, ex generali catholicæ eccleſiæ ſententia.

ATQVI baptiſmus eiusmodi depoſitorum hæreticorum, ſchiſmaticorum, gradu deiectorum clericorum & excommunicatorum clericorum, debita quidem forma adminiſtratus, ab eccleſia catholica ſemper admiſſus eſt ſine rebaptizatione.

ERGO baptiſmus auctoritate carentium laicorum, vel ad gradum laicis inferiorem detruſorum, debita quidem forma adminiſtratus, ab eccleſia catholica ſemper admiſſus eſt ſine rebaptizatione.

PRO-

Propositio maior huius argumenti in hac dissertatione, & propositio minor in priore huius historiæ parte ita plane probata est, vt ipsi aduersarii acquieuerint, non habentes, quod amplius opponerent. Et si ambæ præmissæ recto stant talo, fieri non potest, vt labefactetur conclusio.

§. VII.

Quanam reuerentia iudicio ecclesiæ catholicæ in talibus capitibus disciplinæ, cuiusmodi & rebaptizatio & reordinatio est, debeatur.

Qvidqvid in hoc capite addam, tantummodo est opportuna quædam & vtilis animaduersio in ea, quæ hactenus dicta sunt, ad opinionem & iudicium ecclesiæ catholicæ de hac materia declarandum, nimirum, Quod magna reuerentia sapientiæ & auctoritati eius debeatur in omnibus eiusmodi controuersis disciplinæ capitibus, cuisumodi sunt hæc de rebaptizatione & reordinatione hæreticorum, schismaticorum aliorumque auctoritatis expertium laicorum, tum quia sunt res disciplinæ, tum quia in scriptura sacra non videntur tam exacte & expresse determinata. Concilium *Nicænum* hæreticos *Meletianos* denuo ordinari, *Nouatianos* autem sine noua ordinatione recipi iubet. Et tamen ordinationes *Meletianorum* tam bonæ erant quam *Donatistarum* & aliquanto magis canonicæ quam *Nouatianorum*. At enim priuatum quemque decebat ad diuersas hasce determinationes sese accommodare, nec hanc vel illam ob caussam disturbare & rumpere pacem & communionem ecclesiæ, sed auctoritati & sapientiæ eius sese submittere, vt qui persuasus esse poterat, habuisse eam idoneas rationes & auctoritatem in vtroque casu res ita disponendi, prout ipsa iudicaret ad communem rei christianæ vtilitatem omnium maxime facturum. Ita si sanciuisset, vt omnes ab hæreticis vel schismaticis, vel laicis auctoritatis expertibus baptizati denuo baptizarentur, existimo, sapientem quemque & bonum virum huic regulæ disciplinæ se submittere debuisse potius, quam vt propterea communionem solueret ecclesiæ. Quando autem omni tempore contrarium statuit, non leue crimen esse puto in hodiernum vsque diem, si quis priuatus opiniones suas communi

ni ſententiæ & praxi vniuerſalis eccleſiæ opponat, cuius rei effectus alius eſſe non poteſt, niſi vt flammæ ſuſcitentur, diſturbetur pax & mentibus hominum infiniti ſcrupuli iniiciantur de ſuo ipſorum baptiſmo. Quæ damna niſi timuiſſem, numquam tam operoſum & moleſtum laborem in inueſtigandam antiquam diſciplinam & praxin eccleſiæ hac in re inſumſiſſem. Nunc demum autem tempus eſſe exiſtimo imponendi huic diſputationi finem, poſtquam res omnes, quæ vlla ratione eo referri poſſunt, tanta cum diligentia pertractatæ atque illuſtratæ ſunt. Quare finem dicendi de hac materia faciam, ſi pars aduerſa me quiete pergere ſiuerit in opere magis neceſſario (in quo iam progreſſus quosdam feci, nec, mea quidem ſententia, ſine generali eccleſiæ commodo & approbatione) quam primum paucas quasdam difficultates de ordinationibus, baptiſmis & communione hæreticorum diſcuſſero, quæ intelligenti lectori fortaſſis occurrerint.

CAPVT SEPTIMVM.

Reſolutio quarumdam difficultatum de communione hæreticorum & de illorum baptiſmis atque ordinationibus.

§. I.

Num liceat communionem habere cum ſacerdotibus hæreticis, antequam gradu ſuo deiecti ſint.

PRIMA difficultas ſuboriri poteſt de communicatione cum ſacerdotibus hæreticis. Nam ſi ſecundum doctrinam veterum non ſunt legitimi & vera auctoritate præditi ſacerdotes, ſed tantum laici aut laicis adhuc inferiores; illicitum videtur eſſe, communionem cum ipſis in vllo actu miniſteriali habere, & tamen duobus in caſibus fere neceſſe eſſe videtur id fieri. 1) Quum nondum plane detecti aut cenſura adfecti ſunt ab eccleſia. 2) Quum vniuerſa quædam eccleſia in hæreſin incidit nec inueniuntur niſi eiusmodi ſacerdotes, cum quibus communio habeatur. Prior caſus non habet multum difficultatis. Veteres enim concedunt, antequam hæretici prorſus manifeſti fiant, conuincantur & cenſura adficiantur ab eccleſia, poſſe homines cum

illis innocenter communicare. Sæpiſſime hoc accidit gliſcente hæreſi *Ariana*. Hæretici præ ſe ferebant, ſe eſſe catholicos, occultantes ſe ſub verbis catholicis fidemque ſuam iisdem ſymbolis & verborum formulis, quibus vtebantur catholici, profitentes eodem tempore, quo ſenſum illis æquiuocum & hæreticum tribuebant. Hoc ſubtile artificium, hic dolus malus *Arianorum* erat, qui ab *Euſebio*, epiſcopo *Nicomediæ* anteſignano ſuo, *Euſebiani* vocabantur, per omnem ætatem *Conſtantini*, & quorumdam ex illis tempore *Conſtantii*. Non audebant ſynodo *Nicænæ* formaliter & directe ſeſe opponere, & idcirco ſymbolo eius vtebantur loquentes & docentes, ſicut reliqui catholici, ſanorum verborum forma, ſatis habentes, ſi ſenſum ſuum priuatum & hæreticum illis adfingerent. Immo vero multi eorum, quum tempore *Conſtantii* impetraſſent, vt vocabulum *conſubſtantiale* ex ſymbolo expungeretur ſub prætextu pacis, nondum planis verbis plebi blaſphemias *Arianas* proponere audebant, ſed verbis ſcripturæ loquebantur & phraſibus, quæ fidem catholicam exprimere videbantur, quas populus vere catholico ſenſu intelligebat, dum iſti fallacem & inſidioſum ſenſum illis admiſcebant. Quamuis igitur iſti homines hæretici eſſent coram Deo, non erant tamen tales in oculis populi, qui honeſte quidem iudicabat, ipſos ſentire ſicuti loquerentur, ſine vllo fraudulento & ambiguo ſenſu. Et eousque populus cum illis communicans excuſari poſſe credebatur, quia non communicabat cum illis in erroribus, ſed ex animi ſui intentione tantum in fide catholica. Quando autem hæretici ſemel detecti erant & conuicti, non amplius licebat populo cum illis ſeſe coniungere, ſed fugiendi erant tamquam lupi in veſtimentis ouium, & vitandi vt miniſtri antichriſti & angeli Satanæ, qui diabolica aſtutia & prauitate ſe ipſi transfigurauerant in angelos lucis. Ita hanc difficultatem diluit HILARIVS, reſpectu maxime habito ad cauſſam *Auxentii*, epiſcopi *Ariani Mediolanenſis* & *Vrſatii* nec non *Valentis*, qui orthodoxe loqui videri volebant, fidemque ſuam eiusmodi verbis profitebantur, quæ nihil niſi antiquam catholicam doctrinam continere videbantur, inſidioſum autem ſenſum parturiebant, quem innocens populus non ſemper poterat detegere. *Tribuunt*, inquit

quit HILARIVS [a] *CHRISTO DEI nomen, quia hoc & hominibus sit tributum. Fatentur Dei vere filium, quia sacramento baptismi vere Dei filius vnusquisque perficitur. Ante tempora & sæcula confitentur, quod de angelis & diabolo non est negatum. Ita DOMINO CHRISTO sola illa tribuuntur, quæ sunt angelorum propria vel nostra. Ceterum quod DEO CHRISTO legitimum & verum est, CHRISTVS DEVS verus, id est, eadem esse FILII, quæ PATRIS, diuinitas denegatur. Et huius quidem vsque adhuc impietatis occasio per fraudem perficitur. Vt iam sub antichristi sacerdotibus CHRISTI populus non occidat, dum hoc putant, illi fidei esse, quod vocis est: Audiunt DEVM CHRISTVM, putant esse, quod dicitur: Audiunt FILIVM DEI, putant in DEI natiuitate inesse FILII veritatem. Audiunt ante tempus, putant, id ipsum ante tempora esse, quod semper est. Sanctiores sunt aures plebis, quam corda sacerdotum.* Eatenus igitur communicabant cum hæreticis, quod eos putabant esse orthodoxos & sinceros, prout externus verborum sensus ferebat. Postquam autem semel declaratum illis erat, eos vere hæreticos esse, tum HILARIVS sic illos compellabat: *Vnum moneo, cauete antichristum* [b]. *Male enim vos parietum amor cepit, male ecclesiam DEI in tectis ædificiisque veneramini, male sub his pacis nomen ingeritis. Anne antiquum est, in his antichristum esse sessurum? Montes mihi & lacus & syluæ, & carceres & voragines sunt tutiores: in his enim prophetæ, aut manentes, aut demersi, DEI spiritu prophetabant. Absistite itaque ab Auxentio, Satanæ angelo, hoste CHRISTI, vastatore perdito, fidei negatore, quam sic est regi professus, vt falleret: sic fefellit, vt blasphemaret. Congregat nunc ille, quas volet, in me synodos, & hæreticum me, vt sæpe iam fecit, publico titulo proscribat, & quam volet iram in me potentium moliatur: mihi certe ille numquam aliud, quam diabolus erit, quia Arianus est. Neque pax aliquorum vmquam optabitur, nisi eorum, qui secundum patrum nostrorum apud Nicæam tractatum anathematizatis Arianis, CHRISTVM DEVM verum prædicabunt.* Ex hoc vno exemplo (cui plura

(a) Hilar. contr. Auxentium p. 102.

(b) Ibid. in fine.

alia

alia poſſem addere) facile ad iudicandum eſt, quatenus populo licere creditum ſit communionem habere cum hæreticis nondum manifeſtaris, & vbi vincula iſtius communionis rumpere debeant, nimirum ſi hæretici ipſi ſe aperte declarent & de erroribus ſuis contra fidem catholicam conuincantur, tum non longius illis, tamquam ſacerdotibus DEI adhærendum, ſed illos vitandos eſſe vt ſacerdotes antichriſti, vt angelos Satanæ & vaſtatores fidei, cum quibus nulla pax tuto coli poſſit, licet in poſſeſſione ſint eccleſiarum.

§. II.

Num licitum ſit communicare cum hæreticis, ſi vniuerſa quædam eccleſia in hæreſin inciderit?

Si vero vniuerſa eccleſia hæretica fiat, an tum licitum erit illis ſe coniungere? Reſpondeo, Si per vniuerſam eccleſiam intelligatur vniuerſa eccleſia catholica, de illa quidem ſic non eſt ſtatuendum. Nam vniuerſa catholica eccleſia numquam penitus in damnabilem aliquam hæreſin implicata fuit. Quum longe lateque dominaretur *Ariana* factio, multum omnino aberat, vt tota eccleſia *Arianiſmum* amplecteretur, quemadmodum vir quidam doctus [c] contra eos, qui ita perſuaſi erant, ſolide demonſtrauit. Et vulgaris tantum error eſt, quando concilium *Ariminenſe* concilium epiſcoporum *Arianorum* fuiſſe & vniuerſus orbis dehinc *Arianus* factus dicitur. Etſi enim teſtimonium HIERONY-

(c) Bull. defenſ. fid. Nicæn. in epilogo (p. 513. edit. Amſtelod. MDCLXXXVIII. 4to) Atqui; inquies, ſi tam prorſus heterodoxa fuit Arii opinio, qui potuit breui tempore, poſtquam exorta fuit, in tantum prævalere, vt totus pene orbis chriſtianus fieret Arianus, quemadmodum conqueſtus eſt Hieronymus? Reſpondeo, ſi Arianum fieri, ſit genuina Arii dogmata amplecti, verum non eſſe (quod pace Hieronymi dictum ſit) maximam chriſtianorum partem factam vmquam fuiſſe Arianam. Conſtantii quidem temporibus & aliquanto poſt quam plurimi, præſertim in oriente, Arianos amplexi ſunt; ipſum vero Arianiſmum pauciſſimi, ad ceteros comparati. Quippe homines falſiſſimi, niſi vbi idoneos inuenerint auditores, impia dogmata celarunt, fidemque ſuam fere profeſſi ſunt verbis, quæ antiquam & catholicam ſententiam præ ſe ferrent: indeque factum fuit, vt pro catholicis pene vbique haberentur, atque agniti eſſent, etiam ab iis, qui alioqui germana ipſorum placita ex animo deteſtati ſunt. cetera.

MI

MI pro hoc adſerto communiter adfertur, ego tamen antehac [*d*] occaſionem habui oſtendendi contrarium ex ipſo HIERONYMO, qui epiſcopos *Ariminenſes* tamquam epiſcopos catholicos defendit, eosque fraudulenter tantum ab *Vrſatio* & *Valente* deceptos dicit, qua de re etiam HILARIVS conqueritur, qui vere catholicos eos fuiſſe & ſymbolum catholicum concilio adhibuiſſe eique in ſenſu catholico ſubſcripſiſſe adſeuerat, tametſi aſtuti iſti *Ariani* doloſum & ambiguum ſenſum ei dederint. Quod ſimulatque epiſcopi catholici intellexiſſent, eos fraudem iſtam deteſtatos a communione eorum prorſus abhorruiſſe. Quod euidenti argumento nobis eſt, non omnino vniuerſum orbem chriſtianum *Arianiſmo* fuisſe infectum. Neque oſtendi poteſt, in denſiſſimis papatus tenebris vniuerſam eccleſiam catholicam errorum papiſticorum fecibus fuiſſe immerſam. Nam, vt ne quid de eccleſiis orientalibus dicam, quæ iugo & tyrannidi pontificis *Romani* ſeſe numquam ſubiecerunt, in priore huius *hiſtoriæ ſcholaſticæ* parte oſtendi, fuiſſe ingentem numerum inter *Albingenſes*, qui ſuperſtitioni & corruptelis *Romanis* numquam ſubſcripſerint aut adſenſi ſint. Neque vllum ex aduerſariis meis inuenio, qui hoc in dubium vocare auſus ſit. Quare ſi quis vniuerſam catholicam eccleſiam vllo vmquam tempore in damnabilem aliquam hæreſin incidiſſe ſtatuerit, is id ſine vllo fundamento ſtatuere putandus erit. Si autem per vniuerſam eccleſiam intelligatur tantum congregatio quædam eccleſiæ particularis, cuiusmodi eſt *Romana*, tum abſurdum non eſt ſtatuere, talem vniuerſam eccleſiam in damnabilem hæreſin labi poſſe. Et ſi tunc quæſtio eſt, An licitum ſit in talis eccleſiæ hæreticæ communionem ſe adgregare? Facile id reſolui poterit per ante memoratam reſponſionem HILARII. Si nimirum homines hæreſium, quæ in tali eccleſia fouentur, non habent notitiam, tunc communio cum illa eſſe poteſt innocens, qualis communio *Arianorum* epiſcoporum illis catholicis fuit, quorum meminit HILARIVS. Si vero hæreſes notæ ſunt, communio ſacerdotum hæreticorum fugienda & catholica communio tenenda eſt cum reliquis in eccleſia, in ſpirituali cum illis vnione, ſi quis opportunitate caret corporaliter illis ſe adiungendi. At enim ſi homi-

(*d*) Origin. eccleſ. lib. VI. cap. III. n. X.

nes ex ignorantia inuincibili hæreticis adhærescant, quos ex quodam iudicii defectu orthodoxos & innocentes credunt (quæ forte caliginosis papatus temporibus multorum hominum conditio fuit & adhuc hodie esse potest in multis regionibus, in quibus nihil præter pontificiam superstitionem inuenitur); quam veniam Deus istiusmodi ignorantibus daturus sit, ipse omnium optime nouerit, nec nostrum est audacter determinare. Ecclesia semper discrimen fecit inter hæresiarchas eorumque sectatores; inter duces & populum; et inter eos, qui in ecclesia nati & educati postea ad hæresin defecerant, & illos, qui errores suos a parentibus suis traditos hauserant. Adeo vt AVGVSTINVS, magna ductus caritate, indulgentiam aliquam nonnullis defensoribus errorum tribuendam iudicet quando ait [e]: *Qui sententiam suam, quamuis falsam ac peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia præsumtionis suæ pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati quum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Existimat AVGVSTINVS, mea quidem opinione, non habere eos ipsam hæresis naturam in se, fastum & obstinationem animi, qua primi deceptores laborare solent, adeoque posse fortassis habere Deum propitium, qui norit animi eorum sinceritatem, & nos posse benigne de illis iudicare eo ipso tempore, quo haud licitum esse existimamus ad eorum societatem nos adiungere.

§. III.

An vlla ratione licitum sit desiderare baptismum hæreticorum.

ALIA difficultas oriri potest de recipiendo baptismo ex manibus sacerdotis hæretici, vbi catholicus sacerdos ad dandum illum inueniri nequit. Num quis hoc in casu potius sine baptismo mori, quam ex manibus illius sacerdotis suscipere debet? Nihil prorsus difficultatis hæc quæstio habet in casibus ordinariis. Nam antiqua regula plana & perspicua est, Quod, vbi sacerdos catholicus haberi possit, nulli ad manifestam hæresin [f] adire

(e) Augustin. epist. CLXII. ad episc. Donat. p. 277.

(f) Concil. Ilerd. can. XIII. Catholicus, qui filios suos in hæresi baptizandos obtulerit oblatio, illius in ecclesia nullatenus recipiatur.

adire liceat sub pœna excommunicationis. Si quis dixerit, *Constantinum* imperatorem baptizatum fuisse ab *Eusebio*, episcopo *Nicomediensi*, qui *Arianus* fuerit; Respondeo, *Eusebium* catholicum sese professum esse, quoad vixerit *Constantinus*, nec aliter potuisse metu exilii; vt adeo *Constantinus* baptismum ab eo non expetierit, nisi persuasus, eum esse catholicum; et si *Eusebius* præuaricatus & clandestinus hæreticus fuit, hoc nihil ad *Constantinum*, qui eum pro catholico habuit & cum animi simplicitate baptismum ab illo, tamquam catholico, non tamquam *Ariano*, desiderauit. Alioquin enim intelligentia & ratione comprehendi non posset, quomodo princeps iste, tanto zelo adversus *Arianismum* incensus, contra regulam ecclesiasticam *Ariano* se baptizandum obtulerit in ordinario casu, vbi plures alii episcopi catholici ad hunc actum procurari potuissent. At vero difficultas quæstionis est in extremæ necessitatis casibus, si quis natus est, vel viuit in regione, in qua non nisi hæretici reperiuntur, adeoque aut sine baptismo mori, aut ab illis eum recipere necesse habet. Quid faciendum est in tali necessitate? AVGVSTINVS hanc quæstionem perspicue resoluit sine hæsitatione. *Si quem forte*, inquit, *coëgerit [g] extrema necessitas, vbi catholicum, per quem accipiat, non inuenerit, et in animo pace catholica custodita, per aliquem extra catholicam vnitatem acceperit, quod erat in ipsa catholica vnitate accepturus, si statim etiam de hac vita migrauerit, non eum nisi catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, quum se catholicæ congregationi etiam corporali præsentia reddiderit, vnde numquam corde discesserat, non solum non improbamus, quod fecit, sed etiam securissime verissimeque laudamus. Quia præsentem Deum credidit corde suo, vbi vnitatem seruabat, et sine sancti baptismi sacramento, quod vbicumque inuenit, non hominum sed Dei esse cognouit, noluit ex hac vita migrare. Si quis autem, quum possit in ipsa catholica ecclesia accipere, per aliquam mentis peruersitatem eligit in schismate baptizari, etiamsi postea venire ad catholicam cogitat, quia certus est, ibi prodesse sacramentum, quod alibi accipi quidem potest, prodesse au-*

Hieron. contr. Lucifer. cap. V. Sciens ab hæreticis baptizatus, erroris veniam non meretur.

(g) Augustin. de bapt. lib. I. c. II.

tem

tem non potest: Procul dubio peruersus & iniquus est, et tanto perniciosius quam scientius. Idem responsum AVGVSTINVS dat, si quis baptismum receperit a schismatico in extremo moris periculo constitutus. *Potest*, inquit [b], *salubriter accipere a separato, si ipse non separatus accipiat: sicut plerisque accidit, vt catholico animo & corde ab vnitate pacis non alienato, aliqua necessitate mortis vrgentis in aliquem haereticum irruerent & ab eo CHRISTI baptismum sine illius peruersitate perciperent, & siue defuncti, siue liberati nequaquam apud eos remanerent, ad quos numquam corde transierant.* Vt adeo necessitas multas res innoxias & licitas faciat, quae extra necessitatem per leges diuinas & humanas prorsus illicitae sunt & vetitae. Resolutio huius quaestionis forte quodammodo vtilis esse potest iis omnibus, qui baptizantur in regionibus, vbi ecclesia haeresi & schismate implicata est; nec non illis, qui infantes baptizantur, per vim parentum suorum oblati haereticorum vel schismaticorum baptismo, quem in ipsa ecclesia habere poterant. Etiamsi parentes necessitatis excusationem adferre non possint, infantes tamen forte poterunt, & ecclesia accipere poterit excusationem eorum, si parentum suorum detestentur iniquitatem & vere atque ex animo ad ecclesiae catholicae vnitatem reuertantur.

§. IV.

Num ordinationes haereticorum & schismaticorum suscipi possint ab ecclesia sine noua ordinatione.

VLTIMA & maxima difficultas videtur esse circa ordinationes haereticorum & schismaticorum & gradu motorum episcoporum, quibus auctoritas ordinandi adimitur. Si enim non sunt vera auctoritate praediti ministri eo in statu, sed tantum, si vel optime de illis statutum fuerit, in communione laica; vti non habent auctoritatem baptizandi, ita nec iustam auctoritatem in


(b) Aug. de bapt. lib. VI. cap. V. Vid. lib. VII. cap. LII. vbi ita differit: Illi ab eis vtiliter accipiunt, qui non ipsis *corde* & moribus, sed *sanctae domui copulantur.* Qui autem separationes, non magis in domo, quam ex domo sunt, neque omnino vtiliter habent, neque ab eis vtiliter accipiunt, nisi forte accipiendi necessitas vrgeat & *accipientis animus ab vnitatis vinculo non recedat.*

tali

tali statu habere possunt ordinandi. Tunc vero quæstio est, Quid? Si ordinauerint in eiusmodi statu? Quam vim habent ordinationes eorum? Quomodo ecclesia clericos sic ordinatos recepit? An omnino rescidit ordinationem illorum nouamque illis tribuit; an vero suppleuit tantum ea, quæ in illis deficiebant, addens auctoritatem suam & mandatum? Respondeo, Ecclesia sua vtebatur libertate, vt vel reciperet vel repudiaret eiusmodi ordinationes, prout expedire & maxime necessarium esse in re præsenti iudicabat. Recipiebat ordinationes *Nouatianorum* & *Donatistarum* sine reordinatione eodem tempore, quo ordinationes *Meletianorum* reiiciebat, nec cuipiam de clero eorum permittere volebat, vt in ecclesia publice ministraret sine noua ordinatione: et *Meletius* tamen, auctor *Meletianorum*, fuerat aliquando legitimus archiepiscopus in ecclesia, si hoc ad dandam ordinationibus eius perpetuam auctoritatem fuisset satis. *Nouatianus* autem, pater *Nouatianorum*, & *Maiorinus*, primus fundator *Donatistarum*, numquam fuere rite ordinati episcopi in ecclesia, nec consequenter veram & legitimam auctoritatem ordinandi alios habuerunt. Alia igitur ratio fuerit oportet, cur ecclesia benigniorem se præbuerit *Nouatianis* & *Donatistis*, quam quidem *Meletianis*. Neque enim fieri id potuit, quod ordinationes *Nouatianorum* & *Donatistarum* primitus magis authenticæ & ratæ fuerint quam aliæ, siquidem ex obseruatione, quam in historiam vtrorumque feci, apparet, eas potius fuisse minus authenticas, vtpote deriuatas ab iis, qui ipsi numquam veri episcopi consecrati fuerint in ecclesia. Fundamentum autem & ratio rei hæc videtur esse: Ecclesia nullos vmquam ex his tribus sectis pro legitimis ministris, hoc est, pro episcopis, sacerdotibus vel diaconis habuit, sed tantum pro laicis secundum regulam & disciplinam tunc obtinentem; quia autem externam formam ordinationis, perinde ac baptismi externam formam, retinebant, quamuis haud nihilo plus auctoritatis istam quam hunc conferendi haberent, ecclesia sua vtebatur libertate vel prorsus reiiciendi vel auctoritate sua confirmandi eorum ordinationes, quemadmodum ad reuocandas istas sectas, vel ad promouendam suam ipsius salutem & pacem, necessitate rei sic requirente, facere

credebat. Quare ordinationes *Meletianorum* reiiciebat, nec eorum vllum ad officia in ecclesia obeunda admittebat ante, quam nouam ordinationem suscepisset; quia cum *Arianis* fecerant societatem & seueriorem commeruerant censuram. Erant quoque secta tantum nouitia, non inuerata nec longe dispersa, et idcirco facilius adduci poterant, vt disciplinæ ecclesiæ sese submitterent. *Nouatiani* autem & *Donatistæ* numquam partes secuti erant *Arianorum*, sed generatim cum ecclesia contra illos se coniunxerant, eaque propter ecclesia ad tractandum illos benignius paullo propensior erat. Accedit, quod sectæ erant inueteratæ & per multas orbis christiani partes dispersæ, magnumque robur nactæ, ita vt exigua spes esset, fore, vt per seueritatem & rigorem disciplinæ ad vnitatem ecclesiæ reducerentur. Hinc ecclesia, rebus ita sese habentibus, vt eos magis generatim lucrifaceret, maxime conducere ad publicum religionis commodum credebat, de rigore disciplinæ suæ, hac quidem occasione, aliquid remittere, quod alias haud fuisset licitum præterquam pacis caussa. Neque enim per disciplinæ seueritatem quispiam, ab hæreticis ordinatus vel baptizatus, virtute pristinæ vel nouæ alicuius ordinationis vmquam admitti poterat ad dignitatem clericalem in ecclesia: At vero grauibus de caussis & sapienti consilio ecclesia nonnumquam regulas suas migrabat, et alios quidem per novam ordinationem, alios vero sine noua ordinatione admittebat, vtrisque autem nouum mandatum nouamque auctoritatem dabat, quam non habuerant nec habere poterant in hæresi vel schismate. Extra ecclesiam enim nulla erat iusta vel baptizandi vel ordinandi auctoritas, quemadmodum supra satis demonstravimus; sed rata harum rerum administratio ad solos ministros ecclesiæ spectabat. Si quæratur, Quomodo ecclesia illos ad exsequenda officia sua admittere potuerit sine noua ordinatione? Respondeo, Ex eodem fundamento, quo ipsos admisit sine novo baptismate. Nam externa ordinationis forma data illis erat antea, licet a personis, auctoritatem dandi illam non habentibus. Et quamuis nihil iustæ auctoritatis ab ordinatoribus istis, qui ipsi auctoritate carebant, conferri posset, ecclesia tamen non ducebat consultum, in tali rerum statu, externam ordinationis formam semper repetere, sed tantum per legitimam suam auctori-

auctoritatem & potestatem ipsis concessam ea supplebat, quæ in illa desiderabantur, id quod ad consummandam imperfectam & auctoritate destitutam ordinationem sufficere credebatur; perinde vt vnctio chrismatis siue impositio manuum in confirmatione ad confirmandum imperfectum & auctoritate destitutum baptismum putabatur sufficere. Cur vero ecclesia hanc methodum non obseruarit in omnibus hæreticis, ad clericalem dignitatem recipiendis, sine noua ordinatione? Cur *Meletianos* aliosque non admisit sine reordinatione æque ac *Novatianos* & *Donatistas?* Respondeo, Quia hæc res prudentiæ & sapientiæ fuit, et ecclesia auctoritate sua & iusta libertate in ratione munera sua aliis extra ecclesiam delegandi vsa est, vti pro sapientia sua ad reuocandos hæreticos pacemque suam conseruandam omnium maxime conducere iudicauit. Qui finis præcipuus erat, quo rationem omnem in vniuersis disciplinæ suæ partibus referebat. Præterea non nisi iustum & æquum est, vt ipsam ecclesiam sinamus diiudicare, quid in istiusmodi casibus omnibus fieri oporteat. Et si homines hac regula se regi atque gubernari demisse passi fuerint, non opus erit nobis longiore disputatione de rebaptizandis iis, qui baptismum auctoritatis expertem siue ab hæreticis, siue ab aliis laicis susceperunt, quandoquidem id ipsum vniuersali ecclesiæ catholicæ consensu & praxi determinatum est in prioribus sex generalibus conciliis & reliquis omnibus, quæ hac de re quiddam dixerunt, si ab illis æui *Cyprianici* discesseris, quæ aduersus concordans ecclesiæ omnis æui iudicium non satis ponderis habent.



APPENDIX

CONTINENS

QVASDAM ANIMADVERSIONES IN AVCTOREM SECVNDAE PARTIS DE INVALIDO BAPTISMO LAICORVM.

CAPVT PRIMVM.

Ratio compendiaria finiendi cum hoc auctore controversiam de baptismo auctoritatis experte, dum summa antiquæ disciplinæ ecclesiæ ignoratio, in qua versatur, ostenditur, quando veteres hæreticos, vbi ad statum laicorum illos redegit ecclesia, vera auctoritate præditos sacerdotes in ipso ministerii actu fuisse statuit.

QVVM antegressam dissertationem absoluissem, incidit in manus meas scriptum anonymum, quod vocatur *Secunda pars de inualido baptismo laicorum* : in quo auctor ostendere adlaborat, antiquam ecclesiam catholicam nullam vmquam legem, traditionem aut consuetudinem habuisse, vnde demonstrari possit, baptismorum a personis, ab episcopo ad baptizandam haud delegatis, datorum validum pretium : Omnis probata ex IOSEPHI BINGHAMI *historia scholastica baptismi laicorum*, aliisque documentis ab hoc

 histo-

hiſtorico non productis. Non licebit mihi amplius hunc auctorem appellare nomine LAVRENTII: vehementer enim de irreverentia mea (vti id vocare amat) iraſcitur, quod hoc feci antea, quum tamen non induxerim animum in eo ipſum offendere, quod quotidie faciunt amiciſſimi eius, qui in publicis hominum congreſſibus de ipſo honorifice & reuerenter loquentes hanc appellationem adhibent. Enim vero vir ille bonus aliis de cauſſis mihi ſuccenſet, & idcirco omnem occaſionem arripit iram & odium in me ſuum euomendi, quod tam inurbanus ſum, vt in hiſtoria & diſciplina eccleſiaſtica intelligentiam ſua quidem ipſius maiorem præ me feram, & quod in corrigendis eius erroribus & abſurdis quibusdam opinionibus earumque periculoſis conſequentiis detegendis paullo liberius agam. Quomodocumque autem res ſe habet, nec mihi, nec lectori amplius moleſtus ero hoc nomine, ſed rationibus cauſſæ eius inſiſtam & oſtendam, ipſum in ſenſu & praxi eccleſiæ catholicæ (quidquid de conciliis & patribus gloriatur, quidquid etiam ex generali omnium amicorum ſuorum auxilio lucratus ſibi videtur) tam grauiter hallucinatum eſſe, quam ſi dicat, propoſitionem maiorem eſſe propoſitionem minorem ſeu adſumtionem. Quare dummodo manifeſtos errores ingenue deponere velit, controuerſiæ noſtræ finem & exitum facile reperiemus, nec ipſe amplius lectoribus ſuis tam plenis tædii narrationibus ex hiſtoria antiqua fruſtra moleſtus erit. Ego de eo ſic non ſtatuam, vti quidem ipſe de doctis aduerſariis ſuis (*præfat. p. 2.*) ſtatuit "Si falſa argumenta ad de-
" fendendum errorem attulerint, ſe iſtam eorum methodum non
" pro nudo errore, ſed propter magnam eorum eruditionem ac
" doctrinam pro re multo peiore habiturum". Maior eſt meus in ipſum amor quam vt hoc facere mihi permittat, tametſi amor eius in alios tam exiguus ſit ſibique perſuadeat, ſi propoſitionem minorem in maiorem conuertat, & hoc ipſo *Luciferum* teſtem faciat aſſertionis, quam ne ſomniauit quidem vmquam, hoc eſſe erratum aliquod tolerabile. Duo autem ſunt, quæ non poſſum non magnopere mirari, 1) tam eruditum tamque acutum ingenio atque prudentia hominem, qualis eſt D. GEORGIVS HICKESIVS, commentarios eius ſtudioſe legiſſe, neque tamen tantum hallucinationum cumulum in illis animaduertiſſe prius, quam aduerſarius

quidam eas benignius detexerit. 2) Hunc auctorem tam seuerum & acrem esse in reprehendendis aliorum hominum consiliis, cui tantum ingenuitatis & caritatis opus est ad benignam suorum ipsius consiliorum interpretationem. Ad hoc enim satis quisque doctrinæ habet, vt verba *Anglicani* cuiusdam scriptoris recte transscribat; quæ si quis in opinionis suæ gratiam perperam transscripserit, annon peruersus quidam & male adfectus censor pessima quæque suspicabitur illudque plus quam errorem esse interpretabitur, si externam istiusmodi speciem consilii habeat lectoribus suis imponendi? Iam vero si auctori nostro volupe non est malis suspicionibus adspergi, tantum candoris atque amoris habere eum erga alios oportebat, vt iis sine caussa eosdem ne moveret, illosue depingeret tanquam impulsores hæreticorum, schismaticorum & illorum, qui christiani sacerdotii necessitatem & CHRISTI auctoritatem in hac terra, omnemque adeo reuelatam religionem sublatam velint; quæ sunt beneuolæ eius suggestiones, sub finem *præfationis* p.21. de principiis eorum, qui id solum agunt, vt principia & praxin ecclesiæ catholicæ aduersus heterodoxias & nouas opiniones ipsius defendant. Quidam ex his doctis viris, quos ita depingit, hæreticis & schismaticis tanto studio sese opposuerunt, & pro christiano sacerdotio, auctoritate CHRISTI in terra & reuelata religione tam erudite tamque sapienter scripserunt, quam nec ille, nec quisquam ex adiutoribus eius vix gloriari potest se fecisse. Non nihil tamen, siue vere siue falso, aduersus eorum integritatem monendum erat, vt iuniores theologiæ cultores a lectione & consideratione operum, quæ ediderunt, deterrerentur, quasi ipse ipsiusque amici ii essent, qui post mille & septingentorum annorum experientiam sanam eos theologiam soli docere possent. Ego autem publice demonstrabo, plura eum in honorem & incitamentum hæreticorum & schismaticorum magisque ignominiosa in veram christiani sacerdotii potestatem auctoritatemque ecclesiæ (cuius defensionem præ se fert) dixisse, quam vllus eorum dixerit, qui ecclesiæ potestatem & auctoritatem aduersus eum publicis scriptis defenderunt.

Vt ad rem ipsam accedam propius, hoc intelligo: Auctor iterum ac sæpius in præfatione sua & libro adserit, Quod secundum

dum veteris ecclesiæ disciplinam hæreticis & schismaticis, etiam si ab ecclesia abscissi de eaque proiecti fuerint, licuerit esse veris & legitimis sacerdotibus, auctoritate plenaque potestate & iure baptizandi gaudentibus, & quod ex hoc solo principio ecclesia baptismum eorum valere iusserit, quia tum fuerint sacerdotes, mandatum habentes, non vero in conditione laicorum constituti.

Ego autem contra ea omni adseueratione adfirmo, vtramque illam adsertionem æque falsam esse, ac si quis nigrum album, aut maiorem propositionem minorem esse dixerit. Si hic auctor cum mediocri saltem ingenuitate & candore antecedentem dissertationem percurrere voluerit, intelliget, sibi de duobus specialioribus capitibus, quæ aduersus ipsum tueor, cumulatissime esse satisfactum. Quæstiones ad rem gestam attinent, vnde tota controuersia agitatur & dependet. Vtrum videlicet hæretici & schismatici, censuris ecclesiæ subiecti, crediti fuerint sacerdotes in ipsa sacerdotalis muneris gestione constituti, plenaque potestate, auctoritate & iure baptizandi præditi, an vero officii sibi antea demandati administratione & auctoritate priuati & in statum laicorum redacti fuerint? Deinde, Ex quo fundamento ecclesia istorum hominum baptismos susceperit? (ipsam enim illos reuera suscepisse ex hoc illoue principio, extra controuersiam positum est) sed quæstio est, Vtrum illos susceperit tamquam baptismos legitimorum veraque auctoritate præditorum, neque adeo negotii accepti gestione orbatorum sacerdotum, an vero tamquam baptismos sacerdotum, nomen quidem & officium sacerdotale vsurpantium, mandato autem baptizandi priuatorum & ad conditionem laicalem redactorum? Quæ quæstiones de re gesta si recte decidantur, decidetur simul tota controuersia, quæ mihi cum hoc auctore est de sensu & praxi ecclesiæ antiquæ. Si enim hæretici haud meliore iure ad veram christiani sacerdotii auctoritatem gaudent, quam laici; si muneris olim sibi demandati administrationem per censuras ecclesiæ perdunt & in statum laicorum rediguntur; spero, hunc auctorem vel alium quemcunque fassurum, ecclesiam in recipiendis baptismis, per homines in tali statu constitutos datis, recepisse baptismos eorum, quos non veros & auctoritate præditos sacerdotes, siue sacerdotes negotium de administrando baptismo adhuc habentes, sed tantum laicos repu-

tarit.

tarit. Si quis cauillari & iocari hac de re volet, quod illi olim mandatum baptizandi acceperint, laici non acceperint, id nihil ad rem pertinebit. Si enim amittere & perdere muneris sui functionem possunt, res eadem est, siue habuerint munus, siue non habuerint; siquidem actus eorum, postquam prouinciam suam perdiderunt eaque iuste priuati sunt, æque auctoritate & mandato ecclesiæ carent, atque illorum, quibus nullum vmquam munus sacerdotale delatum fuit, hoc est merorum laicorum.

IAM vero hæc ipsa res est, quam cum hoc auctore & doctis amicis eius omnibus, ad finiendam vniuersam disceptationem, honeste experiar; An isti hæretici & schismatici sacerdotes, quos vetus ecclesia censuris suis formaliter adfecit & sacerdotio mouit, quoad censuris istis subiacuerunt suoque munere fuerunt exuti, crediti fuerint habere veram sacerdotum Dei auctoritatem & munere mandato baptizandi minime priuati, non obstante censura ecclesiastica. Auctor noster illud adfirmat, ego simpliciter nego, meamque illi thesin generaliter & eo modo demonstrabo, vt non habiturus sit, quod opponat.

PRIMVM enim fatetur atque etiam profitetur (*pag. 53.*) omnes *Cyprianistas* in hac penitus fuisse opinione "Hæreticos & " schismaticos tantum fuisse laicos; non habuisse potestatem, au- " ctoritatem aut ius baptizandi." Eatenus perfecte consentimus. Testimonia, quæ ex CYPRIANO attulit, satis firma & idonea sunt, & fere eadem, quæ ego in antecedente dissertatione produxi. Vt adeo de opinione ecclesiarum *Cyprianicarum* non sit amplius inter nos controuersia, quod ad hanc quæstionem attinet, Vtrum hæretici & schismatici, vbi censuris formaliter subiiciuntur, sint sacerdotes, mandato & auctoritate instructi, an vero laici, nullum mandatum & auctoritatem nullam habentes. Quando ecclesia pro legitima sua potestate negotium illis datum subtrahit, non sunt amplius sacerdotes auctoritate præditi, sed tantum in statu & conditione laicorum, quia ecclesia suam illis auctoritatem & potestatem subduxit.

SED VERO hic auctor fingit, reliquas ecclesias ætate *Cyprianica* diuersam ab illis opinionem & diuersam disciplinam fouisse; ecclesiam quoque catholicam posterioribus temporibus aliter de hæreticis & schismaticis sacerdotibus sensisse eosque pro veri nominis

minis ſacerdotibus, auctoritate & mandato inſtructis, habuiſſe, etiam vbi erroribus ſuis dediti & cenſuris eccleſiæ adfecti fuerint. Hi vero ſunt magni errores auctoris noſtri, ex quibus eum nullus ex eruditis adiutoribus ipſius vmquam eripiet. Ego autem ab eo requiro, vt aut probet adſertiones ſuas (quod eum numquam facere poſſe confido), aut fateatur ſuos errores & huic diſceptationi imponat finem, quantum ad hiſtoriam eccleſiæ attinet, atque tum per me diſputet, cum quocumque velit. Ego illi non imputo, vti quidem ipſe doctis aduerſariis ſuis imputat, errores peruerſos & deſtinatos, ſed eum inſtitutione & auctoritate aliorum, qui veteris eccleſiæ catholicæ diſciplinam ipſi non ſatis conſideraſſe videntur, in illos inductum eſſe cenſeo. Tam dilucide enim in antecedente diſſertatione, quam pro rei vllius natura fieri poteſt, tam dilucide etiam, quam quod maior propoſitio non ſit minor, demonſtraui, omnes eccleſias in terrarum orbe tempore CYPRIANI omnino eamdem, quam CYPRIANVM, opinionem de hoc ſpecialiore capite habuiſſe, Quod videlicet hæretici & ſchiſmatici ſacerdotes non ſint vere & proprie ſacerdotes (licet ſenſu æquiuoco ſic vocari poſſint) dum formaliter cenſuris eccleſiaſticis ſubiaceant; ſed quod tantum laici aut viliores laicis habendi ſint, ſi excommunicati fuerint & de eccleſia proiecti. Porro demonſtraui, eccleſiam catholicam ſequentium ætatum ab hac opinione numquam deflexiſſe, ſi de ſenſu eius ex generalium & particularium conciliorum decretis & priuatorum patrum, qui omnes in eamdem ſententiam eunt, teſtimoniis iudicare nobis liceat. Ego BRETTO & ſimul huic auctori oſtendi, CORNELIVM, epiſcopum *Romanum*, in litteris ad CYPRIANVM datis declaraſſe, hanc eſſe vnanimem quidem nec controuerſam omnium in chriſtiano orbe epiſcoporum ſententiam, Quod epiſcopi ſontes, quales ſunt idololatræ & hæretici, ſemel quidem ſollemniter declarati & cenſuris eccleſiæ ſubmiſſi, non ſint amplius putandi ſacerdotes ſed laici. Et ſi eccleſia catholica ſequentibus temporibus cum illis hac de re conſenſit, tam plenus heic conſenſus eſt, quam vllo in caſu requiri poteſt, contra horum virorum adſertiones. Nihil eorum repetam, quæ dixi ſupra, ſed addam tantummodo amplum teſtimonium AMBROSII, qui in libris ſuis de *pænitentia* contra *Nouatianos* totius eccleſiæ ſenſum de hac mate-

ria, ſacerdotali videlicet auctoritate & poteſtate, perſpicuis verbis loquitur, negans, *Nouatianos* & reliquos hæreticos omnes vllum ius vllamue auctoritatem habere obeundi actum quempiam ſacerdotalem, e.g. ligandi vel ſoluendi, ſiue retinendi & remittendi peccata. *Ius enim hoc*, inquit [a], *ſolis permiſſum ſacerdotibus eſt. Recte igitur hoc eccleſia vendicat, quæ veros ſacerdotes habet; hæreſis vendicare non poteſt, quæ ſacerdotes Dei non habet. Non vendicando autem ipſa de ſe pronuntiat, quod quum ſacerdotes non habeat, ius ſibi vendicare non debeat ſacerdotale.* Num vlla verba magis perſpicua eſſe poſſunt, quam hæc ipſa AMBROSII, vt probent, hæreticos non eſſe veros ſacerdotes ſiue ſacerdotes Dei? Aut, non eſſe veros ſacerdotes niſi in eccleſia, quantumuis *Nouatiani* & alii hæretici hoc nomen ſibi arrogent? Num quis ſententiam ſuam planius declarare poſſet contra *Nouatianos*, ſi dicere vellet, non eſſe eos ſacerdotes, quia ſint hæretici, neque adeo vllam eos ſacerdotalis auctoritatis & poteſtatis partem ſibi vendicare poſſe? Ego me vllius hominis mentem capere poſſe deſpero, ſi hæc non ſit manifeſta AMBROSII ſententia.

IAM autem quæro ex auctore noſtro, Vnde factum, vt baptiſmi ab his *Nouatianis* (qui ita diſerte non eſſe ſacerdotes, nec vllam ſacerdotalem auctoritatem ſiue poteſtatem habere declarantur) adminiſtrati, deinceps a magna ſynodo *Nicæna* & poſt illam ab vniuerſa eccleſia catholica tamquam validi ſuſcepti fuerint, eatenus quidem, vt externam formam per rebaptizationem haud repetendam duxerint? Non potuit hoc ideo fieri, quod eſſent ſacerdotes: Non enim erant ſacerdotes, neque vlla ſacerdotali auctoritate ornati, quemadmodum expreſſis verbis definit AMBROSIVS. Si igitur eorum baptiſmus admiſſus fuit tamquam validus, ex alia quadam ratione, quam quæ ex ſacerdotali auctoritate petitur, fieri oportuit, nihil enim auctoritatis habebant. Quæ res etiam oſtendit, auctoritatem baptizantis non ita ſimpliciter & abſolute, vti quidem auctor noſter ſtatuit, ad externam formam baptiſmi ex veteris eccleſiæ opinione fuiſſe neceſſariam; ſiquidem baptiſmos ſuſcepit eorum, quos non eſſe ſacerdotes, nec vlla poteſtate ſacerdotali inſtructos iudicauit, quemadmodum in hoc caſu tam euidens eſt, quam quod euidentiſſimum.

(a) Ambroſ. de pœnit. lib. I. c. II.

AVCTOR

Avctor noster igitur ad vsitatæ exceptionis diuerticulum confugiat, oportet, vnde breuis & expedita ei erit ad hæc omnia responsio, Quod ambrosivs heic de *Nouatianis* & aliis hæreticis suam vnius, non publicam ecclesiæ, opinionem declaret. Enim vero hoc ei effugium iam præclusi, quando vberius ac fusius ostendi, non fuisse hanc priuatam ambrosii sententiam, sed vocem vniuersæ ecclesiæ; sententiam *Cyprianistarum* (id quod ipse fatetur) & sententiam cornelii omniumque episcoporum per terrarum orbem tempore cypriani, quibus hac de re nulla fuerit cum cypriano controuersia; sententiam patrum *Ante-Nicænorum* pariter & *Post-Nicænorum*; sententiam sex conciliorum generalium & omnium conciliorum prouincialium, quæ quiddam contra hæreticos dixerunt. Hi omnes & singuli ambrosio illud adsentiuntur, hæreticos non esse veros sacerdotes, siue sacerdotes Dei, nec quidquam iuris, auctoritatis aut potestatis sacerdotalis habere; sed, si mandatum baptizandi ab ecclesia, sacerdotalem auctoritatem impertiente, olim acceperint, perdidisse eos illam auctoritatem, vbi ecclesia per censuras suas negotium illis datum resciderit. Tunc autem vnum & idem est, siue sacerdotalem auctoritatem vmquam habuerint, siue non habuerint. Certum est, ipsos nullam per veteris ecclesiæ disciplinam habuisse, vbi negotium illis datum reuocauit auctoritatemque illis concessam eripuit; id quod faciendi potestatem & auctoritatem se habere iudicabat. In tali autem casu hæretici nihilo plus sacerdotalis auctoritatis habebant, quam laici omni prorsus auctoritate destituti. Quæ omnia tam plana feci auctori nostro, quam planum est, maiorem propositionem non esse minorem; et idcirco spero, eum iam æque ingenuum futurum, atque fuit antea, & fassurum esse, se non consilio lapsum esse in prorsus aliter repræsentanda antiquæ ecclesiæ disciplina, quam quidem reuera fuisse perspicitur, & ad quam quis oculos suos claudere aut valde nictare debet, vt de vera eius ratione non conuincatur.

Nolim, auctorem nostrum mecum denuo cauillari de illis, qui nullam vmquam sacerdotalem potestatem ab episcopo acceperunt, & dicere, similem veterum hæreticorum & horum hominum esse rationem. Nam si qui muneris sibi olim delegati functionem amittunt, nihilo plus sacerdotalis auctoritatis habent

vi iſtius delegationis, quam illi, quibus nullum vmquam negotium ſacerdotale datum fuit; adeoque hoc reſpectu eorum ſimilis eſt ratio. Pars vna haud plus auctoritatis ſacerdotalis habet, quam altera; in hoc ſolum differunt, quod eorum alii numquam habuerunt poteſtatem ſiue auctoritatem; alii vero habuerunt, ſed poſtea perdiderunt; et tum in eadem conditione ſunt, in qua hi, qui eam numquam habuerunt; æquabiliter ſunt non-ſacerdotes, æquabiliter poteſtate ſacerdotali deſtituti. Hanc auctor noſter fatetur fuiſſe ſententiam *Cyprianiſtarum*; et ego ipſi oſtendi, (quod antea haud comprehendit) fuiſſe etiam generalem totius eccleſiæ catholicæ ſententiam per omnia ſæcula.

Praeterea capite ſecundo antecedentis diſſertationis obſeruaui, hæreticos *Nouatianos*, de quibus iam loquimur, non habuiſſe vmquam inter ſe veram & legitimam ordinationem epiſcopalem. Primus eorum fundator *Nouitianus* falſi nominis epiſcopus erat, non epiſcopus per omnes regulas & diſciplinam eccleſiæ catholicæ; per quam ordinatio ipſius, quam habere ſibi videbatur, irrita & nulla declarata erat ab origine. Vnde quum ipſe non eſſet epiſcopus, epiſcopalem ſeu ſacerdotalem auctoritatem contra eccleſiæ catholicæ regulas aliis dare non poterat.

Hoc ego illic ex ſatis perſpicuis documentis probaui; quibus nunc tantummodo addam teſtimonium Paciani epiſcopi *Barcinonenſis*, qui contra *Nouatianos* an. CCCLXX diuerſas epiſtolas ſcripſit, in quibus contendit, *Nouatianum* numquam legitime epiſcopum conſecratum eſſe, ſed tantum epiſcopi nomen ſibi adſumſiſſe, falſumque fuiſſe epiſcopum [b] & nullum, quia non habuerit, qui ſe ordinario iure conſecrarent, neque adeo legitimam nactus ſit ordinationem: conſecrationem eius contra omnes ordinarias regulas factam eſſe; non ordinatum fuiſſe ab

(b) Pacian. epiſt. II. ad Sempronian. Bibl. patr. tom. IV. p. 308. edit. Lugdun. MDCLXXVII. Cognoſco Nouatianum ſine conſecratione legitima epiſcopum factum ideoque nec factum. Epiſt. III. p. 310. D. Nouatianus tuus, ne falſo quidem adhuc epiſcopatu ſacerdos, cetera. It. p. 310. F. Ille ex auctoritate epiſtolarum, ſedente iam Romæ epiſcopo, aduerſum fas ſacerdotii ſingularis alterius, epiſcopi ſibi nomen adſumit. Epiſt. II. p. 307. H. Quem conſecrante nullo, linteata ſedes accepit. Epiſt. III. p. 309. D. negatur Nouatianus, *iure ordinario epiſcopus factus.*

epiſco-

episcopis prouinciæ; sed nonnullorum, qui se confessores esse simularent, epistolis & instigatione; idque sede non vacante sed ab alio episcopo iam ante legitime occupata. Ita *Nouatianus* nomen tantum & appellationem falsi, non ius potestatemque veri episcopi habuit. Statuit idem PACIANVS, *Nouatianos* non habere veros sacerdotes, [c] rite consecratos. Quare licet ordinationes simulatas dare possint, & se ipsos vocent episcopos, presbyteros & diaconos, tamen eos solo nomine tales esse, ab origine destitutos potestate sacerdotali in primo fundatore, quam habere illum oportuisset, vt traditam inter se successionem sacerdotum habere possent. Quantum igitur apparet in contrarium, hi *Nouatiani* in eadem conditione erant, in qua illi, qui nullam vmquam sacerdotalem potestatem adepti ideoque in eadem classe, in qua laici, nihil huiusmodi potestatis habentes, collocandi erant. Differentia omnis est: Formalem sibi ordinationem, diuinum mandatum & auctoritatem sacerdotum sibi arrogabant (quod meri laici in ecclesia facere non solent); ecclesia autem huius iuris, quod sibi tribuebant, nulla habita ratione illos vt laicos tractabat duplici ratione, primum quidem, quia vera ordinatione & potestate carebant ab origine; deinde, quia etsi aliquando habuissent veram potestatem & auctoritatem, ius tamen suum ad sacerdotalem auctoritatem & potestatem perdiderant, hæretici facti & censuris ecclesiasticis subiecti.

EQVIDEM hunc auctorem noui dictitare *p.* 198. Quod synodus *Nicæna Nouatianos* agnoscat "veros sacerdotes non laicos; " homines destitutos quidem potestate, sed tamen episcopos, sa- " cerdotes & diaconos, baptizandi mandatum habentes non re- " scissum nec abrogatum." Et *pag.* 202. dicit "ipsos & alios hæreti- " cos & schismaticos habuisse legitimam ecclesiæ auctoritatem & " mandatum baptizandi." Quodquidem prorsus mirum auditu esset, ecclesiam per disciplinam suam hæreticorum potestatem declarare vacuam suamque illis auctoritatem adimere; et speciatim de *Nouatianis* pronuntiare, non esse eos veros sacerdotes Dei nec habere auctoritatem sacerdotalem, nec veram ordinationem man-

(c) Id. ep. III. p. 309. G. Vestræ plebi vnde spiritum, quam non consignat vnctus sacerdos?

datumue ab initio; et tamen his omnibus non obſtantibus itidem dicere, vti quidem auctor rem narrat, hos ipſos hæreticos eſſe adhuc epiſcopos, ſacerdotes & diaconos, legitima eccleſiæ auctoritate nec dum reſciſſo mandato baptizandi & conſequenter omnia ſpiritualia munia & functiones miniſteriales obeundi inſtructos. Sane hæc res auribus animisque hominum abſurda eſſet, eccleſiam in vno eodemque articulo diſciplinæ, reſpectu earumdem perſonarum, ſic ſibi ipſi contradicere voluiſſe. Vera autem rei ratio hæc eſt: Auctor noſter non intelligit diſciplinam eccleſiaſticam hac in cauſſa, & idcirco tam miſere eam depingit. Neque enim concilium *Nicænum* nec vllum aliud vmquam conceſſit, *Nouatianos*, durante hæreſi vel ſchiſmate, eſſe veros epiſcopos, presbyteros, aut diaconos, ſed eos pro falſis epiſcopis, poteſtate ſacerdotali legitimaque eccleſiæ auctoritate & mandato baptizandi deſtitutis, habuit. Si vero ad vnitatem eccleſiæ redire parati eſſent, tum hiſce honoribus ex eccleſiæ auctoritate & mandato frui poterant, quos antea ſine vlla legitima auctoritate & iure ſibi arrogarant. Hoc autem non eſt dicere, hæreticos & ſchiſmaticos fuiſſe veros Dei ſacerdotes, auctoritate & mandato eccleſiæ armatos, quoad in hæreſi vel ſchiſmate perſtiterint, de gradu ſuo deiecti omnique auctoritate ſacerdotali per cenſuras eccleſiaſticas ſpoliati. Hæ enim manifeſto eſſent contrariæ inter ſe ſententiæ & pugnantes cum ratione agendi & diſciplina omnium antiquorum conciliorum. Senſus autem eſt, ipſos, qui antea ſacerdotes fuerint nudo nomine, iam ex liberalitate eccleſiæ veram ſacerdotum auctoritatem habituros, eiusque ex mandato functiones miniſteriales obituros in eadem ſtatione, quam antea contra omnes leges ac regulas eccleſiæ catholicæ vſurpauerint, quæ vna voce & mente vna declararit, hæreticos & ſchiſmaticos non eſſe veros Dei ſacerdotes, quoad in illo ſtatu perſeuerent, quidquid hic auctor in contrarium ſtatuat.

Necesse igitur haud erit diſceptare, quo nomine vocari eos oporteat, vtrum appellandi ſint ſacerdotes an vero laici. Si eccleſiæ mandatum & auctoritatem perdiderunt, eo tempore tam incpti fuerunt ad quemcumque actum, finem & ſcopum poteſtatis ſacerdotalis, quam quilibet mere laicus, qui nullam vmquam auctoritatem aut mandatum ab eccleſia habuit. Fatetur

tur auctor noster, per disciplinam ecclesiarum *Cyprianicarum* sic fuisse, ego vero per disciplinam omnium ecclesiarum sic fuisse, demonstraui. Vsque dum igitur auctor noster contrarium demonstrauerit, in ipso hærebit culpa admissi gravis erroris & male repræsentatæ praxis & disciplinæ ecclesiæ antiquæ, dum verorum Dei sacerdotum auctoritatem & potestatem in hæreticorum & schismaticorum manus tradit, quam vetusta concilia vnanimiter illis eripiunt.

Ipsius nunc conscientiam & mortales omnes appello, vt definiant, vter nostrum se magis præbeat hæreticis & schismaticis impulsorem aut diligentius defendat ecclesiæ potestatem & sacerdotii auctoritatem; vtrum ipse, qui contra vniuersæ ecclesiæ veteris sententiam sacerdotii potestatem, mandatum & auctoritatem ecclesiæ in manus hæreticorum & schismaticorum tradit eosque veros Dei sacerdotes facit; an ego, qui ex veteris ecclesiæ regulis & disciplina ostendo, hæc omnia illis denegata omnemque huiusmodi potestatem omniaque priuilegia ademta esse? Adsertiones eius ad detrimentum & ignominiam potestatis atque ad diminutionem auctoritatis ecclesiæ spectant, quando statuit, (et id quidem contra veritatem historicam.) " Quod omnes ecclesiæ antiquæ, si a *Cyprianicis* discessum fuerit, hæreticos & " schismaticos siuerint esse veros sacerdotes Dei, veros episcopos " sacerdotes & diaconos, eodem tempore, quo declarati fuerint hæretici & censuris ecclesiæ submissi ". Quæ tanta est in antiquam disciplinam contumelia, tanta in antiquam historiam iniuria, vt eum nullum vmquam volumen veterum conciliorum inspexisse existimes, qui in tanto errore tantaque rerum ignoratione versari atque disciplinam ecclesiasticam tam ignominiose & inique repræsentare possit, quum vix vllum concilium in vniuersis tomis inueniatur, quod eum non potuerit docere contrarium. Quare tum vt honorem ecclesiæ antiquæ adsererem, tum huic auctori eiusque amicis errores commonstrarem suos, ex certis & probatis documentis (ex generalium videlicet & prouincialium conciliorum historia & testimoniis, quæ leui quodam artificio, quod priuati tantum auctores sint, priuatam suam opinionem loquentes, explodi nequeunt) ostendi fusius, antiquam disciplinam non ita fauisse hæreticorum sacerdotio, vti quidem

quidem auctor noster statuit. Iam igitur singuli iudicent & vniuersi, vter nostrum pro sacerdotalis potestatis honore loquutus sit copiosius, aut magis faueat hæreticorum consiliis.

VERUM hic auctor & BRETTUS facile perspiciunt, nisi concedatur, hæreticos habere sacerdotalem auctoritatem & potestatem, se caussa cecidisse. Inde enim profecto sequetur, vt homines, qui non sunt sacerdotes auctoritate præditi, sed tantum laici, externam baptismi formam dare possint, eatenus validam, vt necesse non sit iterari. Neque enim negari potest, baptismos datos ab his antiquis hæreticis, qui per veteris ecclesiæ disciplinam non fuerunt sacerdotes auctoritate instructi, sed laici auctoritatis expertes, nihilo minus susceptos esse ab ecclesia sine rebaptizatione. Cuius rei consequentia valde plana est, nimirum ecclesiam antiquam, exceptis *Cyprianicis*, baptismos suscepisse eorum, quos non esse sacerdotes statuerit. Nec magni refert, quo nomine vocati fuerint, vtrum *sacerdotes auctoritate destituti, an laici auctoritate destituti.* Neque enim de nominibus disputamus, sed de auctoritate & potestate hominum, qui hoc sibi sumserunt, vt externam baptismatis formam administrarent. Si non habuerunt auctoritatem & potestatem ab ecclesia, non fuerunt sacerdotes ecclesiæ; et si non fuerunt sacerdotes ecclesiæ, non fuerunt sacerdotes Dei. Si ecclesia omni illos ministeriali auctoritate & potestate, omni sacerdotali officio & functione denudavit, (sicut fecit certissime) ipsi se sacerdotes vocare, iura, auctoritatem & potestatem sacerdotum arrogare sibi poterant; ecclesia autem illos haud aliter tractabat, quam falsi nominis sacerdotes, sacerdotes mandatum nullum habentes, omni auctoritate & potestate despoliatos & ad statum laicorum reductos.

QVAE res si recte se habent (vt omnibus æquis & partium studio alienis hominibus vi argumentorum, in præcedente dissertatione adductorum, persuasum esse confido) finem habet disceptatio inter me & hunc auctorem de sensu & praxi ecclesiæ antiquæ, quod ad externæ formæ baptismatis administrationem, per homines factam auctoritate & potestate non instructos, attinet. Si enim hæretici, qui potestatem olim sibi commissam perdiderunt, posthac auctoritatis non minus expertes sunt quam laici, quibus nulla vmquam potestas data fuit, res eorum, quod ad sacer-

ſacerdotalem auctoritatem & poteſtatem in ipſo actu attinet, eodem. loco eſt. Et ſi baptiſmi eorum ab eccleſia antiqua admiſſi ſunt per ſolam manuum impoſitionem ſeu confirmationem, hoc eſt, per perfectionem eorum, quæ in illis ob deficientem baptizantium auctoritatem defuerunt, non vero per iterationem eius, quod re vera etſi ſine auctoritate factum erat; concedendum eſt, baptiſmos datos ab hominibus, nullam auctoritatem ſiue poteſtatem baptizandi habentibus, (ſiue eos poteſtate carentes ſacerdotes ſiue laicos poteſtate carentes vocaueris) ab antiqua eccleſia catholica admiſſos eſſe ſine rebaptizatione. Id quod contra BLETTVM & hunc auctorem ſumſi demonſtrandum, illudque tam idoneis argumentis, quam pro rei hiſtoricæ natura fieri potuit, me feciſſe exiſtimo. Quod ſi eorum alteruter meliora argumenta pro ſententia ſua ſtabilienda proferre in medium poterit, quam quidem ego pro mea attuli, haud grauate illis adſentiar, rationibus conuictus. Hoc ſolum iam volo, ſuas ipſi regulas obſeruent & conditionibus ſtent, quas mihi conſtituunt, hoc eſt, ſententiam eccleſiæ nobis tradant ex publicis eius actis, ex generalibus & prouincialibus conciliis, quemadmodum ego feci, non autem ex obſcuris & ambiguis priuatorum ſcriptorum loquutionibus.

VOLO etiam, vt ne diſputent amplius de verbis, nec me pugnantia loqui dictitent ſine cauſſa. Cui rei vt anteuertam, duabus exceptionibus occurrendum eſſe puto, quas noui eos forſitan facturos, quaſi hac in materia mihi ipſe contradixiſſem.

PRIOR quidem eſt, Quod in priore parte *hiſtoriæ ſcholaſticæ* dixerim, baptiſmum laicorum vſurpatum a nullo concilio generali declaratum eſſe validum: iam vero probare coner, baptiſmum hæreticorum & ſchiſmaticorum eſſe tantum baptiſmum laicorum ex omnium conciliorum generalium decreto, quæ contraria eſſe videantur. At enim vero facilis hæc erit diiudicatio inter homines prudentes & bonos, ſi diuerſæ ſignificationes vocabuli *laicorum* diſtinguantur, quippe quod accipi poteſt vel *primo* pro laicis catholicis, qui nullam vmquam auctoritatem ſiue poteſtatem ſacerdotalem in eccleſia habuerunt; vel *ſecundo* pro hæreticis laicis, qui ſacerdotalem poteſtatem habere ſibi viſi ſunt, quum reuera habuerunt nullam, quales *Nouatianos* in eccleſia fuiſſe oſtendi; vel *tertio* pro iſtis laicis, qui quondam veri

nominis auctoritatem sacerdotalem habuerunt, postea autem per eamdem ecclesiæ potestatem, quæ initio eam illis concessit, illa priuati atque ita ad statum & conditionem laicorum reducti sunt. Huiusmodi laici omnes erant antiqui hæretici & schismatici, qui legitimam ordinationem in ecclesia nacti, postea autem ob crimina sua, ob animi obstinationem & contumaciam per censuras ecclesiæ auctoritate sua & accepto mandato despoliati erant. Tales laicos auctor noster concedit omnes hæreticos & schismaticos factos esse per disciplinam ecclesiarum *Cyprianicarum;* et tales laicos ego dico eos factos esse per disciplinam ecclesiæ vniuersalis per omnia sæcula. Iam quando dixi antea, baptismum laicorum vsurpatum a nullo concilio generali declaratum esse validum, de laicis loquutus sum in sensu primo, in famosa & communi vocabuli acceptione, quatenus denotat laicos in ecclesia, qui sibi non arrogant sacerdotalem potestatem clericis ecclesiæ propriam & peculiarem. Neque mihi iam succurrit concilium aliquod generale, quod quidquam de baptismo, ab istiusmodi laicis administrato, decreuerit, validusne an inualidus habendus sit. In secundo autem sensu concilium *Nicænum* puto baptismum laicorum validum declarasse, quia baptismum hæreticorum *Nouatianorum* recepit, qui veram potestatem sacerdotalem se habere persuasi fuerunt, vbi reuera habuerunt nullam. In sensu etiam tertio ostendi, nonnulla concilia generalia baptismos laicorum admisisse, quia baptismum admiserunt laicorum, quos omni sacerdotali auctoritate & potestate priuarant & ad conditionem reduxerant laicorum, vt adeo in his omnibus nulla sit contradictio, si res apte construantur & distinguantur.

ALTERA exceptio, cui obuiam ire volebam, ad ea attinet, quæ de hæreticis sacerdotibus dixi, disquirens, vtrum sacerdotes fuerint an laici. In priore *historiæ scholasticæ* parte adserui, hæreticos sacerdotes certo sensu reputatos fuisse sacerdotes eorumque ordinationem habitam validam, etiam postquam gradu suo essent deiecti. Cuius adsertionis sensum hunc esse dixi, Quod si semel rite ordinati essent, ecclesia per censuras suas non voluerit eatenus rescindere & abrogare eorum ordinationem, vt, si illos ad munus suum reuocaret, novam eis ordinationem dari necesse esset. Et eatenus adhuc concedo,

cedo, characterem ſacerdotis, ob hæreſin per eccleſiæ cenſuras gradu ſuo deiecti, eſſe indelebilem; hoc eſt, neceſſe non eſſe, eccleſiam, ſi reſipiſcat, nouam ei ordinationem tribuere. Non fuit autem mihi propoſitum hoc ipſo dicere, hæreticos ſacerdotes non poſſe legaliter auctoritate, poteſtate munereue ſacerdotum priuari, vel eccleſiam numquam eos ſic priuaſſe; vel, ſi reuera omni auctoritate & poteſtate priuati eſſent, habuiſſe eos nihilominus auctoritatem a Deo & eccleſia poteſtatemque, tamquam legitimos ſacerdotes, baptizandi, ſeu perficiendi quosvis actus ſacerdotales, non obſtante eorum ſpoliatione. Quare quum in hoc libro adſero, Quod hæretici omni auctoritate & poteſtate ab eccleſia reapſe priuati &, durante eorum hæreſi, omnium ſacerdotalium iurium, non minus quam alii laici quicumque, expertes fuerint; hæc cum illis, quæ dixi antea, non pugnare, ſed in cuiusuis prudentis & opinionibus præiudicatis liberi lectoris intelligentia præclare cohærere exiſtimo. Quocirca auctorem noſtrum rogo, vt contentiones de verbis difficilibus ne cumulet, meumue ſermonem contradictionibus implicare ſtudeat, ſed conſideret etiam atque etiam ea, quæ iam ex antiqua diſciplina eccleſiæ attuli, vt probarem, hæreticos omni ſacerdotali auctoritate, functione & poteſtate ſpoliari potuiſſe & reuera ſpoliatos fuiſſe per regulas vetuſtorum conciliorum, quæ tamen baptiſmos illorum eatenus validos & ratos habuerunt, vt per rebaptizationem non fuerint iterandi. Quod ſi auctor noſter oſtendere poteſt, vel 1. hæreticorum baptiſmos communi antiquorum conciliorum ſuffragio generatim eſſe repudiatos; vel 2. iſtos hæreticos, quorum baptiſmi admiſſi ſunt, fuiſſe veros Dei ſacerdotes, auctoritate & poteſtate in ipſo baptizandi actu inſtructos, non autem ad conditionem laicorum per cenſuras eccleſiæ redactos, tunc fatebor, antiquæ hiſtoriæ veritatem ſtare ab eius partibus. Sin autem nihil horum demonſtrare poteſt, adſertiones meæ firmæ & ratæ erunt, 1 Eccleſiam antiquam ſuſcepiſſe baptiſmum illorum hæreticorum, qui vſitata forma illum adminiſtrarint. 2. Hos hæreticos non fuiſſe reputatos veros ſacerdotes Dei, ſed ſacerdotali auctoritate & poteſtate deſtitutos, quando tales baptiſmos dederint: Adeoque 3. baptiſmos hominum, ſacerdotali auctoritate & poteſtate deſtitutorum, vbi eos admini-

ministrarunt, ab ecclesia catholica admissos esse sine rebaptizatione. Hæc sunt, quæ ego statuo & propugno. Tentet nunc auctor noster, quam habet, historiæ ecclesiasticæ scientiam, eaque aliter se habere ostendat.

Concedit auctor noster, fuisse hoc principium, hanc disciplinam omnium ecclesiarum *Cyprianicarum*, vt hæreticos & schismaticos auctoritate sua & potestate priuarint, nec vt sacerdotes sed vt laicos tractarint: nullam eos habuisse rationem modernæ notionis characteris, qui venditatur, indelebilis sacerdotum, sed statuisse, quod, si quid sacerdotes facerent officio suo indignum, sacerdotalis eorum auctoritas & potestas per potestatem ecclesiæ legitime illis auferri posset: Atque hinc conclusisse, baptismos hæreticorum & schismaticorum nullos esse & vacuos, eo quod dati fuerint ab iis, qui sacerdotalem auctoritatem potestatemque suam perdidissent. Iam vero dico, ecclesiam catholicam *Cyprianistis* de principio ipsorum & disciplina ex omni parte adsensisse, hæreticos omni sacerdotali auctoritate per authenticam ecclesiæ potestatem & legitimas eius censuras esse denudatos: discrepasse autem ab illis in eo, quod exinde concluserint. Quum enim *Cyprianistæ* dicerent, baptismum hæreticorum nullum esse & vacuum, quia hæretici sacerdotali auctoritate & potestate, quam forte olim ab ecclesia habuerint, spoliati, nec iam sacerdotes, sed tantum laici sint: ecclesia catholica aliter concludebat, quod licet hæretici per censuras & auctoritatem ecclesiæ reapse exuti sint sacerdotali auctoritate & potestate, baptismi tamen, ab illis hoc in statu administrati, non sint omnino nulli, debita quidem forma dati, nec in tantum inualidi, vt externam formam oporteat per rebaptizationem iterari. Differentiam igitur manifestum est non sitam fuisse in principio eorum, nec in disciplina in sacerdotes hæreticos, sed in diuersis conclusionibus, quas hinc formarint. Altera quidem pars baptismos sacerdotum hæreticorum nullos, altera autem non omnino nullos esse statuebat, dum in hoc vtrique consentirent, hæreticos non esse veros Dei sacerdotes; sed per disciplinam & auctoritatem ecclesiæ omni sacerdotali auctoritate & potestate despoliatos.

Manifestum igitur est cuiuis vel mediocris ingenii lectori, quod, si res ita se habuerit in ecclesia catholica, necesse

ei

ei fuerit baptiſmos hominum, ſacerdotali auctoritate & poteſtate deſtitutorum ſuſcipere. Neque enim diuinum aliquod mandatum habere potuerunt, vbi Deo eiuſque eccleſiæ viſum fuerit illud eis auferre. Si vero nullum habuerunt mandatum, non fuerunt veri ſacerdotes, licet interdum ſacerdotes ambigue dici potuerint; qua de re non diſputamus, ſed de conditione & auctoritate perſonarum. Siue enim ſacerdotes ſiue laicos appelles, erant certe homines mandato baptizandi deſtituti, quum omnis ſacerdotalis auctoritas eis eſſet ablata, et ſi eccleſia talium hominum baptiſmos ſuſcepit, manifeſtum eſt, ſuſcepiſſe illam baptiſmos hominum, nullam auctoritatem nullamque poteſtatem habentium; qui mandato baptizandi deſtituti fuerint, non, quia nullum vmquam acceperint, vti alii laici, (quamquam quidam hæretici ab initio tales eſſe potuerunt) ſed quia per iuſtam poteſtatem & diſciplinam eccleſiæ eodem fuerunt priuati. Hoc contra BRETTVM probe ſtabiliui, illudque ſatis reſponſum eſſe exiſtimo ad omnia, quæ de ſenſu & conſuetudine eccleſiæ antiquæ porro diſceptare huic auctori placuit, qui nihil noui attulit, ſed res tantum paullo artificioſius, neque vero ſemper prorſus laudabiliter, repræſentat, quemadmodum ex iis, quæ in hac diſſertatione ſequuntur, facile apparebit.

CAPVT SECVNDVM.

Animaduerſiones in auctoris noſtri præfationem.

§. I.

Baptiſmos auctoritate deſtitutos & baptiſmos inualidos non vnum idemque denotare in eccleſia antiqua.

POSTEAQVAM magnos errores auctoris noſtri oſtendi, qui contra vniuerſam eccleſiæ diſciplinam ſtatuit, omnes antiquos hæreticos veros ſacerdotes fuiſſe auctoritate & poteſtate ſacerdotali inſtructos: iam pergo, facturus in reliquam præfationis & libri ipſius partem eiuſmodi animaduerſiones, quæ ad res candido cuique & præiudicatis opinionibus vacuo lectori quam apertiſſime planiſſimeque explicandas videbuntur neceſſariæ. *Pag. 3. præfationis* ſuæ moleſte fert, quod magnum ei errorem

rorem in confundendis vocabulis baptiſmi auctoritate deſtituti & baptiſmi inualidi tribuam. Quidquid vero ad ſe purgandum dixit, ego adhuc eumdem ei errorem adſigno, quandoquidem contra ſenſum reſiſtit atque repugnat eccleſiæ antiquæ, quæ baptiſmos auctoritate deſtitutos & baptiſmos inualidos diſtinxit, multosque baptiſmos auctoritate deſtitutos eſſe iudicauit, quos non iudicauit eſſe inualidos; maxime baptiſmos hæreticorum, qui non habebant poteſtatem, vti ſacerdotes auctoritate præditi, quando datum negotium illis ademerat. Horum baptiſmos auctoritate quidem vacuos, non autem ita inualidos iudicabat, vt per rebaptizationem repeti illos neceſſe eſſet. Oportet ergo auctorem noſtrum oſtendere, hæreticos per diſciplinam veteris eccleſiæ fuiſſe ſacerdotes vera auctoritate inſtructos, et habuiſſe mandatum baptizandi eo tempore, quo baptizare auſi ſint, antequam de errore ſeſe purget, cuius eum arguo. Neque enim ſatis eſt dicere, habuiſſe eos aliquando mandatum baptizandi & poteſtatem ſacerdotalem, niſi etiam oſtendat, ipſos nunquam amiſiſſe iſtam poteſtatem, quando per eccleſiæ cenſuras ea fuerunt ſpoliati. Si enim acceptam poteſtatem amiſerunt eo tempore, quo baptizare auſi ſunt, auctoritatis non minus fuerunt expertes, quam qui nullam omnino poteſtatem habuerunt. Nihilo tamen ſecius eccleſia horum hominum baptiſmos admiſit, nec prorſus nullos & vacuos declarauit, ſed ita baptizatos ſuſcepit ſine rebaptizatione. Quæ res oſtendit, baptiſmum ſine auctoritate ſacerdotali datum, et baptiſmum inualidum non fuiſſe vocabula eiusdem ſignificationis in eccleſia antiqua, quantumuis auctor noſter eumdem eis valorem tribuat, quo nomine ipſum arguo.

§. II.

Auctoris noſtri rationes pro legitimo baptiſmi hæretici valore a rationibus eccleſiæ veteris prorſus alienas eſſe.

Deinde *pag. 6.* de eo queritur, "Quod reliquæ eccleſiæ
" per orbem terrarum diſperſæ noluerint cum CYPRIANO ſe
" coniungere, nec cum ipſo conſentire ad poteſtatem eorum,
" ab hæreticis & ſchiſmaticis ſuis antiſtitibus aliquando acce-
" ptam, irritam & vacuam declarandam, quoad in hæreſi & ſchi-
"ſmate

" ſmate perſiſterent ". Hanc grandem accuſationem eccleſiæ vniuerſalis iam oſtendi nugatoriam eſſe & prorſus falſam. Nam omnes omnino eccleſiæ in eo cum CYPRIANO conſpirarunt, vt poteſtatem & functionem hæreticorum ac ſchiſmaticorum, durante eorum hæreſi & ſchiſmate, irritam & vacuam facerent. Sed vero non concludebant cum eodem, baptiſmos hæreticorum hinc ſimpliciter eſſe inualidos & repetendos, vtpote datos ab hominibus, nullum baptizandi mandatum habentibus; quæ iniuſta erat concluſio CYPRIANI, in qua eccleſia catholica cum ipſo ſe coniungere numquam non recuſabat. Auctor autem noſter audacter dicit, cauſſam, quamobrem eccleſiæ a CYPRIANO diſſidentes baptiſmos ab hæreticis datos non fecerint vacuos, fuiſſe tantum eam, quod iſtæ eccleſiæ leges de auferenda hæreticis ſacerdotali poteſtate non habuerint. Quæ non ſolum ſine ratione ſed etiam contra tot præclara legum tam generalium quam provincialium conciliorum teſtimonia dicuntur, quæ produxi, vt oſtenderem, eccleſiam abundaſſe eiuſmodi legibus, quas de hæreticis commoda quaque occaſione, mandatum illis datum reſcindendo omnemque ſacerdotalem auctoritatem eis eripiendo in effectum deduxerit. Quam ob cauſſam vehementer miror, quid ſit, quod quis antiqua concilia legat & peruoluter, neque tamen hoc obſeruet, quod propemodum in ſingulis eorum paginis obuium eſt.

§. III.

Auctoris noſtri opinionem de inualido baptiſmo hæreticorum vniverſam eccleſiam Angliæ *baptiſmo vacuam facere.*

VERVM, ENIM, VERO hæc omnia nihil moratur auctor noſter, quo minus contendat, validum baptiſmi hæretici pretium pendere inde, quod habeant veram poteſtatem, durante hæreſi ſua vel ſchiſmate, non vacantem nec ereptam. Ita enim habent verba eius *pag.* 7. " Iſtæ eccleſiæ tales baptiſmos iudicabant eſſe " validos per ſe, quod ad eorum adminiſtrationem, atque ſic " ego quoque iudico, quia heic non deficiebat commiſſa eis " poteſtas". Iam vero, ſi recte eum intelligo, hoc tantumdem eſt,

eſt, ac ſi dicat, quod ſi hæretici non habeant commiſſam ſibi poteſtatem, baptiſmus eorum ſit inualidus. Non video, quomodo per principia noſtra aliter eſſe poſſit. Quare niſi oſtenderit, antiquos hæreticos & ſchiſmaticos habuiſſe, durante eorum hæreſi & ſchiſmate, legitimam nec vacantem poteſtatem, concludere neceſſario debet, baptiſmum eorum fuiſſe inualidum. Tum vero iterum dicere auſim, eiuſmodi notiones de inualida baptiſmi hæretici & ſchiſmatici ratione vniuerſam eccleſiam *Angliæ* baptiſmo vacuam reddere cœtuque excludere chriſtianorum, quantumcumque auctor noſter mihi ſuccenſeat, quod tanti delicti culpam in ſe transferam. Dicit, debuiſſe me atras ipſius notiones ſuis ipſius verbis appellare. Et id quidem feci in animaduerſionibus meis in ipſum *p. 188. ſeq.* Si vero illud tranſilire placuit, ſua ipſius, non mea, culpa eſt.

Res autem, cuius ipſum inſimulo, hæc eſt: Quod tum ſententiam ſuam libere dixerit pro opinione *Cyprianica* de inualido hæreticorum & ſchiſmaticorum baptiſmo; et ſimul declararit, baptiſmos eccleſiæ *Romanæ* fuiſſe baptiſmos eccleſiæ, in quam incredibilis exitioſarum doctrinarum & conſuetudinum farrago invecta, & cuius in communione parum veræ & ſolidæ religionis reſiduum fuerit. Ad quæ ipſi libere reſpondi, Quod, ſi baptiſmi hæreticorum & ſchiſmaticorum ſint inualidi, & vero eccleſia *Romana* ſit hæretica & ſchiſmatica eccleſia, & eccleſia *Anglicana* baptiſmos ſuos ab iſta eccleſia, nec ab vlla alia, primitus accepit; quod, inquam, hinc ſequi neceſſe ſit, vt omnes baptiſmi eccleſiæ *Anglicanæ* ſint inualidi, & verus baptiſmus a ſacerdotibus eius nihilo magis adminiſtretur, quam ab aliis. Vt autem hac incuſatione ſe ſe liberet, expedire putat dicere, "ſe credere, baptiſmos hæreticorum eſſe validos in iſtis eccleſiis, quæ per diſciplinam ſuam non vacare iubeat aut auferat hæreticis commiſſam illis poteſtatem." Enim vero, quod ſic ſupponit, falſiſſimum eſt. Non fuerunt antiquis temporibus eiusmodi eccleſiæ, quæ hæreticos & ſchiſmaticos in auctoritatis & commiſſæ poteſtatis poſſeſſione conſiſtere paſſæ ſint; et hanc meam adſertionem tam firmis ad probandum argumentis tuitus ſum, vt firmiora requiri nequeant. Quare vſque dum hæc confutet ſuamque ſententiam fortioribus probet rationibus, culpa, quam in eum contuli, in ipſo reſideat, opor-

oportet; siue autem principia sua, quibus communem ecclesiam nostram cœtu & communione christianorum alienam facit, pœnitendo corrigere & retractare voluerit, siue recusauerit, non video idoneam caussam ipsum a culpa, quam sustinet, eximendi. Tantam erga ipsum humanitatem adhibere possum, quantam quidem a me exspectauerit, quando autem huiusmodi falsas opiniones & theses propugnat, in vniuersalem ecclesiam & simul in ecclesiam *Anglicanam* iniuriosas, excusatum me habeat, rogo, si communi iure ad commonstrandos suos ipsi errores & vindicandum communis matris nostræ honorem impelli me existimem.

§. IV.

Auctoris nostri exceptiones aduersus nouam formulam confirmationis, in conuocatione antistitum propositam, examinatæ.

PROXIMAE exceptiones auctoris nostri habentur *pag.* 8. & 9. aduersus ea, quæ antistitibus nostris, in legitima conuocatione congregatis, submisse proposui de peculiari quadam confirmationis formula pro illis conficienda, qui ab hæreticis & schismaticis sunt baptizati. Sperat fore, vt antistites distinguant eiusmodi hæreticos, quibus ab episcopis data fuerit sacerdotalis potestas, ab istis; qui nullam vmquam potestatem acceperint. Ego nec ipsi nec mihi opus esse arbitror, antistitibus nostris præscribere, quid facere eos hac in re deceat. Denuo autem ei dicere ausim, Quod, si hæretici potestatem sibi aliquando commissam perdant; si potestas ipsorum per censuras ecclesiæ vacet & per eamdem auctoritatem, quæ eam illis concessit, auferatur: sacerdotalis eorum auctoritas & potestas ab illis, qui nullam vmquam habuerunt, non tantopere differat, quam quidem existimat. Ipse enim fatetur, potestatem olim acceptam, si postmodum vacarit per disciplinam ecclesiarum *Cyprianicarum*, æqualem paremque factam esse potestati numquam prorsus acceptæ. Ego vero planum feci, hanc conditionem fuisse veterum hæreticorum per omnium ecclesiarum disciplinam. Vt adeo, quæcumque confirmationis formulæ pro baptizatis per hæreticos factæ sint, factæ sint oporteat pro baptizatis per eos, qui non haberent ipso actu potestatem,

fed antiquatam, vacantem & ablatam. Vbi autem tunc eſt magna illa differentia inter ſic vacantem poteſtatem & eam, quæ omnino non fuit data? Verum auctor noſter perſuadere ſibi non poteſt, antiquorum hæreticorum poteſtatem hoc modo vacare iuſſam illisque ereptam fuiſſe ab vlla alia eccleſia præter *Cyprianicas.* Oportet ergo ipſum paullo ſtudioſius hanc materiam perquirere, & orbi chriſtiano magis idoneas rationes adferre, antequam tam audacter & nominatim antiſtitibus ſuis præſcribat, quas diſtinctiones in ſuo agendi modo facere debeant.

LEPIDAM autem adhuc obiectionem habet aduerſus formulam confirmationis, quam exempli loco ſubiunxi "Nono tandem " ſæculo eam, dicit, eſſe compoſitam & deſtitui præclaro chara" ctere catholiciſmi, hoc eſt, antiquitatis, vniuerſalitatis & pu" blici conſenſus." Neſcio fere, quid ſibi heic velit auctor noſter, inprimis quando addit, "Quod ego pari ratione exemplum " adferre potuiſſem cultus imaginum & inuocationis ſanctorum " ex concilio ſecundo *Nicæno.*" Cur vero tantopere indignatur de innocenti precum formula? Aut cur oportet hanc formulam, vt ſcopo, ad quem propoſui, reſpondeat, habere antiquitatis, vniverſalitatis & publici conſenſus characterem? An habemus iam vllam liturgiam apoſtolicam? Aut vllam ſpecialiorem formulam precum, ſi ab *oratione dominica* & paucis quibusdam aliis in ſacra ſcriptura diſceſſeris, quæ hunc præclarum characterem & generalem receptionem in omnibus omnis æui eccleſiis tribuere ſibi poſſit? Poterat quiſpiam non minori iure de quibusdam precibus in liturgia noſtra obiicere, quod ex *miſſali* depromtæ ſint, quemadmodum de hac formula obiicit hic auctor, quod ex nono demum ſæculo petita ſit, quum omnes norint, eiusdem argumenti & generis, etſi non eiusdem longitudinis eorumdemque verborum, preces inter prima decreta reperiri, quæ a conciliis generalibus pro iis in eccleſiæ communionem recipiendis, qui ab hæreticis baptizati eſſent, factæ ſunt. Si vero auctor noſter non fuerit parcior in eiusmodi obiectionibus, me certe paullo parciorem eſſe oportebit in reſponſionibus.

§. V.

§. V.

Auctor noster errorem suum confitetur, quod Luciferum *testem produxit aduersus baptismum laicorum.*

Pag. 2. PLVS candoris & ingenuitatis in ipso deprehendimus: Incaute inconsulteque errasse se fatetur, quando minorem quamdam propositionem pro maiore aliqua falso acceperit, & idcirco *Luciferum* in scenam produxerit quasi testem pro invalido baptismo laicorum, & *Hieronymum* tamquam idem adserentem auctoritate concilii *Nicæni.* Gratias mihi agit humanissimis verbis, quod hos errores suos correxerim; spero etiam fore, vt gratias mihi denuo agat, quod de sacerdotio & potestate hæreticorum & schismaticorum ipsum adhuc semel erudierim, quando & illud & hanc, durante eorum hæresi & schismate, cessasse ipsisque, consentiente & suffragante vniuersa ecclesia catholica, ablatam fuisse ostendi. Neque mihi occasionem longius futuram puto de baptismo auctoritatis & potestatis experte ex historia ecclesiastica cum ipso disputandi: siquidem omnes concedent, potestatem vacantem potestati numquam commissæ prorsus vicinam esse & finitimam; et, si ecclesia baptismos eorum vt validos suscepit, quorum potestatem vacare iussit, potuisse eam etiam suscipere baptismos illorum, quibus nulla vmquam potestas data fuit, quia vtrique potestate pariter destituti fuerunt, vbi baptismum administrare ausi sunt; hi quidem tamquam qui nullam vmquam potestatem habuerunt, isti autem vt qui potestatem olim sibi commissam per ecclesiæ censuras perdiderunt.

§. VI.

Quomodo auctor noster baptismum validum & baptismum salutiferum confundat.

VERVM ENIM VERO auctor noster eadem pagina stilum vertit & loco actionis gratiarum me captionum & fallaciarum insimulat, ideo solum, quia scire cupio, quibus in scriptis *Stephanianorum* inuenerit hoc adsertum, Eos, qui baptismum ab hæreticis vel schismaticis acceperint, habuisse salutem spiritualem? " Quisquis CYPRIANI opera inspexit, inquit, cum fateri opor-

" tet,

" tet, *Stephanum* epiſcopum *Romanum* ſenſiſſe, ſic baptizatos ha-
" buiſſe ſpiritualem ſalutem, crediDiſſe enim illos, ſe accepiſſe ba-
" ptiſmum validum, nec ſane hoc quidem falſo. Qui enim ho-
" mines valido baptiſmate tinctos ſtatuerunt, illi eos ſalutem con-
" ſequutos exiſtimarunt, alioqui quid ſignificaret baptiſmus eo-
" rum validus"? Ad quæ ſine vlla captione & fallacia reſpondeo, baptiſmum validum hoc ſignificare, Quod non fuerint denuo baptizandi, ſi ad eccleſiam catholicam tranſiiſſent; non autem ſignificare, Quod habuerint ſpiritualem ſalutem, quoad in hæreſi vel ſchiſmate perſtiterint. Hæc enim ſunt diuerſiſſima. AVGVSTINVS & tota eccleſia catholica baptiſmum hæreticorum validum eſſe aduerſus *Donatiſtas* tuebantur, non autem ipſis vlliſue aliis hæreticis adfirmabant, habere eos propterea, dum in hæreſi eſſent, ſalutem, quia validum baptiſmum acceperint; ita enim fruſtra & ſine cauſſa eos exhortati eſſent, vt ad eccleſiam catholicam venirent, quo ſalutis participes redderentur, vt adeo, niſi *Stephanus* prorſus peculiarem quamdam opinionem de ſalute hæreticorum habuerit, non potuerit a reliquorum patrum eccleſiæ notione diuerſam illam opinionem fouere, quam ei tribuit noſter auctor. Nulla enim conſequentia in auctoris noſtri argumento ineſt. *Stephanus* baptiſmum hæreticorum validum eſſe credidit, ergo hæreticos in ſtatu ſalutis eſſe credidit. Poſſunt enim homines habere baptiſmum validum, & nihilo tamen minus eſſe in ſtatu damnationis, vti hæretici extra eccleſiam, & homines impii, vti *Simon Magus*, in eccleſia. Quæ res tam clara eſt & plana, vt cum auctore noſtro longius de ea diſputare dubitem, lectori diiudicandum relinquens, vter noſtrum magis cauilletur, egone, qui baptiſmum validum a baptiſmo ſalutifero cum omnibus veteribus diſtinguo, an ipſe, qui, vt probet, in quo accuſauit *Stephanum* papam, res diuerſas tam mirabiliter confundit.

§. VII.

Hæreticorum baptiſmum eſſe proprie baptiſmum antiepiſcopalem ex ipſis auctoris noſtri conceſſis.

DVO vel tria heic prætereo, vtpote minus digna, de quibus longius diſputem; cuiuſmodi eſt illud: An ATHANASIVS auctori

ri nostro dicatur esse in eadem opinione, qua CYPRIANVS; et hoc, Quot episcopi fuerint in concilio *Arelatensi*, vtrum triginta tres an ducenti; et transeo ad maioris momenti quæstionem: An non baptismi episcoporum hæreticorum pro baptismis episcoporum falsorum, siue non-episcoporum habiti, omnesque eorum functiones ministeriales antiepiscopales creditæ fuerint? Auctor noster *p. 15.* dicit "oportere me fateri, *Nouatianos* alios-" que hæreticos & schismaticos hæreses suas & schismata pepe-" risse in episcopatu". Enim vero tantum abest, vt hoc fatear, vt me effecturum credam, vt auctor noster contrarium fateatur. Nam in antecedente dissertatione cap. II. magis quam probabile effeci, *Nouatianum* ipsum, primum *Nouatianorum* auctorem, numquam rite consecratum esse episcopum, sed ordinationem eius ab ecclesia catholica pronuntiatam esse nullam & irritam ab origine; quia, licet tres episcopos habuerit, qui ipsum ordinarint, facta tamen fuerit eum in modum, contra tot vsitatas ecclesiæ catholicæ regulas, vt ecclesia eam declararit ordinationem vacuam ab ipsis initiis, neque ipse vmquam in collegium episcoporum admissus sed episcopus falsus & factitius, episcopus nullus a principio creditus sit. Ex ipsis igitur auctoris nostri regulis non potuit esse verus episcopus, quia ecclesia catholica eum declaravit falsum episcopum. Auctor noster porro ait, "Hisce hæreti-" cis & schismaticis episcopis, sic ordinatis, non factos esse ordi-" nes suos nullos & vacuos ab illis ecclesiis, quæ eorum admi-" serint baptismos". Ego autem euidenter probaui contrarium, istorum hæreticorum potestatem rescissam esse & declaratam vacuam, non tantum ab ecclesiis *Cyprianicis*, quæ baptismos eorum irritos fecerunt, sed a *Romanis* etiam ecclesiis & vniuersa ecclesia catholica, & ab episcopis totius orbis christiani, qui baptismos eorum in tantum validos esse iusserunt, vt non essent iterandi. Suam illis potestatem & auctoritatem auferebant eosque declarabant falsos episcopos, factitios episcopos, non-episcopos; et licet ipsi se appellitarent episcopos, re tamen ipsa non erant episcopi in oculis ecclesiæ, quia potestatem illis suam eripuerat, suaque auctoritate ipsos ad statum redegerat laicorum. Fatetur auctor noster, habuisse ecclesiam huiusmodi potestatem rescindendi eorum functiones ministeriales, & ecclesias *Cyprianicas*

hanc poteſtatem in illos re ipſa exercuiſſe. Quo in caſu concedit, hæreticos epiſcopos fuiſſe epiſcopos nullo munere, quod per hanc eccleſiarum diſciplinam poteſtate ſacerdotali exuti & ad conditionem laicorum manifeſto reducti fuerint. Ego autem præterea demonſtraui, reliquas orbis chriſtiani eccleſias omnes eamdem ſibi poteſtatem vendicaſſe & ipſo actu exercuiſſe aduerſus epiſcopos hæreticos; priuaſſe eos functionibus miniſterialibus, exuiſſe auctoritate ſua omnemque illis epiſcopalem & ſacerdotalem poteſtatem ademiſſe & deinceps declaraſſe, eos non eſſe epiſcopos nec ſacerdotes, ſed in ſtatu & conditione laicorum. Vt adeo, ſi poteſtatem eorum reſciſſam illiſque ablatam fuiſſe ſtatuamus, ex ipſis auctoris noſtri principiis & conceſſis ſequatur, vt hi hæretici epiſcopi non fuerint amplius veri & auctoritate poteſtateque inſtructi epiſcopi & ſacerdotes Dei, ſed laici, honoribus ſacerdotalibus deſtituti; vtpote per eccleſiæ catholicæ auctoritatem poteſtate, quam aliquando habuerunt, deſpoliati.

Iam vero iudicet auctor noſter vel alius quicumque, annon horum hæreticorum & ſchiſmaticorum baptiſmi ex hoc ſuppoſito fuerint baptiſmi ſacerdotum, ſacerdotio deſtitutorum, baptiſmi antiepiſcopales, & baptiſmi laicorum, auctoritatis & poteſtatis ſacerdotalis prorſus expertium? Non dico laicorum, qui nullam vmquam poteſtatem habuerunt (ne auctor noſter verba mea ſuis argutiis perſequatur) ſed hominum, qui poteſtate ſua per epiſcopos eccleſiæ reapſe fuerunt deſpoliati, & epiſcopis ſeſe oppoſuerunt, ad ſtatum laicorum reducti. Huiusmodi baptiſmi ſi non fuerunt antiepiſcopales, neſcio, quid antiepiſcopales baptiſmi ſibi velint; aut quid ſint baptiſmi ſine mandato & auctoritate dati, ſi horum hominum baptiſmi non fuerunt tales, vbi ſua eis auctoritas & poteſtas ademta fuit. Non vtetur, credo, auctor noſter illo perfugio, quo quidam ex amicis ipſius vtuntur, contra eccleſiæ auctoritatem audacter dictitantes, Quod ſacerdos aliquis ſit verus ſacerdos, auctoritate adhuc pollens, quamcumque eccleſia rationem inierit ſacerdotalis muneris adminiſtrationem illi eripiendi eumque ad ſtatum laicorum reducendi. Agnoſcit enim auctor noſter, eccleſiam & habere & oportere habere talem poteſtatem; immo fatetur, eccleſias *Cyprianicas* hanc poteſtatem in hæreticos per diſciplinam ſuam ipſo actu exercuiſſe, functi-

functiones ministeriales hæreticorum episcoporum & sacerdotum rescindendo eosque omni sacerdotali auctoritate vacuos relinquendo in conditione laicorum. Vt adeo vna sola quæstio, inter hunc auctorem & me residua, hæc sit: Num reliquæ ecclesiæ per orbem christianum eadem potestate contra hæreticos, episcopos & sacerdotes vsæ sint? Qua enim si vsæ sunt, omnino laicos eos fecerunt. Tum vero, si qui ex his laicis episcopis suis vel collegio episcoporum sese opposuerunt, & sine recuperata ab illis potestate baptizare ausi sunt, baptismi eorum, rebus sic se habentibus, necesse est fuerint baptismi antiepiscopales, baptismi sacerdotum falsorum & prorsus nullorum, vtpote nullum habentium mandatum, nullam potestatem nisi vacantem & rescissam, & baptismi laicorum auctoritatis & potestatis sacerdotalis plane expertium. Vellem de hoc capite quam possum planissime loqui, quia summa dissertationis nostræ ratio ab hoc vno argumento dependet. Quod si auctor noster honeste mecum experiri volet, omnibus reliquis controuersiis sepositis huic soli insistemus, & veritatem ab illa parte stare iubebimus, quæ clarissima testimonia & validissimas rationes pro se habere videbitur. Quæstio hæc ad rem gestam & historiam spectat, quæ proinde facile decidi potest ex publicis monumentis ecclesiæ, actis videlicet generalium & prouincialium conciliorum per omnes ætates, quæ rationem continent, quam aduersus hæreticos inierit ecclesia, vnde nullo negotio ostendi potest, an hæreticorum munia vacare iusserit, & sacerdotalem auctoritatem suam eis eripuerit, an non. Si eorum munia non iussit vacare, manus huic auctori dabo: sin autem planum fecero, ipsam potestatem eorum rescidisse omnemque illis sacerdotalem auctoritatem ademisse, futurum spero, vt mihi honeste manus det & largiatur, veteres hæreticos non fuisse veros episcopos & sacerdotes, legitima præditos potestate, sed vsurpatores antiepiscopales, agentes præter & contra verorum episcoporum ecclesiæ auctoritatem; adeoque baptismos eorum non fuisse baptismos sacerdotum, auctoritatem & potestatem habentium, sed baptismos antiepiscopales, & baptismos laicorum, omni auctoritate & potestate per ecclesiæ censuras priuatorum. Neque mihi plus concedi cupio, vt probem, antiquam ecclesiam catholicam tales baptismos, vt validos suscepisse

sine

ſine rebaptizatione, qui debita forma dati fuerint ab hominibus, qui tunc, quum baptizarent, poteſtatem ſacerdotalem amiſerint, nec veri ſacerdotes Dei in iſto actu fuerint, ſed tantum laici, auctoritate & poteſtate baptizandi deſpoliati.

§. VIII.

Quod auctor noſter, dum aduerſarios ſuos neceſſitatem chriſtiani ſacerdotii diſſoluere arguit, ſimul principia & praxin totius eccleſiæ catholicæ per omnia ſæcula redarguat.

Vnvm tantum adhuc obſeruabo in longam auctoris noſtri præfationem, & quidem in aculeum, quem habet in illius exitu. *Vt finiam*, inquit, *longam præfationem meam, relinquo hoc venerando noſtro hiſtorico, tamquam clerico, & adfirmo, propoſitionem eſſe facilem probatu aduerſus quemcumque, Quod, ſi baptiſmus ab iis datus, qui nullum vmquam baptizandi mandatum & poteſtatem ab epiſcopis acceperunt, & qui hac in re animo in diuinum ius epiſcoporum rebelli & refractario egerunt, ſit bonus & validus baptiſmus, tunc etiam publica verbi diuini prædicatio, alterius ſacramenti adminiſtratio, poteſtas excommunicandi, ligandi & ſoluendi, retinendi & dimittendi hominum peccata, & reliquæ ſacræ functiones clericorum vniuerſæ bonæ quoque ac validæ ſint, ſi ab hominibus laicis, auctoritatis & poteſtatis ſacerdotalis nihil habentibus, fuerint attentatæ. Cuius adſertionis conſecutio eſt extrema neceſſitatis chriſtiani ſacerdotii adeoque & auctoritatis CHRISTI hac in terra & omnis reuelatæ religionis diſſolutio & ademtio. Quæ res eſt conſideratu terribilis, idque tanto magis, ſi qui, quos harum rerum ſacrarum cuſtodes eſſe oportebat, ſcriptis ſuis & ſermonibus haſce periculoſas præmiſſas ſtabilire ſatagant, ex quibus tam profanæ conſecutiones ſponte fluunt.*

Melivs feciſſet auctor noſter, ſi hoc probaſſet ſolide, quam quod ſolum dixit, & minas, quas potuit, iactauit. Nemo enim fidem ei habebit præter illos, qui quoduis credunt ideo duntaxat, quia ipſe dicit. Sit licet res conſideratu terribilis vt quæ maxime, ego non dico ſolum, ſed probaui etiam auctori noſtro, quod

iſta

ista nec me, nec ecclesiæ, quæ nunc est, episcopos (quorum plerique eidem accusationi implicantur) magis adficiant, quam vniversam ecclesiam catholicam, quæ baptismos hæreticorum validos habuit eodem tempore, quo hæreticos sacerdotali potestate priuatos, durante eorum hæresi, nihilo magis sacerdotes (licet commissam sibi sacerdotalem potestatem aliquando habuissent) reputauit, quam laicos omni auctoritate vacuos nullaque vmquam potestate sacerdotali donatos. Quare verbis eius paullum quidem mutatis, quoad fieri tamen potuit retentis, eamdem actionem primitiuæ ecclesiæ intendam: Si baptismus ab iis datus, qui mandato & potestate baptizandi vere & iuste ab episcopis ecclesiæ catholicæ priuati sunt, & qui post istam priuationem animo in divinum ius episcoporum rebelli & refractario agunt, bonus & validus est baptismus, vti quidem iudicauit vetus ecclesia, tunc etiam publica verbi diuini prædicatio, alterius sacramenti administratio, potestas excommunicandi, ligandi & soluendi, retinendi & dimittendi hominum peccata, & reliquæ sacræ functiones clericorum vniuersæ, bonæ quoque & validæ sunt, si a sacerdotibus, auctoritatis sacerdotalis nihil habentibus, quos ecclesia potestate sua priuatos laicos fecit, fuerint attentatæ. Cuius assertionis consecutio est extrema necessitatis christiani sacerdotii adeoque & auctoritatis CHRISTI hac in terra, & omnis reuelatæ religionis dissolutio & ademtio. Iam si hanc violentam argumentandi rationem in inanis maledicti & contumeliæ loco ponendam esse iudicauerimus, si quis ea vti ausus fuerit aduersus notam primitiuæ ecclesiæ consuetudinem, qua baptismum hæreticorum, mandato baptizandi per eamdem, quæ initio dederat, potestatem priuatorum, validum esse iussit: ego omnibus & singulis definiendum relinquo, quo nomine appellanda sit eadem accusatio aliis factitata, qui ecclesiæ antiquæ & hodiernæ consuetudinem duntaxat exponunt & contra recentiorum scriptorum nouationes defendunt. Auctor quidem noster non vult adfirmare, magnum aliquod discrimen intercedere inter potestatem olim datam sed vacuam factam, & inter potestatem numquam omnino datam: nam auctoritas æqualiter vtrique deest; adhuc tamen contendit, ecclesiam primitiuam illorum hæreticorum potestatem numquam effecisse vacuam; quorum baptismum receperit

vt validum; quod si vel sexcenties adhuc dixerit, nihilo propius ad veritatem accedet, sed magnus error vel ipsius vel aliorum quorumdam esse deprehendetur, qui credulitate eius hoc illum edocendo abusi sunt; et quanto sæpius id repetierit, tanto maiorem sibi ipsi & aliis iniuriam facturus est recitando ea, quæ perperam ab eis edoctus est.

MVLTO plura dici poterant, vt, quam inutiliter & absurde hæc proponantur, ostenderem; enim vero bonus & prudens quisque lector intelliget, me iam satis multa dixisse ad vindicandos sacrarum rerum custodes ab illa infamia, qua tam praue legitimos antistites suos & ecclesiæ antiquæ rectores adspersit, cum quibus honori mihi duco ab hoc auctore vituperari, ideo solum, quod ea tuear principia, quæ fouit ecclesia catholica, ex quibus omnis reuelatæ religionis & christiani sacerdotii dissolutionem falso deducit; quasi nulla legitimorum sacerdotum necessitas esset, quia forte dentur quidam vsurpatores; quidam hæretici, qui commissam sibi potestatem baptizandi perdiderunt, & alii quidam, qui nullam vmquam potestatem habuerunt; quorum baptismi nullas dotes spiritus conferre possunt, ad quas conferendas legitimis sacerdotibus opus est, externam autem formam ita dare possunt, vt ecclesia eam per rebaptizationem non ducat repetendam. Declamet, licet, quam diu & quam vehementer voluerit, dicatque, christiani sacerdotii necessitatem ea ratione dissolvi: Id enim solum est, quod ab eo exspecto, qui in ecclesiæ suæ patres contemtim & insolenter insultat, & reuerentiam sacerdotum præ se ferens eos omnes illiberaliter tractat, quos non habet sectatores & admiratores. Quidquid in præsenti de hoc capite in hunc fratrum accusatorem dicam, hoc solum est, *Increpet te Dominus!*

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Animaduerſiones in auctoris noſtri caput primum & ſecundum.

Quod illi, qui baptiſmos vſurpatorum vt validos admittunt, non fulciant nec adiuuent eorum vſurpationes.

DIVTIVS ſic conſiderata auctoris noſtri præfatione, breuiter tantum & ſtrictim percurremus eius librum: quia præcipua controuerſia de baptiſmo ſine auctoritate dato iam diremta eſt. Capite primo auctor noſter aſperius inuehitur in poteſtatis ſacerdotalis vſurpatores harumque vſurpationum adiutores & impulſores, cuius culpæ ex iis, qui hanc controuerſiam ingreſſi ſunt, reum noui neminem, quantumuis inuidiam illius in illos conferre geſtiat. Librum ſuum inchoat lectoribus ſuis narrando, "occaſionem edendi illum eſſe plane nouitiam & " minus chriſtianam vſurpationem, tempore reformationis & " inde in hodiernum vſque diem attentatam ab hominibus, qui " nullum vmquam diuinum miniſterium acceperint, & qui tamen animo in ſpirituales ſuos magiſtratus rebelli & refractario " iſtiusmodi miniſterium ab illis accipere recuſantes, in ſummorum antiſtitum & ſacerdotum officium ipſi ſeſe ingerere, & res " iſtas ſacras adminiſtrare audeant, quas Deus ſanctæ illi poteſtati adſignarit, quam eum in finem hominibus dederit. Et hoc " eos facere non prætexendo neceſſitatem ex penuria, vti quidam " putent, eorum oriundam, qui auctoritate & poteſtate inſtructi ſint, ſed animum in eos, qui CHRISTI partes ſpirituali " modo ſuſtinent, gerendo obſtinatum & contumacem, ſuffodiendo & concutiendo illam auctoritatem, qua ipſe eos inſtruxerit."

QVAECVMQVE in hac accuſatione dicta ſunt, eius amicos maxime omnium adficiunt, illos intelligo, qui easdem, quas auctor noſter, opiniones fouent de rebaptizatione, hoc eſt, ſectatores CARTWIGHTI in *Anglia* & *Caluiniſtas* transmarinos. Nos enim, qui de eccleſia ſumus *Anglicana*, cum illa quæ dicitur, vſurpatione nullum habemus commercium. Sed vero auctor noſter ait, " Nos adhærere animumque addere illis in vſurpationibus

" nibus suis, nos conspirare cum illis, ipsosque sollicitare & in-
" stigare, quia adfirmemus, esse aliquid valoris in iis, quas sibi
" arrogent, functionibus". Verum si hoc esset, animum addere vsurpatoribus eosque sollicitare & instigare, ego maiori cum specie in auctorem nostrum hanc culpam transferre possem, quod hæreticos & schismaticos sollicitet & instiget. Statuit enim, veterum hæreticorum & schismaticorum baptisma non solum bonum & validum, sed etiam datum fuisse cum æque bona auctoritate & ex diuino mandato, atque baptisma sacerdotum catholicorum. Quæ adsertio hosce vsurpatores veris Dei sacerdotibus & auctoritate præditis baptizatoribus ecclesiæ pares facit & æquales, quum tamen plane probauerim, antiquos hæreticos omnes potestate baptizandi destitutos & vsurpatores fuisse contra episcopalem auctoritatem repugnantes. Si quid vero roboris in accusatione eius inest, tum 1) æqualiter valet contra omnem ecclesiam *Anglicanam* & vniuersum collegium episcoporum illius a tempore inde reformationis, qui eos constanter admiserunt, qui ab istis vsurpatoribus baptizati fuerunt, sine nouo baptismate. Vt proinde, si nuda actio admittendi baptismum eorum vt validum sit imitatio & impulsio vsurpatorum, vniuersa ecclesia *Angliæ* hoc crimine ab initiis inde reformationis implicata fuerit. 2) Accusatio eius pariter contra ecclesiam primitiuam valet, eo quod baptismos *Nouatianorum* validos esse iussit, qui non solum potestate sacerdotali priuati fuerunt tamquam hæretici, sed episcopali etiam mandato baptizandi destituti ab origine, vtpote numquam veram episcopalem ordinationem, sicut ostendimus, adepti. 3) Vniuersam ecclesiam primitiuam eiusdem criminis ream facit, quod vsurpatores incitarit eisque addiderit animum, quia baptismos istorum hæreticorum vt validos admisit, quibus auctoritate sua commissam antea potestatem ademit, & quos non amplius pro sacerdotibus, sed meris vsurpatoribus habuit. Nam isti homines vocabulis; *Numquam nacti diuinum mandatum*, tantum mutatis in *Priuati diuino mandato*, descriptioni, quam auctor noster suggerit, quales sint christiano nomine parum digni vsurpatores, æque expositi sunt atque illi, in quos eam intendit.
" Nam priuati erant diuino ministerio, & tamen animo in spiri-
" tuales suos magistratus rebelli & refractario in summorum an-
"tisti-

" ſtitum & ſacerdotum officium ipſi ſeſe ingerere, & res iſtas
" ſacras adminiſtrare audebant, quas Deus ſanctæ illi poteſtati
" adſignarat; et hoc faciebant non prætexendo neceſſitatem ex
" penuria eorum oriundam, qui auctoritate & poteſtate inſtru-
" cti eſſent, ſed animum in eos, qui CHRISTI partes ſpirituali
" modo ſuſtinerent, gerendo obſtinatum & contumacem, ſuffo-
" diendo & concutiendo illam auctoritatem, qua ipſe eos inſtru-
" xerat". Hi hæretici, poſtquam diuino ſuo miniſterio per illos, qui ſpirituales CHRISTI vices obtinent, priuati nec vllam aliam poteſtatem ab illis nacti erant, animo in eos refractario & inimico ſacerdotale officium baptizandi ſibi arrogabant, præter & contra auctoritatem, & tamen eccleſia primitiua horum vſurpatorum baptiſmos ſuſcepit vt validos in tantum, vt externam formam non iteraret. Iam vero ſecundum illam argumentandi rationem, qua vtitur auctor noſter, eccleſia primitiua accuſatur, quod hæreticos & ſchiſmaticos vſurpatores incitarit eisque addiderit animum, quia baptiſmos eorum validos eſſe iuſſerit. Si vero hæc per calumniam de eccleſia primitiua dicuntur, tum æque per calumniam de illis omnibus dicuntur, qui baptiſmum vſurpatorum vt validum admittunt, non vlterius quidem, quam eccleſia primitiua illum admiſit, quæ nullam hæreticis & ſchiſmaticis auctoritatem ſacerdotalem tradidit (vti auctor noſter facit) ſed illam eis eripuit; quæ nullos ſpirituales effectus hæreticis ſiue auctoritate deſtitutis baptiſmis tribuit, ſed homines ad redeundum in gratiam cum eccleſia allicere & excitare ſolita eſt, vt gratiæ ac ſalutis participes fieri poſſent. Hoc non eſt incitare hæreticos, vel ſchiſmaticos, vel vſurpatores eisue animum addere, ſed debitum criminibus eorum onus imponere; condemnare vſurpationes, negare auctoritatem eorum, & incitare illos, vt, praua & auctoritatis experte ratione agendi relicta, ad veram & auctoritate inſtructam efficacemque rationem eccleſiæ reuertantur. Quæ res oſtendit, quantopere zeli ſui modum transgrediatur auctor noſter, quum in eo eſt, vt eiusmodi deſtitutam omni fundamento accuſationem aduerſus innocentes fratres ſuos formet, quæ eccleſiæ *Anglicanæ* & vniuerſæ eccleſiæ catholicæ, immo ei ipſi dedecori eſt, qui pro ſacerdotali auctoritate iſtorum hæreticorum dimicat, quos ve-

rus ecclesia declarauit non esse sacerdotes sed vsurpatores. Et hæc vna sola animaduersio & nota est, quam in primum caput eius faciendam duxi.

Capvt secundum exorditur dicendo: " Me rem controuersam " concedere vt theologum, negare autem vt historicum, quia dicam, " potestatem dandi hominibus auctoritatem baptizandi necessa- " riam esse ad conseruandam ecclesiam ex mandato CHRISTI " in futuris sæculis." Felici sane ingenio hic auctor præditus est inueniendi contradictiones, vbi nullæ sunt. Ecqua enim in re theologiam meam & historiam inter se commisi, vt altera alteri contradiceret? Si mandatum fuit CHRISTI de eo, quod esse debeat in ecclesia stabile & firmum ministerium, auctoritate baptizandi præditum necesse erat, esse quosdam adhuc, qui mandatum habeant dandi isti ministerio auctoritatem baptizandi. Hoc voco obseruationem mandati seu regulæ, quam CHRISTVS in ecclesia sua ad hanc ipsam vna cum ministerio, talem perpetuam auctoritatem habente, conseruandam præscripsit. Iam si qui omni auctoritate destituti baptizare audeant sine mandato, neque vero ecclesia expedire iudicet, externam baptismi, ab eiusmodi vsurpatoribus dati, formam iterari, an ea res facit, vt necesse non sit, esse in ecclesia firmum aliquod & auctoritate ornatum ministerium, aut esse in illa eos, qui habeant mandatum armandi alios auctoritate, quia baptismus validus, quod ad externam formam, dari nonnumquam potest ab vsurpatore quodam? Credo equidem, ecclesiam veterem mandatum CHRISTI tam bene intellexisse, quam nostrum quispiam id intelligere sibi videatur. Neque tamen existimauit, quod, quia hæreticorum & schismaticorum, auctoritate & potestate destitutorum baptismos suscepit, ideo non opus fuerit publicum aliquod ministerium, auctoritate præditum, h. e. eiusmodi homines, quibus negotium datum sit, vt alios auctoritate instruant baptizandi secundum mandatum CHRISTI, quia fuerunt, qui sine auctoritate ecclesiæ atque adeo contra CHRISTI mandatum baptizarent; sed credidit, hæc duo consistere simul posse, nec externam formam baptismi ab hominibus, auctoritatem nullam habentibus, aliquando dati, tollere generalem constantis & auctoritate præditi ministerii in ecclesia necessitatem. Vt adeo quidquid

quid contradictionis auctor noster narrationibus meis, tamquam historici & tamquam theologi sibi fingit, non possit non in ecclesiam catholicam cadere, æqualique accusatione iudicium eius ex vna parte & praxin eius ab altera parte onerare. Cuiusmodi in societate reprehensionem auctoris nostri subire non recuso.

§. II.

Quod arbitraria quædam potestas dandi certis hominibus negotium baptizandi credita fuerit in manibus sita esse episcoporum.

PROXIMVM sermonem eius contra auctorem, qui sub nomine AMBROSII scripsit, *p. 6.* silentio prætereo, quia eum non multum vrgeo, neque adeo disputationes de ipso multiplicare cupio. Ait autem auctor noster *p. 10.* "Me principium potestatis episcoporum, qua laicis detur auctoritas baptizandi, firmare istius auctoris, quæ venditetur, relatione". Quæ perperam ita dicuntur, et forte illis lectoribus probabuntur, qui librum ipsius legere voluerint, non meum; aliorum autem iudicio non facient satis. Neque enim quidquam facto, vti ab auctore isto narratur, superstruo, sed dico tantum, veteres ex eodem fundamento egisse, quod alibi probaui. Verba mea sic habent: *Quamquam nemo de antiquis scriptoribus mentem suam hac de re tam perspicue declarauit, quam quidem bic personatus Ambrosius: manifestum tamen est, eos omnes, qui episcoporum potestatem, qua diaconis & laicis auctoritatem baptizandi concesserunt, aut pro prudentia sua eam illis subtraxerunt, tuiti sunt, ex eodem fundamento agere oportuisse, nimirum quod istiusmodi potestatem in manus episcoporum ecclesiæ, tamquam apostolorum successorum tradita sit decernendi, quinam & quibusnam in casibus baptizare debeant, quemadmodum pro sapientia sua rationes ecclesiæ magis vel minus id exigere indicarent.* Et hanc huius rei ibidem rationem dedi: *Nam sine boc principio fieri non potest, vt quis rationem de veterum consuetudine episcoporum adferat, qui diaconos interdum a baptizando non minus quam laicos reuocarunt, interdum autem vtrisque id faciendi dederunt auctoritatem.* Vid. *histor. schol. p. 4.* Melius proinde fecisset auctor noster, si istam

istam agendi rationem veterum alio quodam modo narrasset, quando ea, quæ ego dixi, non approbauit, quam quod narrationem meam frustra ac sine caussa reprehendit.

§. III.

Num diaconi reputati fuerint sacerdotes & ordinarii ac constantes ministri baptismatis.

VERVM hæc non vna sola est falsa reprehensio, quam quibusdam in locis adhibuit auctor noster. Proxime enim rogat, "Cur diaconi cum laicis heic adnumerantur illis, qui non sint " ministri ad baptizandum constituti? Nonne BINGHAMVS ipsos " antea publicis ministris accensuit"? Respondeo: Non accensui? Dixi tantum, habuisse eos ab apostolis potestatem baptizandi; vtrum vero hoc fuerit in ordinariis an in extraordinariis casibus, ego non definiui. Baptismus eunucho a *Philippo* datus, extra ordinem datus fuit, vbi alius nemo dare eum potuit. Potestas vero, quam quis in tali casu habet, non efficit ipsum ordinarium & perpetuum ministrum baptismi, alioqui laici, quibus potestas erat baptizandi in casibus extraordinariis, ordinarii & perpetui fuissent ministri. Ait autem *p. 17.* aliter me sensisse, quum scriberem *origines* meas, in illis enim me diaconos vocare sacerdotes, et ex OPTATO atque D. GEORGIO HICKESIO ostendere, episcopos, presbyteros, et diaconos partem habuisse in christiano sacerdotio. Multa ex verbis meis citat, vnam tamen rem obliuiscitur, Quod ego opinionem tum recensuerim veterum in vtramque partem, et quod dixerim, opinionem OPTATI non fuisse generalem & receptam opinionem, sed quæ maxime obtinuerit, fuisse eam, quod non fuerint sacerdotes sed Leuitæ. Integrum quemdam paragraphum heic transcribere cogor ex *originibus* meis, quem auctor noster prætermittendum duxit. Ipsa inscriptio ait, *diaconos non vniuersaliter vocatos sacerdotes sed ministros & Leuitas;* et verba ita habent; *Ne heic lectoribus meis imponere videar, animaduertendum mihi est, quod nomen sacerdotum non generatim diaconis datum ab iis sit, qui pro sacro eos ordine habuerunt, sed quod plerumque a sacerdotibus nomine ministrorum ac Leuitarum distincti fuerint. Ita Hieronymus*

mus a ſacerdotibus ſecundi ordinis, hoc eſt, presbyteris, Leuitarum appellatione eos diſtinguit. Auctor quæſtionum in vetus & nouum teſtamentum ſub nomine Auguſtini, & Hilarius Sardus ſub nomine Ambroſii ſacerdotes vmquam eos dictos eſſe exſerte negant. Et Saluianus, quamuis diuinarum rerum adminiſtratione eos fungi agnoſceret; eodem tamen nomine Leuitas eos appellat, idque ideo, vt a ſacerdotibus diſtinguat. Atque ita in conciliis nomina ſacerdos & Leuita frequenter vſurpantur, tamquam tituli, presbyteros ac diaconos a ſe inuicem peculiariter diſtinguentes. Concilium Carthaginenſe quartum magis perſpicue hac de re loquitur, Diaconus, inquiens, non ad ſacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur. Et hinc canones eos quandoque ὑπηρέτας & miniſtros, non eccleſiæ tantum ſed & epiſcoporum ac presbyterorum nuncupant, quemadmodum e concilio Nicæno & Carthaginenſi quarto multisque aliis videre eſt. Vnde viri quidam docti (Iſaacus Habertus & Ioannes Fellus) contra Optatum & Auguſtinum concludunt, quod diaconis numquam licuerit eſſe ſacerdotibus: dum alii, Nicolaus Rigaltius & Georgius Hickeſius) cum Optato inter diuerſos ſacerdotii gradus diſtinguunt, exiſtimantes, quod, licet diaconi non abſolute dicantur ſacerdotes, quia hic proprius epiſcoporum & presbyterorum, quibus miniſtrare eos oportebat, titulus fuerit; diaconi tamen interdum eiuſmodi officiis functi ſint, quæ ad inferioris gradus ſacerdotium ius iis ipſis conciliarint. Re ita ab vtraque parte dextre ob oculos repræſentata, intelligentibus lectoribus ipſis diiudicandum relinquo, vtra opinio validiſſimis rationibus gaudere eis videatur. Hactenus *Origines* meæ lib. II. cap. XX. num. II. p.299. Ex quibus lector iudicet, velim, quam mihi ipſe contradicam, quando veteres adſero non generatim permiſiſſe diaconis, vt eſſent ſacerdotes & ordinarii baptiſmatis miniſtri. Manifeſtum enim eſt; de hiſce materiis diuerſum eos ſenſiſſe et maiorem partem quæſtionem negaſſe. Quotquot igitur ex illis non crediderunt, diaconos eſſe ſacerdotes & ordinarios baptiſmi miniſtros, & tamen illis quibusdam in caſibus permiſerunt negotium baptizandi, non potuerunt exiſtimare, manum ſacerdotis ita abſolute & ſimpliciter neceſſariam eſſe in omnibus caſibus, vt baptiſmus eſſe nequeat ab vllo alio datus, niſi pugnantia loquuti

fuerint. Credo autem, auctorem nostrum vocabula *sacerdotis* & *potestatis sacerdotalis* latiore sensu accipere, quam quo acceperunt veteres isti, qui sacerdotes a diaconis distinxerunt, sicut etiam ecclesia nostra facit, quando tres ordines episcoporum, sacerdotum & diaconorum distinguit. Ipse enim omnes & singulos sacerdotes facit & sacerdotali potestate instructos, qui mandatum baptizandi, siue in ordinariis siue in extraordinariis casibus quibuscumque, habent. Ait enim *p. 17. Si qua eiusmodi res locum habere potest, cuiusmodi est, quod laicis vera auctoritas baptizandi dari dicitur, tunc hi auctoritatem nacti cessabunt hoc respectu esse laici, habentes (si habere possunt) potestatem sacerdotalem baptizandi, absente & deficiente clero; quae res istos eorum baptismos efficiet sacerdotales, cum auctoritate datos, neque adeo proprie baptismos laicales.*

QVOAD igitur sic discrepamus verbis, de sacerdote & sacerdotio disputamus & contendimus in tenebris. Veteres per sacerdotem communiter intelligunt presbyterum, qui in ordinatione potestatem accepit sacerdotalem, diacono non competentem; et ordinaria baptismi administratio a plerisque eorum pars huius potestatis constituitur. Auctor autem noster per sacerdotem intelligit quemcumque, qui mandatum baptizandi habet, quibuscumque in casibus, tam diaconum & laicum (posito, quod tale mandatum acceperit) quam presbyterum, quem ecclesia sacerdotem vocare solita est a diacono distinctum. Quum igitur per sacerdotem aliud intelligant veteres, aliud noster auctor, melius est, hac disputatione omissa ad rem venire certiorem; sumere vocabulum sacerdotis sensu auctoris nostri, et tum inquirere, An nemo, nisi cui ab ecclesia negotium datum sit, externam baptismi formam administrare possit, ita validam, vt illam iterari necesse non sit?

§. IV.

Multos baptismos, sine mandato administratos, olim confirmatos fuisse ab episcopis sine rebaptizatione.

AVCTORIS nostri ἀξίωμα seu pronuntiatum est *p. 10. Vbi nulla potestas, ibi nullus baptismus; vbi nullum mandatum in administrante, ibi nullus baptismus in recipiente.* Qua de re me, immo

immo homines singulos & vniuersos, prouocat *p. 11.* vt exempla producamus talium, qui venditentur, baptismorum ab episcopis confirmatorum, in quibus potestas (quam essentialem vocat) defuerit. Iterum prouocat *p. 12.* *Quinam presbyteri*, inquiens, *inter veteres vmquam baptizare ausi sunt tamquam absoluta potestate gaudentes nec ab episcopis dependentes. Iosephus Binghamus nullum vetustius exemplum produxit istiusmodi rebellium hominum, qui recentioribus temporibus antistitibus suis sese opposuerint. Quid? quod schismatici antiquioribus temporibus huic vel illi episcopo adhaeserunt ab illoque dependerunt.* Sed vero huic obiectioni, diuina sic volente prouidentia, iam occurri ante, quam facta fuit. Ostendi enim, veterum hæreticorum & schismaticorum inhabilitatem ad functiones ecclesiasticas sitam fuisse in eo, quod non habuerint sacerdotalem potestatem. Nam potestas eis sua adempta erat, adeoque idem erat, ac si nullam vmquam habuissent: sicut is, qui oculos suos perdidit, æque cæcus est & lumine oculorum caret atque ille, qui oculos numquam habuit. Id quod in præcedenti dissertatione tam solide probaui, vt leues argutias omnes, quas in proximis paginis de accidentali & essentiali inhabilitate ad munia ecclesiastica auctor noster habet, omnino obstruxerim. Defectus enim potestatis (ex ipsius sententia) inhabilitas essentialis est in sacerdote seu presbytero. Cur vero talem hominem presbyterum appello, quando expers potestatis est? Ideo tantum, vt aliquod ei nomen dem, quo cognoscatur. Concedo enim, non esse veri nominis presbyterum, si sit potestatis expers. Et idcirco non adeo difficilis res est mentem meam percipere, vti quidem *pag. 14.* existimat. Ego intelligo eum, qui quondam potestatem presbyteri habuit, deinde autem ob hæresin suam vel schisma per auctoritatem & disciplinam ecclesiæ potestate illa privatus est, cuius administratio vitiosa est in hoc ipso actu, quia iam agit sine potestate. Hic est ille presbyter, de quo disquiro, quid valoris habeant baptismi ab eo administrati, postquam concessam sibi potestatem perdidit, et contra auctoritatem episcopi sui, qui ipsi potestatem eripuit, agere instituit. Non erat iam reuera, sed nomine tantum presbyter, quia potestatem, quam acceperat, amisit. Quomodo vero factum est, vt baptismi eius nihilo minus validi haberentur, quum auctoritate & potestate esset

ſet deſtitutus? Hoc eſt, quod quæro. Iam auctor noſter ſententiam meam denuo peruerſe interpretetur, ſi poteſt. Oportet iam dicat, aut hæreticum vel ſchiſmaticum presbyterum numquam ita deſpoliatum eſſe poteſtate ſua in eccleſia antiqua, aut baptiſmos, quos ſic deſpoliatus dedit, numquam admiſſos eſſe, vt validos. Quæ ambæ adſertiones ad rem facient, ſi alterutram contra tot luculenta & probatæ auctoritatis teſtimonia, quæ in contrariam ſententiam attuli, omnino probare potuerit. Neutra autem earum quiddam ſignificabit hac in cauſſa, vbi de valore baptiſmorum, ab hominibus nullum mandatum poteſtatemque baptizandi habentibus adminiſtratorum, diſputamus.

§. V.

Veterum neceſſariam diſtinctionem baptiſmi cum auctoritate dati a baptiſmo mere valido ab auctore noſtro confundi.

AVCTORIS noſtri hypotheſis ipſi non permittit, vt baptiſmum cum auctoritate datum a baptiſmo mere valido diſtinguat, quia omnes baptiſmos nullos & vacuos reputat, qui ſine auctoritate dati ſunt. Veteres autem hæc duo baptiſmorum genera diſtinguebant, alterum quidem legitima auctoritate fultum exiſtimantes; alterum vero non item. Quare auctor noſter inſcite nugatur & ſibi ipſi & lectoribus ſuis imponit *pag. 16.* quum me pugnantia loqui dicit, quia, quando de baptiſmo cum auctoritate dato verba facio, veteres eum ex commiſſa poteſtate deducere dico; & quando de baptiſmo mere valido loquor, dico, veteres eum non deriuare ex poteſtate ſacerdotali, quia baptiſmos hæretici cuiuſdam vel ſchiſmatici ſacerdotis, poteſtate ſua deſpoliati, hoc non obſtante validos reputarunt. Quæ res, veterum quidem opinione, bene conſiſtebant. Tum autem ait *pag. 20. Si quid facere voluiſſet, quod ad rem pertineret, producere debuiſſet publicas auctoritates & teſtimonia, ex quibus conſtet, baptiſmos in nomine TRINITATIS ab hæreticis, ſchiſmaticis, aliisque inhabilibus ſacerdotibus adminiſtratos, fuiſſe validos. Debuiſſet adferre hiſtoriam eiusmodi veterum, qui poteſtatem horum ſacerdotum, durante eorum hæreſi vel ſchiſmate, vel alia quadam inha-*

inhabilitate, rescinderint vacuamque declararint. Nondum autem vllum eiusmodi exemplum dedit nec vmquam daturum esse confido. Manifestum enim est, hasce antiquas ecclesias, quæ istos baptismos validos esse iusserunt, agnouisse etiam sacros ordines baptizantium eorumque ordinationem episcopalem habuisse ratam & validam. Optime autem hac de re iudicabit lector, si auctoritates considerauerit, quas in antecedente dissertatione produxi, vt hæreticos, schismaticos & gradu deiectos sacerdotes potestate sua exspoliatos, nec in isto exspoliationis statu veros Dei sacerdotes, sed sacerdotes auctoritatis & potestatis expertes, seu laicos fuisse, probarem. Duo testimonia, quæ auctor noster *p. 21.* ex concilio *Nicæno* & ex *codice Africano* adfert, nihil eum iuuant. Neque enim hæreticos & schismaticos, quoad in hæresi vel schismate maneant, vera auctoritate & potestate præditos sacerdotes esse dicunt, sed admittendos esse ad ministrandum in conditione clericali, ad ecclesiam reuertentes. Et tum demum mandatum & potestatem ab ecclesia habebant, qua, durante eorum hæresi vel schismate, destituti fuerant. Et hoc tantum singularis fauoris in *Nouatianos* & *Donatistas* documentum erat, quum a communi regula discederent, quæ hæreticos & schismaticos a clericali gradu & potestate sacerdotali in perpetuum arcebat. Auctor noster, quum sit strictioris disciplinæ in antiqua ecclesia ignarus, communem & ordinariam regulam ecclesiæ a specialiore indulgentia non distinguit, quam quibusdam in casibus hæreticis & schismaticis tribuit, vbi sibi necessitatem quamdam aliquid de vsitata disciplinæ seueritate remittendi impositam esse intellexit. Id quod fecit in caussa *Nouatianorum* & *Donatistarum*, vt eos ad redeundum ad ecclesiæ vnitatem alliceret; non quidem permittendo illis, vt essent veri sacerdotes, quoad essent extra ecclesiam, sed committendo legitimam potestatem, si in gremium ipsius reuerterentur. Quæ gratia reliquis hæreticis generatim denegabatur, qui ob pristinam rebellionem suam & inimicitias pristinas contra ecclesiam, etiam postquam reconciliati & ad communionem laicam admissi erant, potestate sua exuti manebant: cuius rei multa exempla in antecedente dissertatione in medium produxi.

IMMOTA igitur ſtabit adſertio mea aduerſus auctorem noſtrum, antiquos hoſce hæreticos & ſchiſmaticos poteſtate ſacerdotali deſtitutos fuiſſe, durante eorum hæreſi & ſchiſmate. Atque ita ex ipſis principiis & ex ipſa confeſſione eius non fuerunt ſacerdotes in iſto ſtatu, vbi poteſtas eis ſua ademta fuit ab ea ipſa auctoritate, hoc eſt, epiſcopali poteſtate, quæ initio eam dederat. Totius controuerſiæ exitum huic vni capiti permittam. Iam enim vna conſentimus, rationes cauſſæ in eo contineri. Ita, vt ſi appareat, poteſtatem ſacerdotalem, quam hi veteres hæretici & ſchiſmatici habuerunt antea ſibi commiſſam, ipſis ademtam fuiſſe per eamdem epiſcopalem poteſtatem, quæ eam initio conceſſit, auctor noſter polliceatur, ſe profeſſurum, quod non fuerint amplius ſacerdotes auctoritate inſtructi vi indelebilis cuiusdam aut non deleti characteris, in illis remanentis. In hoc enim auctor noſter magis ingenuus eſt & cauſſæ Proteſtantium beneuolentior quam alii quidam. Fatetur, characterem ſacerdotis propter crimina eius eatenus deleri & exſtingui poſſe, vt omnis actualis poteſtas, auctoritas, munia & iura ſacerdotalia ei auferri posſint per competentem aliquam poteſtatem, quæ illa ei antea tribuit. Et ſi rationibus minime dubiis probatum fuerit, hanc ipſam fuiſſe veterum hæreticorum & ſchiſmaticorum conditionem, ſicut optimis argumentis in antecedente diſquiſitione luce meridiana clarius probatum eſſe confido, tum vniuerſa diſputatio modum & finem habebit, & auctor noſter profitebitur, credo, baptiſmum antiquis temporibus datum eſſe ab huiusmodi auctoritatis expertibus & inhabilibus ſacerdotibus, qui nullam reuera poteſtatem habuerunt.

QVARE, hanc ipſam ob cauſſam, plura in ea animaduertere prætermitto, quæ de hiſtoria antiqua narrat auctor noſter; non quod quidquam dixerit, quod aliquod momentum habeat ad argumentorum & teſtimoniorum, quibus ad probandas diuerſas adſertiones meas vſus ſum, infringendam robur, ſed quod methodus illa, de qua inter illum & me iam conuenit, probabilior quædam & magis compendiaria via eſt hanc diſſertationem finiendi, dum res ad vnum aliquod caput reducitur eiusque veritas ex publicis

blicis & probatiſſimis monumentis eccleſiæ examinatur. Non erit heic nobis occaſio de eo altercandi, quod priuati auctores priuatam ſuam loquantur ſententiam : (quæ auctoris noſtri conſueta ratio eſt duobus tribusue verbis ad ea omnia reſpondendi, quæ dixi, quamquam haud alios auctores nominat, quorum teſtimoniis lectores ſuos inducat ad credenda ea, quæ ſemper quaſi dictata decantat) Nam concilia publicam eſſe eccleſiæ vocem, omnes facile concedent, adeoque vt clauſulam huic diſputationi imponamus celeremque reperiamus exitum, theſin meam demonſtrandam duxi ex ratione agendi, quam contra hæreticos & ſchiſmaticos generalia & prouincialia concilia inire conſueuerunt. Quæ demonſtratio eſt omni huiusmodi exceptione maior, quoad conciliorum acta genuina ſunt, ſicut eſſe creduntur & a nobis in genuino ſuo ſenſu accipiuntur. Sit igitur inter me & hunc auctorem hic vltimus congreſſus, ſit hæc poſtrema disquiſitio, quod ad antiquam hiſtoriam de hoc capite attinet. Meminerit ipſe, vnam ſolam quæſtionem nunc eſſe, Annon veterum hæreticorum & ſchiſmaticorum poteſtas vacua & inanis reddita fuerit per eamdem epiſcopalem poteſtatem & auctoritatem, quæ initio eam ipſis tribuit? Si lector reſponſionem videre cupiat ad ea, quæ hic auctor ex HIERONYMO, BASILIO & CHRYSOSTOMO vrget, (quorum ſolorum teſtimonia aliquam ſpeciem argumenti habere videntur) reperire eam poteſt in antecedentis ſcripti mei introitu, vbi controuerſiam cum BRETTO conſtitui atque oſtendi, quantopere fallatur in ſingulorum ſenſu, & ſpeciatim, quod opinio BASILII, hæreticos poteſtate ſua ſacerdotali exutos & laicos effectos eſſe ſtatuentis, cum totius eccleſiæ catholicæ ſententia congruat, adeoque contrariam auctoris noſtri notionem & adſertionem penitus deſtruat.

CAPVT

CAPVT QVARTVM

Animaduerſiones in ea, quæ auctor noſter de eccleſia *Græca* & de eccleſiis, a corruptelis papatus repurgatis, narrat.

§. I.

Veterem eccleſiam Græcam *diuerſas habuiſſe leges ante ſaeculum octauum, quæ de pretio & valore baptiſmorum, a laicis ſine auctoritate & mandato datorum, conſtituerint.*

VNA tantum res adhuc mihi eſt cum auctore noſtro conſideranda, nimirum animaduerſio, quam habet in ea, quæ de recentiore eccleſia *Græca*, & de eccleſiis a corruptelis papatus repurgatis narraui. Narrationem meam de recentioris æui eccleſia *Græca* exorſus ſum a canonibus NICEPHORI patriarchæ *Conſtantinopolitani*, qui ſæculo nouo ineunte vixit. Aptum & commodum ratus ſum recentiorem eccleſiæ *Græcæ* conſuetudinem ex recentioribus ſcriptoribus tradere. Auctor noſter occaſionem hinc captat obſeruandi *p. 212.*, "Per prima octo ſecula "eccleſiam *Græcam* non habuiſſe regulam, legem eccleſiaſticam "vel conſuetudinem, ex qua de baptiſmi laici, quicumque de- "mum fuerit, valore, qui venditetur, conſtitui poſſit." Confido, ab hoc tempore auctorem noſtrum paullo melius inſtitutum eſſe ipſiusque dubiis ſatisfactum, ſi conſiderauerit, quam multa antiqua concilia generalia, durante illo octingentorum annorum interuallo, per leges ſuas eccleſiaſticas & decreta de baptiſmi hæretici valore ſententiam dixerint; et quam multa ex iis ipſis conciliis vna cum multis aliis ſimiliter decreuerint, hos ipſos hæreticos omni ſacerdotali poteſtate & auctoritate eſſe exutos, adeoque in ſtatum laicorum auctoritatis expertium reductos; quemadmodum ſatis ſuperque dixi in priore parte *hiſtoriæ* meæ *ſcholaſticæ*, & in hac parte adhuc planius demonſtraui. Quare oratio eius de longe lateque patente eccleſiæ *Græcæ* amplitudine, & quam inſignis pars eccleſiæ catholicæ fuerit, aduerſus eum ipſum valet; tametſi ſub hac ſpecie lectoribus ſuis imponere animum in-

induxit. De testimoniis etiam BASILII & CHRYSOSTOMI, quæ toties pro inualido baptismo laicorum producuntur, iam supra in determinando statu controuersiæ cum BRETTO ostendi, nihil ea ad rem præsentem facere.

§. II.

Auctoritas canonum Nicephori *ab auctoris nostri exceptionibus vindicata.*

PROXIME caussam perorat contra NICEPHORVM, tamquam feruidum superstitiosi cultus imaginum patronum, & dicit *p. 214.* "Auctoritatem eius in negotio de baptismo laicorum " nihilo magis valere, quam in illo de vsu imaginum in diuino " cultu." Neque vero ego eam magis valere volui. Produxi testimonium eius eum duntaxat in finem, vt quæstionem facti decideret, non iuris, An baptismus laicalis vllo in casu tunc permissus fuerit in ecclesia *Græca*? Quæstio non erat, vtrum res licita an illicita fuerit in se, sed num in ecclesia *Græca* obtinuerit. Testimonium vero NICEPHORI sufficit ad probandum, fuisse hanc istius ecclesiæ consuetudinem, licet hæc diuinæ legi adversari credi potuerit, quæ alia quæstio est. Vt ita, si quæstio fuisset de cultu imaginum, quod ad solum factum attinet, An in ecclesia *Græca* tunc institutus fuerit: testimonium NICEPHORI vel concilii secundi *Nicæni* sufficientis auctoritatis futurum fuisset ad probandam rem facti, licet minus idoneum ad probandam legitimam consuetudinis istius rationem. Enim vero auctor noster hanc quæstionem facti & iuris subtiliter confundit, & lectorem suum in prauam opinionem de NICEPHORO subdole adducere conatur, vt modo fidem eius tamquam historici labefactet & peruertat.

SI vero hoc ei ex sententia non successerit, lectorem suum inducere satagit, vt hos canones solius NICEPHORI dictata esse credat, nec in vllo probatæ auctoritatis concilio factos, *p. 215.* speciatim non in illo CCLXX episcoporum concilio ad ann. DCCCXIV celebrato. Non multum curo, in quo concilio facti sint, licet mihi tam probabile videatur in isto concilio CCLXX episcoporum quam in alio quodam eos factos esse. Sed hac de

re non eſt quæſtio. Nonne canones fuerunt patriarchæ *Græci*? An vero canones patriarchæ vim nullam habuerunt in eccleſia *Græca?* Si non habuerunt, cur HARMENOPVLVS eos fecit legem canonicam in collectione regularum ad homines in praxi ſua dirigendos? Hæc vna ſola ratio plus apud me valet, quam vniuerſæ leuioris momenti obſeruationes criticæ, quas in contrariam habet noſter auctor; qui, ſi NICEPHORVM eiusque canones cauſſæ ſuæ fauere intellexiſſet, tam multa in eorum gratiam dicere potuiſſet, quam nunc in fraudem eorum dicit, modo vt lectoris ſui præoccupet animum. Dicere potuiſſet, patriachas non eſſe ſolitos facere canones niſi in ſynodo, ſin aliter, eorum tamen poteſtatem tam late patuiſſe, vt canones eorum per omnes eccleſias, iurisdictioni ipſorum ſubiectas, maximi momenti & ponderis fuerint. Iam vero hi canones non ſunt publica vox & ſententia eccleſiæ *Græcæ*; et quidem ob aliam rationem *p. 220.* quia nonnulli ex *Græcis* ſcriptoribus valori & pretio baptiſmi, per laicum quocumque in caſu adminiſtrati, ſeſe vehementer oppoſuerunt, cui ſine dubio lenius & remiſſius contradicturi fuisſent, ſi generalis eccleſiæ *Græcæ* ſententia fuiſſet & conſuetudo. Quaſi vel auctori noſtro, vel mihi, vel lectoribus noſtris nullus hodie notus ſit, qui aduerſus approbatam legitimamque ſententiam & conſuetudinem eccleſiæ *Anglicanæ* vehementer & ſine vlla animi in vſitatas leges & regulas eccleſiæ propenſione ſcribat. Deſperatæ & pene perditæ rei indicium eſt, ſi quis huiuscemodi bellis argumentis vti cogitur.

AT ENIM VERO producit contra nos denuo in aciem BASILIVM, CHRYSOSTOMVM & vniuerſam eccleſiam *Græcam* per DCCC. annorum interuallum *p. 221.* Quam ad rem iam antea reſpondi atque oſtendi, canones BASILII, quos dicit partem eſſe legis canonicæ in eccleſia *Græca*, pronuntiare, hæreticos non eſſe niſi laicos: et eccleſiam *Græcam* per octingentos annos feciſſe idem, & tamen horum laicorum baptiſmos ſuſcepiſſe ſine rebaptizatione. Quæ alia eſt ſententiam & conſuetudinem eccleſiæ *Græcæ* demonſtrandi ratio, quam quæ ab auctore noſtro inita eſt.

TANDEM miſero illo perfugio vtitur, vt lectoribus ſuis narret, *p. 221.* "NICEPHORVM ab eccleſiæ *Romanæ* emiſſariis im-" pulſum fuiſſe ad hanc nouam conſuetudinem in eccleſiam *Græ-*

" *cam*

" *cam* introducendam; et hoc ipſum dediſſe aliis eccleſiæ *Græ-*
" *cæ* ciuibus veritatum chriſtianiſmi ſtudioſis iuſtam occaſionem
" eccleſiam illam de nouellitatibus *Romanenſibus*, in ipſam irre-
" pentibus, in tempore admonendi; quorum in numero videri
" fuiſſe *Georgium Hamartolum*, *Glycam* & *Theodorum Scuta-*
" *riotam*, dum baptiſmo laicali tamquam legitimo, qui initio in
" eccleſia tantum *Latina* apparuerit, fortiter ſeſe oppoſuerint."
Hoc effugio, quod hic ille ab emiſſariis *Romanenſibus* inductus fuerit, auctor noſter ſemper vtitur, quando non habet, quod ad imminuendam fidem aut eludendum teſtimonium alicuius ſcriptoris dicat; qua de re mox plura habebimus contra *Græcos* recentiores. Heic obſeruo tantum, eum de aliis ita loqui & ſcribere, prout opinionibus ipſius fauere vel non fauere videantur. Auctoritas NICEPHORI nauci non erat, quia acerrimus defenſor cultus imaginum fuit; HAMARTOLVS autem & GLYCAS, licet cultum imaginum non minus defenderint, quam quidem NICEPHORVS, ſunt homines honeſti, veritatum chriſtianiſmi ſtudioſi; tantum quia baptiſmo laicali, qui legitimus eſſe venditetur, fortiter ſeſe oppoſuerunt. Si quis tam iniquam homines deſcribendi rationem ineat, nihil referre puto, quæ pro illis vel contra illos dicat. Stabunt igitur canones NICEPHORI tamquam regula & præſcriptio eccleſiæ *Græcæ*, non obſtantibus omnibus hiſce auctoris noſtri parui momenti contradictionibus.

§. III.

Auctoris noſtri illiberalis ratio reſpondendi recentioris æui ſcriptoribus Græcis.

ANNO MCLXVI obſeruaui celebratum fuiſſe *Conſtantinopoli* concilium, quod baptiſmum datum ab iis, qui ſpurii ordinis eſſent & ſacerdotes ſimularent, ad ſacerdotale munus numquam initiati, vim & pretium habere negarit. Ad hæc auctor noſter dicit, non poſſe me vllum concilium per MCC annos producere, quod aliter decreuerit, quam hoc ipſum concilium hac in re decreuit; quum tamen ei demonſtrauerim, pleraque ex antiquis conciliis dicere, hæreticos non eſſe ſacerdotes ſed falſos ſacerdotes, qui ſe ſacerdotes eſſe dicant nec ſint; neque tamen

 eos,

eos, qui ab illis eſſent baptizati, rebaptizari iuſſiſſe, vti quidem hoc concilium iuſſit. Porro de huius concilii decreto dixi, nihil in eo de inualido baptiſmo, a laico extra ordinem ſumma poſcente neceſſitate dato, exſtare, adeoque cum canonibus NICEPHORI, ad eiusmodi tantum caſus reſpicientibus, poſſe conſiſtere. Ad hæc auctor noſter reſpondet, "poteſtatem baptizandi illis tantummodo commiſſam fuiſſe, qui ſacerdotali poteſtate armati fuerint, & laicos non habuiſſe talem ſiue poteſtatem ſiue auctoritatem ſibi commiſſam" *p. 230.* Sed vero auctor noſter oblitus eſt ea, quæ toties dixit antea: "Quod poſito, laicum habere poſſe ab epiſcopo auctoritatem & poteſtatem baptizandi, vrgente quadam ſumma neceſſitate, in iſto actu & eo tempore in tantum ſacerdos futurus ſit, ſacerdotali poteſtate inſtructus, non autem in illo actu merus laicus, poteſtate deſtitutus." Cur vero hoc concilium *Græcum* non poſſet opinionem habere noſtri auctoris & exiſtimare, laicos habentes mandatum ſpecialiore quadam vrgente neceſſitate baptizandi, eſſe in iſto quidem caſu ſacerdotes nec meros laicos? Quod ſi ita eſt, nulla eſt inter canones NICEPHORI & hoc concilium diſcordia. Ambo enim baptiſmos hominum, inſtructorum poteſtate ſacerdotali, admittunt.

QVOMODOCVMQVE autem res ſe habuit, ego oſtendi, *Græcos* in hodiernum vſque diem agere ad regulas in canonibus NICEPHORI præſcriptas, & hoc indubitatis hiſtoricorum aliorumque auctorum, qui huius praxis mentionem faciunt, teſtimoniis probaui. Quorum teſtimoniorum euidentiam vt obſcuret auctor noſter, vtitur conſueta ſua methodo imminuendi teſtium auctoritatem, quando *p. 236.* ait. "Eſſe eos homines ſolum priuatos, eorumque auctoritatem nullius momenti." Quaſi plures fide digni hiſtorici inter ſe conſentientes non ſatis auctoritatis habeant oſtendendi, quæ praxis fuerit alicuius eccleſiæ, vbi quæſtio eſt de re facti non iuris, nec vllum contrarium teſtimonium, quod illis contradicat, produci poteſt. "Manifeſtum autem eſſe, dicit auctor noſter, quod hiſce poſterioribus temporibus *Græci* emiſſariorum *Romanenſium* aſtutia & calliditate in duas factiones diſtracti fuerint." Cur igitur non produxit teſtimonia quorumdam ex iis, qui *doctrinæ papi-*

ſticæ,

ſticæ, quam vocat, de danda laicis venia baptizandi in neceſſitate contradixerunt? Aut cur non ſpeciatim demonſtrauit, auctores, quos ego produxi, a *Ieſuitis* fuiſſe impulſos vel pecunia corruptos, vt falſam hiſtoriam ad adiuanda *Romanenſium* conſilia narrarent? Num in duas factiones de hoc capite diſtracti fuerunt, & tamen omnes concordiſſime in vnam tantum partem ſcripſerunt? Aut quomodo probabit, eos omnes, qui ſcripſerunt, a partibus *Romanenſium* ſtetiſſe? Longam hiſtoriam lectoribus ſuis quaſi fabulam commemorat, quemadmodum *Cyrillum Lucarem* tractarint *Ieſuitæ*, quod nihil ad rem pertinet. Neque enim ad hunc auctorem iſta diſputatio hac vel illa ratione ſpectat. Oſtendere debebat, *Ieremiam* patriarcham quorumdam emiſſariorum *Romanenſium* dolo inductum fuiſſe, vt teſtimonium ſuum hac de re dixerit. Pro eo autem *p. 238.* dicit, patriarcham abalienatum fuiſſe "a *Lutheranis*, quod inuocationem ſanctorum " vanam & friuolam eſſe crederent, & contemnerent imaginum " atque ſanctarum reliquiarum adorationem." Quid igitur? An probabile eſt, eum, cuius voluntatem a ſe abalienarint *Lutherani*, eccleſiam *Græcam* repræſentare voluiſſe tamquam cum *Lutheranis* conſentientem, ſi res aliter ſe habuiſſet? Nihil magis eſt improbabile, quam hoc. Vnde non poſſum, quin exiſtimem, auctorem noſtrum ſtupore quodam oppreſſum & perturbatum hæc ſcripſiſſe, quia nihil expreſſius contra ſe ipſum adferre potuiſſet. Addit autem: *Binghamus non minus belle & commode producere potuiſſet patriachæ iſtius teſtimonium pro iſtis papiſticis corruptelis, inuocatione videlicet ſanctorum, adoratione imagnum & reliquiarum, quam pro altera iſta.* Ecquid autem mali, quæſo te, inde prouenturum fuiſſet, ſi quis rogasſet, Num inuocare ſanctos & adorare imagines conſuetudinis fuerit eccleſiæ *Græcæ*? An melius teſtimonium pro re geſta in tali caſu habere poſſemus, quam teſtimonium cuiusdam de eccleſiæ illius patriarchis? Nonne ipſe auctor noſter concilium quoddam *Græcum* pro inualido baptiſmo laicorum citat? Et cur non æque belle producere potuiſſet eosdem auctores pro cultu ſanctorum & imaginum? Sine dubio potuiſſet, ſi quæſtio duntaxat fuiſſet, Num ſanctos & imagines tunc coluerint in eccleſia

Græca? Teſtimonium eorum hac in cauſſa ad decidendam rem facti tam idoneum & certum eſſe poterat, quam vllum aliud. Cur ergo mecum altercatur, quod feci id, quod vnicuique facere licet, & quod ipſemet fecit ſine vlla offenſione & noxa? Ego certe neſcio, quo pacto quis res facti diiudicare vellet, præterquam ex iſtiusmodi auctoribus, qui de illis ex inſtituto ſcripſerunt.

POSTEAQVAM patriarcham caſtigauit, reliqua exempla omnia, quæ dedi, auertit, dicendo *p. 238*. "eſſe illa tam recen- " tis ætatis, vt par ſit credamus, conficta tantum eſſe a quibus- " dam *Græcis*, qui ſuperſtitionibus eccleſiæ *Romanenſis* nimi- " um infecti fuerint." Si hi moderni *Græci* opinioni ipſius fauerent, haud nimis recentis ætatis illos eſſe in rem ſuam crediderit. Enim vero, ſi fuerunt *Græci* quidam tantum, ſuperſtitionibus *Romanenſibus* infecti, cur non producit alios, iſtis ſuperſtitionibus non infectos, vt nobis dicant, quid eccleſia *Græca* non infecta ſtatuerit de baptiſmo laicorum? Vtcumque autem eſt, auctori noſtro prorſus infeliciter euenit horum modernorum *Græcorum* deſcriptio. Tantum enim abeſt, vt præcipui ex his ſcriptoribus, quos produxi, *Latinorum* partibus ſtuduerint, vt vſurpationes *Romanenſium* publice impugnauerint. GABRIEL SEVERVS, archiepiſcopus *Philadelphiæ*, ſæpius a LEONE ALLATIO vituperatur, quod *Græcos* ſcriptis defenderit contra *Latinos*, & maxime quod primatui epiſcopi *Romani* ſeſe oppoſuerit, quæ magna eccleſiæ *Romanenſis* vſurpatio & corruptela eſt. Magno igitur infortunio ſuo auctor noſter tam negligenter & inconſiderate hunc archiepiſcopum illis *Græcis* accenſet, qui eccleſiæ *Romanenſi* fauerint, quum tam animoſe illi ſe oppoſuerit. Non felicius ei res ſuccedit, dum METROPHANI CRITOPVLO idem ingenium eosdemque mores adfingit. Hic enim ſcriptor procul remotus fuit ab emiſſariorum *Romanenſium* & *Ieſuitarum* fraudibus, *Oxoniæ* ſtudiis operam dedit, miſſus in *Angliam* a *Cyrillo Lucare* ab eoque *Abbotio* archiepiſcopo commendatus, de quo ſuſpicari nobis non licet, quod *Romanenſibus* ſuperſtitionibus animum eius imbuerit. Quomodo igitur auctor

ctor noster honeste dicere potuit, reliqua exempla, quae dederim, depromta esse ex *Graecis*, facientibus cum ecclesia *Latina*, quum manifestum sit, fuisse illos ab ea animo maxime abalienato? Cur vero lectoribus suis non produxit vel vnum e recentioribus scriptoribus *Graecis*, superstitioni *Latinorum* fauentibus vel contradicentibus, qui de hodierna ecclesiae *Graeca* praxi commemoret ab iis, quae ego commemoraui, diuersa? Haec honesta fuisset respondendi ratio, si testimoniis meis meliora & fide digniora opposuisset. Verum hoc intellexit non esse tentandum, & quum tamen solem in meridie negare induxisset animum, aliam viam testimonia infirmandi ingressus est, dum de scriptoribus detrahit eosque in inuidiam vocat. Quae infausta pariter & inhonesta agendi ratio est. Viri enim, quos adgreditur, prorsus diuersae partis & diuersi ingenii homines fuerunt ab eo, vti ipse eos depingit & repraesentat, quippe qui cum *Latinis* non conspirarunt, sed illis in omnibus capitibus, olim inter eos controuersis, animose & fortiter restiterunt.

LAVDO iam potius ingenuitatem BRETTI, qui quum tot idonea & certa testimonia indubiaque exempla a me producta vidit, profiteri potius voluit, non habere se, quod eis opponat, aut contra ista dicat, quia libris careat ad iustam rei disquisitionem necessariis. At vero hic auctor caussam non vult ita deserere; fuisse dicit inter *Graecos* quosdam a corruptelis *Latinorum* prorsus immunes, qui pro ipso testimonium dicturi sint, ipsiusque de opinione adseueraturi. Quando autem auctoritates suas in lucem proferre iubetur, nulla in gratiam eius apparet: *Graeci Latinorum* partibus minime addicti aeque ac reliqui ei aduersantur. Quapropter quo cum successu hic temerarius & audax aduersarius conatus sit adhuc longius progredi quam processit BRETTVS, et incedere via, quam hic calcare haud tutum duxit, ego iam intelligenti cuique & ingenuo lectori relinquo diiudicandum.

§. IV

§. IV.

Rationem moris Græcorum *non fuiſſe opinionem eorum de abſoluta neceſſitate dandi morientibus infantibus baptiſmum.*

VNVM adhuc habeo, quod in auctorem noſtrum obſeruem reſpectu recentioris eccleſiæ *Græcæ*. Ait *p.239.* " Rationem, cur " quidam ex *Græcis* hunc morem ſeruauerint, eſſe immanem ac " barbaram opinionem, quam nonnulli ex *Romanenſibus* habe- " ant de infantibus, ſine baptiſmo decedentibus, et quam iſti *Græ-* " *ci* ab illis acceperint". Iam autem auctor noſter nouit, hanc opinionem de infantibus fuiſſe doctrinam AVGVSTINI aliorumque patrum *Latinorum* diu ante, quam ſcriptores *Romanenſes* extiterunt. Ipſemet enim AVGVSTINO eam tribuit & cauſſam eſſe putat, cur laicis veniam det vrgente neceſſitate baptizandi. Cur ergo *Græci* hoc non æque ab AVGVSTINO acceperint atque a monachis & *Ieſuitis* eccleſiæ *Romanenſis?* Sed vero opinio de abſoluta neceſſitate dandi paruulis morientibus baptiſmum non fuit ratio dandi laicis veniam baptizandi. Nam laicis licebat baptizare adultos æque ac paruulos, neceſſitate ſic flagitante; neque tamen AVGVSTINVS opinionem habuit de abſoluta neceſſitate dandi baptiſmum adultis, quam quidem de infantibus habuiſſe communiter creditur, quia ſpeciatim duo adultorum genera, vt reliqui ſcriptores catholici facere ſolent, a ſeueritate ſententiæ excipit; nempe 1. catechumenos, qui martyres mortui ſint, ſuo ipſorum ſanguine baptizati: Et 2. illos ex catechumenis, qui facta veræ fidei & ſinceræ pœnitentiæ profeſſione moriantur ſine baptiſmo, non cum vllo eius contemtu vel neglectu, ſed per extremam quamdam neceſſitatem ab eo depulſi, quando ſerio eum habere cupierint. Qui AVGVSTINI opinionem aliter tradunt, eos auſim dicere eſſe doctrinæ eius ignaros, de qua verba fieri non oportebat ſine hac neceſſaria diſtinctione inter infantes & homines adultos. Iniuriam ergo AVGVSTINO facit, quisquis ſententiam eius, qua laicis licere ſtatuit homines adultos, vrgente quadam neceſſitate, baptizare, ex doctrina de abſoluta dandi

di infantibus baptiſmum neceſſitate deducit, quia certum eſt, hanc rationem ad adultos non poſſe extendi, niſi AVGVSTINVS eamdem opinionem de illis, quam de reliquis, habuit. Hanc autem illum non habuiſſe, planius oſtendendi copia mihi dabitur in proximo *originum* mearum volumine, quod prelo iam paro. Si igitur AVGVSTINI opinio de legitima ratione baptiſmi, quem laicus quispiam, poſcente quadam neceſſitate, adminiſtrat, non nititur doctrina de abſoluta neceſſitate conferendi infantibus batiſmum, ſed generaliore quadam ratione ad adultos pariter referenda; magis quam probabile eſt, *Græcos* idem quoque feciſſe, vti mihi facile perſuadeo, vſque dum meliores rationes videro, quam quas auctor noſter in contrarium attulit.

NON dubitem autem duo adhuc ex auctore noſtro quærere, 1. Vnde certo ſciat, hanc immitem & barbaram opinionem de infantibus omnes omnino *Græcos* imbibiſſe? Et 2. cur eam tantum quibusdam eorum tribuat, nec reliquis? Si dixerit, Neceſſe eſſe, hanc eos opinionem habuiſſe, quia laicis permiſerint licentiam baptizandi in neceſſitate; reſpondeo, hanc rationem nullius eſſe momenti. Multi enim laicis fecerunt baptizandi copiam, qui tamen iſta opinione numquam fuerunt imbuti: Vti *Lutherani*, qui infantes ſine baptiſmo decedentes æque ac adultos ſeruari poſſe credunt; et quidam e *Pontificiis*, ipſomet auctore fatente: nam hanc immitem & barbaram opinionem non omnium, ſed tantum quorumdam *Pontificiorum* doctrinam eſſe dicit. Si ergo quidam ex *Pontificiis* & *Lutherani* in vniuerſum omnes laicis in caſibus neceſſitatis baptizandi facultatem dare potuerunt, nec tamen iſtiuſmodi inhumanam de paruulis, ſine baptiſmo obeuntibus, doctrinam, quæ iſtius rei ratio & fundamentum ſit, fouerunt, Cur *Græci* non fecerint idem? Siquidem haud neceſſario ſequitur, vt ratio, ob quam laicis baptizandi licentia datur, ſit iſta inhumana opinio de infantibus ſine baptiſmo morientibus. Vnde ergo conſtat, nonnullos tantum *Græcos*, non omnes ac ſingulos, ita ſentire? Auctor noſter neutrius partis teſtimonium producit, quibus dictata ſua probet, Quod ſi dixerit, Neceſſe eſſe rem ſic habere, quia tantum quidam ex *Græ-*

cis fuerint, qui laicis in neceſſitatis caſibus baptizandi indulſerint veniam, non vniuerſi: ego iam oſtendi, hoc eſſe falſum. Nam *Graeci*, qui cum *Latinis* nullam communionem habuerunt, hanc libertatem laicis aeque permiſerunt atque illi, qui cum *Latinis* ſenſerunt. Quare ſi ratio huius permiſſionis duntaxat fuit inhumana illa & barbara opinio de infantibus ſine baptiſmo morientibus, aut illis omnibus adſcribenda eſt, aut nullis. Siue autem hanc opinionem fouerint, ſiue non fouerint (qua de re cum auctore noſtro non diſputo,) manifeſtum eſt, non fuiſſe hanc neceſſariam rationem, cur laicis dederint baptizandi veniam, quandoquidem id facere potuerunt iſtiuſmodi dura & inhumana opinione minime inducti. Tam parum roboris & ſoliditatis in iis omnibus ineſt, quae de eccleſiis *Graecis* auctor noſter narrat, ſiue hiſtoriam ipſam, ſiue argumentationem ſpectes, tametſi triginta paginas ſcribendo impleuit.

§. V.

De eccleſiis Moſcouienſibus *ſeu* Ruthenicis.

QVOD ad eccleſias *Ruthenicas* attinet, exemplum regulae earum ex canone quodam *Ioannis* metropolitae dedi, qui pueros iubet in neceſſitate abſque ſacerdote baptizari. Iam autem pro eo, quod hunc canonem debebat contrario quodam canone confutare, dicit tantummodo *p. 241.* " eſſe hanc vnius ſolum ho-" minis auctoritatem; nec vllam ſynodum ſiue concilium me-" morari, in quo hic canon factus ſit". Non fuiſſe hanc generalem iſtarum eccleſiarum ſententiam, ex contraria populi praxi concludit. Ante autem, quam contrarium quemdam canonem produxerit, qui eiusdem ponderis & momenti ſit, cuius hic metropolitae & patriarchae eorum eſt, quidquid dicit, non erit mihi idonea reſponſio. Arbitratur, hunc metropolitam nouationem feciſſe in eccleſia & populum antiqui moris ſui tenacem nouello eius canoni ſeſe ſubmittere noluiſſe. Verum haec fruſtra dicuntur & ſine vllo fundamento. Oportet igitur oſtendat, *Moſcouitas*, qui religionem chriſtianam a *Graecis* acceperunt, ab initio habuiſſe contrarias regulas diſciplinae, in eccleſiis ſuis praeſcriptas

ſcriptas & ſtabilitas; et tum demum magis probabile videbitur, hunc *Ioannem*, quem prophetam ſuum vocant, fuiſſe nouatorem; tametſi quodammodo durum & ineptum ſit, iſtiuſmodi contraria epitheta coniungere & vni eidemque homini nomen prophetæ & nouatoris dare. Ego potius crediderim, eccleſias regulis, a propheta ſuo præſcriptis, initio libenter obtemperasſe; poſtea autem quum populus deprauatus a maiorum conſuetudine & diſciplina degeneraſſet, haſce regulas negligi cœpiſſe. Auctor noſter aliter ſentit: Ante vero, quam aliquem probatæ auctoritatis canonem produxerit huic contradicentem, in ſententiam eius ire non poſſum.

§. VI.

Nulla amplius diſputatio de eccleſiis Lutheranis.

De eccleſiis *Lutheranis* quæ dixi, ea recte ſe habere fatetur. Ait autem *p.247.* " Non habere illas principium catholicum, quo " earum conſuetudo innitatur, et rationes earum eſſe infirmas, " vanas & falſas". Qua de re iam non eſt quæſtio, nos enim res tantum hiſtorice conſideramus, et donec fatebitur ea, quæ ſupra ſcripſi, vera eſſe quod ad factum, non amplius in diſputationem de illis cum eo ingrediar.

§. VII.

Nec de Zwinglio *& eccleſiis* Helueticis.

Eamdem ob cauſſam neceſſe non eſt de HVLDERICI ZWINGLII aut eccleſiarum *Helueticarum* opinione contendere. Agnoſcit enim, narrationem eſſe veram; modo exclamat: *Superſtitio papiſtica! Superſtitio papiſtica!* quia nullum interdictum interpoſitum fuit in caſibus neceſſitatis, nec rebaptizari iuſſi ſunt, qui ab aliis minus conuenienter regulæ eſſent baptizati. Si hæc autem eſt ſuperſtitio papiſtica, ſuperſtitio papiſtica eccleſiæ primitiuæ fuit, quæ nec in generalibus, nec in prouincialibus conciliis quempiam a baptiſmo in neceſſitate adminiſtrando prohiberi, aut eos, qui ab aliis præter ordinariam regulam baptizati eſ-

ſent, nouo baptiſmate donari iuſſit; ſed e contrario diuerſos canones tam in generalibus quam prouincialibus conciliis aduerſus rebaptizationem eorum, qui ab hæreticis vel ſchiſmaticis tincti eſſent, fecit, quamuis iſti hæretici & ſchiſmatici declarati fuerint non eſſe auctoritate pollentes ſacerdotes· ſed laici poteſtate baptizandi deſtituti.

§. VIII.

Caluiniſtas *certis in caſibus baptiſmum laicorum admittere vt validum.*

IN iis, quæ de opinione CALVINI retuli, auctor noſter varios errores inueniſſe ſibi viſus eſt. Primum dicit, me perperam interpretatum eſſe verba CALVINI, *Adeoque ab ipſo fere eccleſiæ exordio vſu receptum fuit, vt in periculo mortis laici baptizarent, ſi miniſter in tempore non adeſſet:* Hoc, ait, inuoluere tantum receptam conſuetudinem, non generatim introductam conſuetudinem, quod laici baptizarint in periculo mortis; neque id ſemper, ſed tantum ab ipſo fere eccleſiæ exordio. Enim vero quid inter receptam conſuetudinem, et generatim introductam conſuetudinem interſit, id quidem criticis diiudicandum relinqui oportere arbiror. Si mentem ſuam adhuc multo apertius declaraſſet CALVINVS, parum tamen momenti habiturum fuiſſet apud auctoris noſtri animum: CALVINVM enim exiſtimat deceptum fuiſſe, quando illam conſuetudinem tam mature, hoc eſt, ab ipſo fere eccleſiæ exordio, receptam eſſe ſtatuit.

DEINDE autem nimis audacter ait, me errare, quando dicam, CALVINVM non ſimpliciter nullos & vacuos eiuſmodi baptiſmos pronuntiare, ſed contrarium potius tueri. Cuius adſertionis meæ rationem dedi ex verbis CALVINI, a WHITGIFTO in eumdem finem citatis contra CARTWRIGHTVM: *Nobis ſufficere debet manum & ſignum Domini noſtri in ſacramentis ſuis agnoſcere, a quocumque tandem tabellario deferantur.* Ad quæ auctor noſter reſpondens ait *p. 251.* " Si vocabula a *quocumque* " *tandem*, vt WHITGIFTVS legat, accipi debeant in latiſſima " ſua

« sua significatione, futurum esse, vt CALVINVS existimetur omnes « sic creditos laicorum & mulierum, Iudæorum, Turcorum, in- « fidelium & paganorum baptismos approbare, quæ sit manife- « sta deprauati papatus nouellitas. Futurum item esse, vt CAL- « VINVS pugnantia loqui censeatur & suo ipsius contradicere « principio, quod sit, baptismum, per laicum quocumque in « casu datum, non esse legitimum". Auctor noster heic rursus confundit baptismum auctoritate destitutum cum baptismo inualido, et hinc concludit, quod, quum CALVINVS iudicauerit, omnes laicorum baptismos esse illicitos, necesse sit, eum illos quoque absolute inualidos statuisse & necessario iterandos. Quum tamen in ea opinione non fuerit sed senserit, si manum & signum DOMINI habeat, hoc est, si externa forma baptismi debito modo sit administrata, eam non oportere repeti, maxime in confuso & perturbato ecclesiæ statu, vbi multa tolerari oporteat, quæ in bene constituta & exactam disciplinam tuente ecclesia fas non sit tolerari. Non existimat, legitimam potestatem in baptizante esse simpliciter necessariam & essentialem partem baptismi, sed tantum necessariam circumstantiam, quæ in omnibus bene constitutis ecclesiis obseruari debeat; cuius tamen defectus in dissipatione ecclesiæ tolerari possit; et in eiusmodi casibus datum a laico baptismum, per rebaptizationem non putat esse iterandum. Auctori nostro hoc iam ab alia manu [d] ostensum est ex quadam CALVINI [e] epistola, cuius partem hoc loco interponam. *Adulterinum baptismum censemus, qui administratus est a priuato homine, ac in ecclesia recte composita tolerabilis non esset hæc temeritas. Sed quia id apud vos inter principia contigit, ante restitutum ecclesiæ ordinem, et rebus adhuc confusis; non tantum errori danda est venia, sed ferendus est qualiscumque baptismus, modo ne in exemplum trahatur, quod semel perperam gestum est. Nam in ecclesiæ dissipatione multa Deus condonat, quæ nullo modo admittere fas esset in ecclesiam bene ordinatam. Olim quum vitiata esset religio, haud dubie multis vitiis & corruptelis implicita cir-*

(*d*) *Letter to the Author of Lay-Baptism Inualid, by a Country Clergyman.* London 1713. p. 33.

(*e*) Caluin. epist. p. 209. edit. Amstel. MDCLXVII.

cumcisio fuit; quam tamen iteratam fuisse non legimus, quum populos reuocaretur ad purum cultum. Ergo anxie disquirere necesse non est, ac ne expedit quidem, in omnes circumstantias, quae innumeros scrupulos gignerent. Proinde quod ignouit Deus sub papatu, nos quoque sepeliamus. Nunc vbi de vero baptismi vsu admonita fuerit ecclesia, quod pugnaret cum CHRISTI institutione, pro nihilo ducendum esset, ac de integro baptizandus, qui pollutus fuerit profana adspersione.

MANIFESTVM heic est, CALVINVM publicum ministrum non ita absolute necessarium & essentialem baptismo statuere, vt omnes baptismos, ab hominibus priuatis quibuscumque in casibus, praecipue in magna ecclesiae dissipatione, administratos, necesse sit iterari. Nam iterationem istorum baptismorum dissuadet, qui inter principia reformationis a priuatis hominibus, superstitioni pontificiae addictis, dati essent. At vero in bene ordinata ecclesia sentit per regulas & disciplinam talis ecclesiae istiusmodi baptismos iubendos esse repeti.


ATQVE hanc opinionem etiam HENRICI ALTINGII, celeberrimi doctoris & professoris in ecclesiis *Palatinis*, fuisse ostendi, Quod baptismus, in dissipatione ecclesiae administratus a priuatis viris, non sit repetendus. Auctor autem noster respondet *p. 255. Quid argumenti habet vnius cuiusdam hominis pronuntiatum, quum, narrante ipso Binghamo, ecclesiae Palatinae communiter sequantur contrariam doctrinam? Et Altingius secum pugnat, & disiuncta atque contraria dicit, quia eumdem baptismum fatetur esse illegitimum & illicitum.* Auctor noster heic consueto suo artificio solitisque praestigiis vtitur in hac responsione. Multum enim ingenii habet ad res male repraesentandas. I. Lectoribus suis persuadere satagit, dicere me, ecclesias *Palatinas* communiter sequi doctrinam contrariam ei, quam tradat ALTINGIVS; quum tamen nihil de ecclesiis *Palatinis* dixerim, nisi quod eas inter se manifesto consentire ostendat. At 2. ALTINGIVM vnum tantum esse hominem & doctorem nullius momenti in hac caussa. Verumtamen auctor noster

expe-

expedire non exiſtimauit, lectoribus ſuis vel vnum exigui momenti doctorem ſiſtere, vt ALTINGIVM eiusque opinionem de valore baptiſmi, in perſecutione aut diſſipatione eccleſiæ per laicos adminiſtrati, confutaret. Quæ ALTINGII opinio non ita ſingularis fuit, quemadmodum auctor noſter ſibi perſuadet. Nam, vti videmus, ſequitur CALVINI conſilium hac in re, & quodam modo argumenta eius tranſcribit a circumciſione petita & baptiſmis per laicos ſub papatu adminiſtratis, quos vterque vocat baptiſmos in diſſipatione eccleſiæ. Vnde veriſimile eſt, fuiſſe tum hanc communem & *Geneuenſium* & *Palatinarum* eccleſiarum doctrinam. Ait autem 3. ALTINGIVM ſibi ipſi contradicere, quando tales baptiſmos validos nec repetendos eſſe ſtatuat, quum tamen eos illegitimos & illicitos adeoque falſos atque inualidos eſſe profiteatur. Verum, quod pace auctoris noſtri dixerim, hæc contradictio non eſt ALTINGII, ſed ipſi tantum per auctoris noſtri illationem imputatur, cuius principia eo ipſum adducunt, vt omnes auctoritate deſtitutos & illicitos baptiſmos inualidos eſſe concludat, quod nec ALTINGIVS adſerit, nec CALVINVS, quemadmodum ex diuerſis teſtimoniis, quæ ex illorum ſcriptis produximus, apparet. Vt adeo, ſi hi viri ſententiam eccleſiarum *Geneuenſium* & *Palatinarum* loquantur, auctori noſtro ambo aduerſentur.

QVOMODOCVMQVE autem res ſe habet, deciſio quæſtionis de baptiſmo laicorum auctoritatis expertium non pendet ex doctrina aut conſuetudine eccleſiarum reformatarum, ſed ex doctrina & conſuetudine eccleſiæ primitiuæ, quam hic auctor & ego adpellamus. Quodſi lector teſtimonia, quæ ab vtraque parte pro & contra hæreticorum & ſchiſmaticorum, dum in hæreſi vel ſchiſmate eſſent, baptizantium auctoritatem, & poteſtatem allata ſunt, recte conſiderauerit, per ſe ipſe facile iudicabit, ab vtra parte ſtet veritas, Vtrum veteres hæretici & ſchiſmatici, quorum baptiſmos admiſit eccleſia, fuerint veri nominis ſacerdotes, poteſtate in ipſo actu baptizandi inſtructi nec vmquam ab eccleſia miniſterio ſacerdotali exuti, vti hic auctor ſtatuit; an vero, vti in antecedenti diſſertatione docui, poteſtate

te ſua per auctoritatem & diſciplinam eccleſiæ reapſe priuati & in conditione laicorum, auctoritatis & poteſtatis ſacerdotalis expertium, relicti fuerint. Deciſio huius quæſtionis totam decidit controuerſiam, adeoque hæc res principalis eſt, quam inter me & hunc auctorem oportet examinari. Ego pro mea ſententia iam produxi teſtimonia, & nunc ipſi & mortalibus omnibus permitto, vt de robore eorum iudicent, nihil amplius negotii habens in hac diſputatione, niſi vt antiquæ hiſtoriæ veritatem patefaciam & illuſtrem, oſtendamque, quæ fuerit veteris eccleſiæ diſciplina & conſuetudo, id quod in hac quæſtione apud omnes prudentes & præiudicatis opinionibus immunes lectores pondus habiturum eſſe, confido.



DIS-

DISSERTATIO TERTIA,

DEMONSTRANS

EX

CANONE OCTAVO

CONCILII NICAENI,

NOVATIANVM HAERETICVM NVMQVAM VERI NOMINIS EPISCOPVM IN VLLA ECCLESIAE CATHOLICAE PARTE FVISSE CREDITVM;

VNA CVM

ANIMADVERSIONIBVS QVIBVSDAM IN *L—ANAM* RATIONEM TRACTANDI CONTROVERSIAM

DE

BAPTISMO LAICORVM.



DISSERTATIO
IN
CANONEM OCTAVVM
CONCILII NICAENI.

NON dubito, fore quosdam ex lectoribus, qui existiment, me, alioquodam *antiquitatum ecclesiasticarum* volumine ad finem perducto, perrecturum in controversia de baptismo laicorum cum L - -, & volumini volumen oppositurum, quotiescumque ipsi hoc a me poscere collibitum fuerit. Enim vero vbi controuersia in meras altercationes, æquiuocationes, plenas tædii repetitiones & personales criminationes nec non in fictas contradictionum imputationes conuertitur, tantum vt liber quidam dilatetur & excrescat in magnitudinem sine vlla vtilitate lectoris: tum tempus esse autumo imponendi eiusmodi disputationi finem. Quare nouissimo eius libro breue idque vltimum responsum, duas tresue animaduersiones in præcipuas eius partes faciendo, dabo, 1. In opinionem eius de indelebili charactere & artificium, quo me secum consentire dictitat, dum illum characterem admittam, mihique ipsi in ea re contradicam, & concedam omnia, quæ ipse propugnet. 2. In opinionem eius de laicis & communione laica, de iure item, quod quis habeat dandi communionem, qui non habeat ius eam recipiendi. Quod ipsum ostendam nihil esse nisi splendidam æquiuocationem, ad perstringendos lectorum suorum oculos excogitatam. 3. In laxas eius notiones de potestate, vi & effectu legum atque auctoritatis ecclesiæ in rescindendis, quæ præter canones ecclesiasticos factæ fuerint, ordinationibus;

ſpeciatim in abroganda ordinatione *Nouatiani* hæretici. 4. In ſententiam eius de canone illo NICAENO, quem dicit *Nouatianis*, durante eorum hæreſi & ſchiſmate, indulgere verorum epiſcoporum & ſacerdotum poteſtatem. Quod ad floſculos eius rhetoricos, indecentes criminationes & illiberales inſinuationes attinet, quas immiſcet, vt de aduerſarii ſui fama & ſcriptis detrahat, vti ad rationes cauſſæ nihil faciunt nec præſentem vllo modo attingunt diſputationem, ita alienum a me eſſe duco, earum iniicere mentionem. Quod ſi admiratores illius ratione, quam in ſcribendo ſequutus eſt, delectantur, fruentur iſta animi voluptate, me quidem nihil repugnante.

I. PRIMA res, cuius mentionem facio, eſt opinio illius de indelebili charactere ſacerdotis, quem tantam vim continere putat, vt poteſtatem & auctoritatem ſacerdotis integram conſeruet, etiam poſtquam eccleſia eum officio ſuo & gradu mouit & ipſa reliquorum ciuium ſuorum communione exturbauit, omniaque fecit, quæ potuit, vt ſacerdotalem ei poteſtatem, mandatum ſuum reuocando, adimeret. Eiusmodi autem opinionem de indelebili charactere vbique negaui & prorſus reieci. Quare quidquid e ſcriptis meis citauit, quaſi indelebilem quemdam characterem ſuo ipſius quidem ſenſu agnoſcerem, ambiguum & falſum eſt, & ad fucum credulis lectoribus ſuis faciendum ſpectat. Indelebilis character, quem agnoſco, externa cærimonia eſt impoſitionis manuum, quæ remanere poteſt in homine, vbi eccleſia commiſſam ei poteſtatem omnemque auctoritatem ſacerdotalem eripuit. Neque aliud quiddam ſignificat, quam quod, ſi eccleſia eiuſmodi hominem ad priſtinum munus reuocandum & poteſtati atque auctoritati ſacerdotis reſtituendum ducat, id more vſitato non per nouam manuum impoſitionem, ſed per iteratam poteſtatis & auctoritatis impertitionem peragat. Illuſtrari hoc poteſt exemplo imperatorum *Romanorum*, milites ſuos tractantium, quorum ex conſuetudine nomen indelebilis characteris initio deſumtum eſt. Si quos milites conſcriberent imperatores, notam ſeu characterem corporibus eorum imprimere ſolebant ſignificaturi, cuius ad militiam illi ſpectarent. Iam ſi quis miles a fide & obſequio deficeret, imperator commiſſum ei officium, poteſtatem & auctoritatem ſtatim auferebat; characterem autem, quem ſub

sui ingressum in militiam acceperat, retinebat, etiam quum per-
[illegible] officio & omni auctoritate a principe suo priuatus esset.
Quod si imperator eiusmodi hominem ad militiam reuocandum
duceret, non necesse habebat hoc facere nouum ei characterem
imprimendo, quippe qui in isto perduelli remanserat; sed tan-
tum nouo militiæ sacramento ipsum obligando, & hac re in pri-
stinum officium, potestatem & auctoritatem militis restituendo.
Quo in casu absurdum esset dicere, militem perduellem habuis-
se principis sui auctoritatem & potestatem, postquam princeps
illam ei ademit, quia imperialem notam siue characterem adhuc
in se habuerit, quæ res tum nihil amplius significabat, quam
quod communis salutis desertor & principis sui hostis euaserit,
vsque dum principi visum esset, eum in pristinum locum & po-
testatem restituere. Tum demum idem ille character ipsi legiti-
mi militis nota erat, qui, quoad auctoritate & potestate caruit,
tantum perduellis indicium fuit. Eodem modo se habet res
christianorum. Milites IESV CHRISTI, vbi primum mili-
tiæ illius nomen dant, baptismi lauacro signantur, qui character
est DOMINI, a Iudæis & gentibus eos distinguens. Si postea
apostatæ siue fidei christianæ desertores fiunt, non amplius spiri-
tualibus christianæ communionis iuribus ac priuilegiis gaudent;
retinent tamen externum suum characterem, lauacrum baptisma-
tis, quod post grauissimam etiam apostasiam, si ad officium suum
redeunt, numquam iteratur. Ita quoque si ad altiorem gradum
ministerii CHRISTI, seu in officium sacerdotale recipiuntur,
alio externo charactere insigniuntur, quæ est impositio manuum;
cum qua mandatum, potestatem & auctoritatem accipiunt agen-
di tamquam ministri eius in functione sacerdotali. Quod si his
omnibus instructi postea a fide & obsequio deficiant fiantque hæ-
retici, schismatici, apostatæ, turpes & flagitiosi homines; eccle-
sia, quæ initio officium, potestatem & auctoritatem nomine
CHRISTI eis tribuit, potestatem habet officium, potestatem
& auctoritatem illis adimendi. Externus autem character impo-
sitionis manuum adhuc remanet, etiam quando officio pulsi &
omni sacerdotali auctoritate ab ecclesia, nomine principis sui
CHRISTI, exuti sunt: ita vt, si ecclesia eos in pristinum offici-
um restituendos ducat, non necesse habeat nouo externæ impo-

ſitionis manuum charactere, ſed noua tantum muneris delegatione id facere; qua ipſa illis denuo poteſtatem, auctoritatem & iura miniſtrorum conferat, quibus eos propter rebellionem ſuam priuarat. Vnde apparet, externum characterem ſacerdotis, qui vocatur indelebilis, & functionem, poteſtatem atque auctoritatem ſacerdotis res eſſe omnino diuerſas; Altera auferri poteſt, altera remanente; altera eſt externa cærimonia, quæ in rebelli facto ſacerdote remanere poteſt, poſtquam munere ſuo excluſus eſt; altera ſpiritualis eſt auctoritas & poteſtas, quæ non poteſt durare longius, quam quis in munere ſuo perſiſtendi copiam habet vi mandati, quod eccleſia ei dedit, Quod mandatum ſi ſemel a CHRISTO, vel ab eccleſia in CHRISTI nomine legitime reuocatum eſt, non habet amplius poteſtatem & auctoritatem ſacerdotalem, quia a principe ſuo munere exutus eſt, cuius intuitu iſta ei poteſtas & auctoritas impertita fuit. Neminem vel mediocrium lectorum eſſe puto, qui has duas res plane diſtinguere non poſſit: et tamen auctor noſter eas dedita opera confundit, vt hinc inferre poſſit, Quod, ſi externus character ſacerdotis in eo remaneat, poſtquam gradu ſuo deiectus ſit, ſimiliter ſpiritualis poteſtas & auctoritas ſacerdotis in eo reſidua ſit: et quod pugnantia loquar, quum illum remanere adfirmem, hanc autem negem ſupereſſe. Quum tamen pleraque teſtimonia, a me in medium producta (ab auctore autem noſtro præterita) quam planiſſime fieri poteſt, oſtendant, eccleſiam poteſtatem & auctoritatem, ſacerdotibus gradu deiectis & communione eccleſiæ excluſis, olim datam, reapſe illis ademiſſe eo ipſo tempore, quo eum, quem voco, externum characterem impoſitionis manuvm reliquerit in illis remanentem, ita, vt non fuerit iterandus, ſi eos in priſtinam dignitatem, nouo inſtructos mandato, reſtituere induxiſſet animum: perinde vt imperatores milites ſuos rebelles denuo in militiam adſciſcere conſueuerunt, non nouum eis imprimendo characterem ſed nouum dando mandatum. Ipſe auctor noſter non dubitat, quin tempore CYPRIANI eccleſia gradu deiectis ſacerdotibus mandatum ſuum auctoritatem & poteſtatem penitus eripuerit, eosque ad ſtatum & conditionem redegerit laicorum. Sed tamen eorum quoſdam ad antiquam ſtationem reuocauit, non nouam manuum impoſitionem eis decernendo,

[illegible] nouum [illegible] mandatum. Sicut in caussa [illegible] presbyteri *Romani*, apparet, qui in procuranda sic cre- [illegible] nomine *Nouatiani* praecipuus adiutor & princeps in schi- [illegible] atque adeo secundus fuit. Dum alii quidam episcopi pa- [illegible] & presbyteri, ad immutabilem laicorum statum redigeren- tur, sine spe [illegible] in illo manere iussi, huic vni soli haec singularis gratia tribuebatur (eo quod CHRISTI fidem religi- onemque inter cruciatus coram magistratu ethnico professus e- rat) vt, quum ad ecclesiam rediret eiusque sese submitteret disci- plinae, in clericale suum officium restitueretur. Neque vero eum noua manuum impositione admissum legimus; sed tantum no- va muneris delegatione, seu nouo mandato, quod potestatem ei dedit agendi cum auctoritate in statione sua pristina. Quemad- modum CORNELIVS, episcopus *Romanus*, a quo restitutus fuit, CYPRIANO [a] rem transactam narrat. Vnde facile ad iudican- dum est, delegationem muneris rem fuisse ab impositione ma- nuum diuersam, quandoquidem altera renouanda erat ad sacer- dotem, gradu olim deiectum, in pristinum statum restituendum, alteram autem repeti necesse non erat. In posterioribus seculis ecclesia eamdem regulam generatim sequuta est. Sacerdotibus delinquentibus potestatem suam ademit, eosque (vt ecclesia tem- pore CYPRIANI et CORNELII antea fecerat) ad statum laicorum reduxit. Tunc hi non minus laici erant, quam illi aetate CYPRI- ANI, quia potestate sacerdotali iisdem verbis eademque formula priuati erant, quam illi tempore CYPRIANI. Verumtamen ec- clesia eos interdum in officium suum sacerdotale restituit, sicut CORNELIVS *Maximum*, non noua impositione manuum, sed no- va muneris delegatione nouaque simul auctoritatis & potestatis, qua per censuras ecclesiasticas fuerant priuati, impertitione. Vt pro- inde si auctor noster adhuc multo maioribus viribus in hoc elabo- raret, vt probaret, sacerdotem gradu deiectum habere mandatum, auctoritatem & potestatem agendi pro sacerdote, quia aliquan- do receperit impositionem manuum, quae externus quidam cha- racter sit, quem necesse non habeat denuo accipere; omnis ta-

(a) Cornel. epist. XLVI, al. XLIX. ad Cyprian. p. 93. (p. 235. edit. Amstelod.) Maximum presbyterum locum suum agnoscere iussimus.

men

men labor illius vanus & irritus esset. De eo enim quærimus, An quis dici possit potestatem suam & auctoritatem retinere, vbi ecclesia planissimis verbis declarauit, se omnem ei potestatem & auctoritatem ademisse? Retineat, si lubet, externum impositionis manuum characterem; Sit is, qui non indigeat noua impositione, vt in officium sacerdotale denuo intromittatur: Nouo tamen ecclesiæ mandato indiget & potestate, si ea priuatus fuit, nouamque auctoritatem habere debet ante, quam denuo pro sacerdote auctoritate instructo agere possit. Indelebilis character, quem sibi integrum habet, auctoritatem eius, vbi ecclesia pro iusta sua auctoritate munus ei suum abrogauit, nihilo magis sartam tectam tuebitur, quam miles perduellis dici potest imperatori suo militare, vbi imperator ipsum exauctorauit, licet imperatoris sui signum seu characterem sibi, quum militiam primum ingrederetur, impressum retineat. At enim vero auctor noster characterem sacerdotis semper accipit pro officio, auctoritate & potestate illius: neque tum mireris, si sacerdotem cogitet non posse amittere auctoritatem & potestatem suam, quin simul characterem suum amittat. Si vero character sacerdotis res est a potestate eius diuersa (vt signum diuersum est a re signata & sine hac esse potest, licet interdum nomen eius gerat) sacerdos potestatem & auctoritatem amittere potest, charactere eius remanente: et homo, qui aliquando impositionem manus recepit, numquam non dici potest recepisse sacerdotalis officii & potestatis signum seu characterem, & retinere hoc signum, etiam vbi officium & potestas ei adimitur. Si qui has res distinguere haud voluerint, sua delectentur & perfruantur confusione: ne conentur autem officium & potestatem gradu deiectorum sacerdotum inani indelebilis characteris obtentu tueri, vbi ecclesia legitima sua auctoritate officium sacerdotale eis semel eripuit, nec pergant aduersariis suis contradictiones, ab se ipsis per fraudem confictas, obiectare.

2. ALIA res, inter hunc virum & me controuersa, ad notionem attinet laicorum & communionis laicæ, nec non ad ius, quod quis habere dicitur communionem administrandi, qui non habet ius eam recipiendi. Hic auctor *p. 31. præfationis* suæ valde stomachatur, quod ego appellationem laicorum tripliciter accipi posse statuam, 1. Pro catholicis laicis in ecclesia. 2. Pro hære-

hæreticis laicis, qui poteſtatem ſacerdotalem ſe habere dictitant, reapſe habentes nullam. Et 3. Pro iſtiuſmodi laicis, qui aliquando veri nominis poteſtate ſacerdotali fuerint inſtructi, poſtea autem per eamdem eccleſiæ auctoritatem, quæ eam initio dederit, exuti atque ita ad ſtatum & conditionem laicorum redacti ſint. Primum laicorum genus admittit, reliqua duo a me excogitata eſſe dicit. Magna felicitas eſt in auctore quodam, ſi dicere poteſt, quæ velit, & ſi fidem ſimul atque auctoritatem habent, quæ dicit. Ipſe auctor noſter fatetur, eccleſias *Cyprianicas* feciſſe eiuſmodi laicos, quos ſub numero tertio nominaui, hoc eſt, tales, qui olim poteſtate ſacerdotali inſtructi, deinde autem ea priuati atque ita ad ſtatum laicorum redacti ſunt. Et tamen quod ipſe agnoſcit, iam a me excogitatum eſſe dictitat. Quanti quis non emeret talem libertatem & licentiam, vt id, quod in ore aduerſarii ſui abſonum & abſurdum eſt, in ſuo ipſius ore argumentum eruditionis atque doctrinæ eſſe iuberet? At vero ſe ait probaſſe, non fuiſſe illos laicos in opinione earum eccleſiarum, quæ baptiſmos illorum validos habuerint. Quum tamen ne attigerit quidem nedum confutarit nimbum teſtium, quem de hoc capite produxi, ob eamdem, credo, rationem ob quam, narrantibus quibusdam hiſtoricis, opera ROBERTI BELLARMINI in *Italia* difficiliter offenduntur, quod verendum ſit, ne homines, qui libros auctorum proteſtantium legere dubitant, firmamentum ac robur argumentorum proteſtantium in ipſo BELLARMINO huiuſque ſimul reſponſionum leuitatem futilitatemque perſpiciant. Secundum genus laicorum reiicit, dicens, *Nouatianis*, quos in exemplum produxi, per concilium *Nicænum* licuiſſe eſſe clericis, de quibus mox videbimus plura. Quid tum inde? Num ignorare poteſt, quadraginta hæreſes fuiſſe ante *Nouatianos*, quæ fortasſis omnes ſibi clericos & ſacerdotes eſſe dictant, qui tamen non fuerunt ſacerdotes, mandato & poteſtate inſtructi, quamuis quidam eorum baptiſmi admiſſi fuerint ab iſtis eccleſiis, quæ contra *Cyprianiſtas* de hac quæſtione diſputarunt? Quod ſi iſti homines non fuerunt laici, aut certe nulli ſacerdotes, ſcire velim, quo magis conueniente nomine appellari debeant, vt de vocabulis conſentiamus & diſputationi de nominibus & verbis, quæ nihil ad rem facit, imponamus finem.

AVCTORIS nostri opinio, quam de reductione sacerdotis ad communionem laicam habet, alia ingenii ipsius inuentio atque excogitatio est, nec scopo disciplinæ veteris ecclesiæ vllo modo respondet. Ex ipsius enim sententia *p. 110.* "Reducere sacerdo-" tem ad communionem laicam nihil aliud est, quam eum, quo-" ad sacerdotalis potestatis executione ipsi interdicitur, adigere ad " sacramentum cœnæ, non inter reliquos clericos in loco sanctis-" simo intra cancellos altaris, vt in more positum erat, sed inter " laicos in inferiore & minus honorifica ecclesiæ parte sumen-" dum". Quum tamen antiquo ecclesiæ stilo & lingua multo significet amplius. Semper enim illam denotat actionem, qua quis sacerdos sacerdotali sua auctoritate ac potestate priuatur & ad statum atque conditionem laicorum redigitur, cuius rei modo variabile quoddam signum siue appendix erat sacræ eucharistiæ perceptio extra cancellos. Auctor noster cogitur fateri, in scriptis *Cyprianistarum* ita accipi. Si loquantur de eo, quod episcopus vel presbyter ad communionem laicam redactus sit, tum hoc eos intelligere, quod laicus factus, seu ad laicorum statum & conditionem detrusus sit. Cur vero non idem significet in scriptis CORNELII, quando scribens ad *Fabianum*, ecclesiæ *Antiochenæ* episcopum, de depositione *Trophimi*, vnius de tribus episcopis, qui *Nouatianum* ordinare ausi erant, & narrans, quomodo in ecclesiam denuo admissus fuerit, ait [*b*], ἐκοινωνήσαμεν ὡς λαϊκῷ, ad communionem laicam eum suscepimus? Vbi CYPRIANVS de eodem hoc *Trophimo* loquens, *Sic admissus est Trophimus*, inquit, *vt laicus communicet, non quasi locum sacerdotis vsurpet.* Heic auctor noster concedet, quod, quum *Trophimus* admissus dicatur, vt laicus communicet, hoc significet, eum exutum esse munere episcopali & redactum ad statum & ordinem laicorum. Quando autem CORNELIVS idem de eodem homine narrat, quando omnes ecclesiæ canones idem dicunt de aliis episcopis & sacerdotibus, quod de gradu deiecti, & tantum laici communicare iussi fuerint; tum hoc secundum auctorem nostrum non significat, illos episcopali vel sacerdotali munere priuatos, aut ad conditionem & ordinem laicorum detrusos, sed tantum ad communicandum inter laicos

(*b*) Ap. Euseb. lib. VI. cap. XLIII.

extra

extra cancellos altaris adactos esse, quoad sacerdotalis suæ potestatis exercitio prohibiti fuerint. Tam multa autem ad refellendam hanc falsam notionem communionis laicæ ex antiquis canonibus & scriptoribus ecclesiasticis, *capite quarto posterioris partis historiæ meæ scholasticæ*, dixi, (quorum prorsus non meminisse auctori nostro optima ratio visa est) vt curiosum & ingenuvm lectorem ad illud caput tantum remittere necesse habeam, ex quo plane perspiciet, Quod, quum ecclesia de aliquo sacerdote ad communionem laicam redacto loquatur, plus ea re intelligat, quam quod tantum in laicis collocatus sit ad communicandum extra cancellos altaris, nimirum, quod de ordine suo deiectus & sacerdotali auctoritate & potestate priuatus atque ita ad statum & conditionem laicorum reductus sit.

QVAERIT autem auctor noster, cur mihi contradicam & fatear, habere eos adhuc quodammodo characterem sacerdotum in se residuum? Respondeo, Si per characterem sacerdotum intelligit officium, potestatem & auctoritatem sacerdotum (id quod semper intelligere videtur) tum nego & semper negaui, eiusmodi characterem residuum esse, postquam sacerdos aliquis de gradu deiectus & ad communionem laicam reductus est. Si vero per characterem nihil amplius intelligit, quam quod ego intelligo, nimirum externam impositionis manuum cærimoniam, quæ interdum separari potest ab officio, auctoritate & potestate; vt res se habet in ordinationibus hæreticis, vbi formalis impositio manuum datur sine diuina auctoritate & potestate, quam hæretici dare nequeunt; et vt res se habet in omnibus gradu deiectis sacerdotibus, vbi ecclesia potestatem eis suam subtraxit: Tum eum absurda & pugnantia loqui nego, qui auctoritatem sacerdotis auferri posse statuit, externo impositionis manuum charactere in tantum in eo remanente, vt, quum ecclesia nouam ei potestatem & auctoritatem dandam ducat, haud necesse esse existimet, nouam etiam manuum impositionem ei dare; quod ipsum est omne, quidquid per nouum characterem intelligo. Atque eatenus *Cyprianistæ* hoc approbabant, quando sacerdotes hæreticos vel schismaticos auctoritate & potestate sua priuarant, & ad statum laicorum reduxerant. Neque enim, quum eos in sacerdotalem auctoritatem restituerent, per nouum characterem, hoc

est, per nouam manuum impositionem id faciebant, sed per nouam potestatis & auctoritatis impertitionem. Quemadmodum ex ratione restituendi *Maximum* apparet, quam CYPRIANVS approbabat, licet antesignanus fuisset in schismate *Nouatiano* & totius confusionis auctor præcipuus. *Iussimus Maximum, presbyterum, locum suum agnoscere*, habebat formula restitutionis eius; quæ nouam quidem potestatis concessionem, non autem nouam manuum impositionem, ad restituendum eum in pristinam ministerii sui auctoritatem, inuoluit. Vt adeo *Cyprianistæ* æque ac alii distinxerint characterem a potestate, & si potestatem abstulerint, characterem (eo quidem sensu, quo ego characterem accipio) reliquum fecerint. Namque gradu deiectum & munere pulsum sacerdotem non restituebant per nouam manuum impositionem, sed tantum per nouam muneris delegationem. Auctor noster has res non vult distinguere, vti ego illas cum ecclesia antiqua, tum *Cyprianistis* tum aliis, distinguo; et hoc fundamentum est totius huius inutilis rixæ & crebro repetitæ imputationis contradictionum, qua veteris ecclesiæ consuetudinem, non meam narrationem, debebat onerare.

ADHVC aliam facetam opinionem auctor noster habet de communione & sacramentis *p. 41.* quam plenam ambiguitatis esse lector quisque, credo, facile agnoscet. Ego de eiusmodi sacerdotibus, qui non solum gradu deiecti sed etiam ex communione laica ab ecclesia pulsi sunt, loquendi habens occasionem dixi, istos sacerdotes, qui non habeant ius recipiendi sacramenta, nullam habere auctoritatem dandi sacramenta aliis; vbi nihil potest esse planius, quam quod loquar de illis sacerdotibus, qui reapse officio & communione ecclesiastica per auctoritatem & censuras ecclesiæ sunt eiecti. Ad quæ quum respondet auctor noster, responsionem suam format de eiusmodi sacerdotibus, qui sunt homines mali in se, adhuc autem, potestatem dante ecclesia, officio suo funguntur & veniam ab illa habent administrandi sacramenta, quia ecclesia nondum censuris suis eos adfecit. Citat etiam articulum vicesimum sextum ecclesiæ *Anglicanæ*, vt probet, nobis licere malorum hominum ministerio in recipiendis sacramentis vti, etiamsi isti homines non habeant ius (ex ipsius quidem opinione) ne recipiendi quidem sacramenta. Quid vero hoc est nisi

mani

manifesta ambiguitas? Ego de istiusmodi malis hominibus loquor, quos ecclesia suis subiectos censuris omni iure tam recipiendi quam administrandi sacramenta priuauit, quando eos gradu suo iam deturbatos ecclesiæ etiam communione proiecit. Ille autem probat, licere nobis ministerio vti eiusmodi malorum hominum, quos ecclesia nec excommunicauit vmquam nec gradu deiecit, sed in communione permanere & in officio suo ministrare sinit. Tales homines coram Deo quidem indigni esse possunt, qui sacramenta administrent aut recipiant; quamdiu autem ecclesia, nondum perspecta eorum malitia & prauitate, illis in foro externo permittit, vt in communione & ministerio maneant, tam diu externum & præiudicatum ius habent in facie ecclesiæ & coram hominibus sacramenta administrandi eaque recipiendi. Quando autem ecclesia pro sua auctoritate illos ministerio & communione semel exclusit, tum nec in Dei nec in hominum conspectu vllum ius habent sacramenta dandi aut recipiendi. Atqui de his solis ego loquor, de quo genere malorum hominum articulus vicesimus sextus ecclesiæ *Anglicanæ* ne minimam quidem mentionem habet, adeoque ab auctore nostro haud aliam in rem applicatur, nisi vt inanibus & ambiguis verbis incautum lectorem deludat. Cuiusmodi pleræque responsiones auctoris nostri sunt ad argumenta, quæ attuli, vt sacerdotes gradu deiectos & communione priuatos ostenderem non habere ius administrandi sacramenta, postquam semel per disciplinam ecclesiæ censuris sollemniter subiecti & auctoritate sua exuti sunt.

3. ALIAM quamdam obseruationem faciendam duco in vagam auctoris nostri opinionem de vi & potestate legum ecclesiasticarum in rescindendis minus canonicis ordinationibus, speciatim in dissoluenda ordinatione *Nouatiani* hæretici. Dixeram occasione ita ferente, ordinationem *Nouatiani*, quantumuis a tribus episcopis datam, nullam fuisse ab origine, quia data sit contra leges ecclesiæ, quæ ordinationem in talibus circumstantiis factam, vacuam & nullam declarent. Has leges ostendi esse leges contra ordinationes Simoniacas & coactas; leges contra ordinationem sine canonica & synodica electione factam; et leges contra vsurpationem & occupationem sedis plenæ. Ad quæ omnia auctor noster generatim respondet *p.47.* hanc legum neglectionem

tantum ad circumſtantias non ad ipſam eſſentiam attinere. Quæ vero res in quæſtione non verſatur; ſed hoc quæritur, Annon eccleſia tales leges tulerit & declararit, eiuſmodi haud canonicam agendi rationem, quæ ſit manifeſta iſtarum legum violatio, ordinationem vacuam effecturam, niſi ipſa eccleſia iuſtis de cauſſis illam ab iſtis legibus eximendam duxerit? Nihil refert, vtrum iſta legum neglectio ad eſſentiam an ad circumſtantias ordinationis attinere dicatur, quamdiu eſt talis minus canonica agendi ratio, quæ ab eccleſia in diſciplina ſua ordinationem vacuam facere declaratur. Tum enim ordinationem, ſic contra regulas factam, oportet eſſe vacuam, niſi eccleſia in ſpecialiore quodam caſu, aut vrgente magna aliqua neceſſitate, (qua de re iudicare ipſi ſoli competit) ab ſuis ipſius regulis ſibi diſcedendum & ordinationem, licet contra præſcriptum datam, accipiendam putet. Exiſtimo enim, differentiam inter neglectionem legum eccleſiæ, quæ ipſam eſſentiam ordinationis, et eam, quæ tantum circumſtantias illius adficit, non ſemper eſſe id, quod alteram ordinationem vacuam faciat, alteram non faciat; ſed potius quod eccleſia poteſtatem habeat accipiendi alteram, alteram repudiandi. Quod ſi vero eccleſia non ignoſcat, quæ contra leges ipſius commiſſa ſunt, quandoquidem ordinationem, in talibus circumſtantiis datam, vacuam declarat, tum ordinationem vacuam eſſe oportet, ſiue ad eſſentiam ſiue ad circumſtantias ſpectet iſta legum eccleſiaſticarum contemtio, quia non habet eccleſiæ diſpenſationem. Quare, ſi auctor noſter quicquam reſpondere voluiſſet, quod ad rem faceret, probare debuiſſet, aut non fuiſſe tunc temporis tales leges in rerum natura, quæ ordinationem eiuſmodi irregularem, vt erat illa *Nouatiani*, vacuam declararint; aut eccleſiam in hoc ſpecialiore caſu in gratiam *Nouatiani* a legibus ſuis diſceſſiſſe. Hæc enim erat res diſciplinæ eccleſiaſticæ, et eccleſia poteſtatem habet faciendi leges de ordinationibus & declarandi, quid ratum & firmum futurum ſit. Poteſtatem etiam habet, ferente ſic iuſta occaſione, ab ſuis ipſius legibus diſcedendi; nullus autem hæreticus vel ſchiſmaticus, qui inimicum in eccleſia & refractarium animum gerit, qualis erat *Nouatianus*, hinc priuilegium habet diſpenſationem, eccleſia velit nolit, ſibi vendicandi.

SVPPO-

Svpposito, *Nouatianum* a tribus episcopis fuisse ordinatum, vti auctor noster mecum sentit: An nihil amplius requiritur per leges ecclesiæ, vt quis episcopus fiat, quam vt trium episcoporum, potestate ordinandi instructorum, manus ei imponantur? Quid, si tres episcopi aliquem ordinauerint numquam vere baptizatum, an hoc eum episcopum efficeret? Auctor quidem ita sibi persuasum habet, quia tres episcopi potestate ordinandi instructi manus ei imponunt: Aliter autem sentit concilium *Nicænum* adeoque de *Paulianistis*, qui sic ordinati erant episcopi, sacerdotes & diaconi, decreuit, vt rebaptizati ordinarentur a catholicæ ecclesiæ episcopo, quemadmodum ex vndeuicesimo istius concilii canone luce meridiana clarius apparet. Vt adeo tum quidem aliquid amplius præter trium episcoporum manus ad faciendum aliquem verum ecclesiæ episcopum creditum sit requiri. Requirebantur certæ qualitates in ipso ordinando, verbi caussa, vt esset christianus vere baptizatus, atque ita ad recipiendam veri nominis ordinationem admitti posset: alioqui per legem istius concilii eiusmodi sollemnis ordinatio vacua & irrita erat. Multas alias regulas ecclesia habebat; quæ ordinationes, contra præscriptas leges datas, irritas declarabant, et quæ caussam *Nouatiani* adficiebant propius. Facile foret, viginti exempla huius generis adferre, inhærebo autem istis specialioribus, quæ antea memoraui contra *Nouatianum*. Vnum erat, quod *Nouatianus* ordinatus fuerat a mere peregrino, sine regulari & synodica electione, cuiusmodi ordinationes ecclesia per regulas suas declarabat irritas. Oportebat igitur auctorem nostrum ostendere, aut non fuisse talem regulam in ecclesia, aut *Nouatianum* non fuisse ita ordinatum, aut certe ecclesiam grauibus quibusdam de caussis in isto legum suarum neglectu ipsi ignouisse, atque ita in gratiam eius a communi regula & præscriptione deflexisse. Pro eo autem nobis tantum narrat, " Hoc non fecisse irritam ordinationem *Nouatiani:*
" Si enim fecisset, omnium episcoporum, sacerdotum & diacono-
" rum actus, aduersus regulam extra iurisdictionis suæ loca factos,
" nullos & vacuos fore, adeoque si quis sacerdos extra parœ-
" ciam baptizarit, in alius cuiusdam sacerdotis territorium sese
" intrudens, sine eius venia & consensu, aut sine vlla omnino
" necessitate, baptismum, quem dederit, debere esse nullum
" & va-

" & vacuum, si episcopi cuiusdam actus ordinationis nullus & " vacuus sit ideo, quod eum contra regulam extra suam diœce- " sin & iurisdictionem peregerit ". Profecto miseret me lecto- rum, quod tali argumentatione ab auctore nostro circumueniantur. Fallacia in hoc sita est, quod res diuersæ potestatis prorsus idem significare coguntur. Ecclesia in vno casu decreuit, vt ordinationes, ita, vt memini, contra præscriptas regulas datæ, sint vacuæ eamque ob caussam ordinationem *Nouatiani* reapse nullam pronuntiauit. In aliis casibus declarauit, res in circumstantiis irregularibus administratas, quantumuis vitiosas, vtpote contra regulam suam factas, non debere esse vacuas, sed hominem tantum propter hanc suam præuaricationem pœnæ canonicæ obnoxium futurum. Num quis autem iure concludere potest, Quod, quum quidam irregularis actus vacuus sit & irritus in vno quodam casu, in quo ecclesia pro disciplina & sapientia sua eum vacuum declarauit, ideo irregulares actus omnes oporteat esse vacuos in reliquis casibus, in quibus ecclesia diserte declarauit, quod non oporteat eos esse vacuos? Sicuti res se habet in administratione baptismi per sacerdotem extra paroeciam suam. Res actio irregularis est, ecclesia tamen declarauit, debere eam nihilo, minus ratam esse & validam. In altero autem casu, si episcopus episcopum ordinasset extra prouinciam suam, idque modo quodam schismatico, vbi iam alius legitime ordinatus fuerat, ecclesia declarauit, eiusmodi irregularem ordinationem habendam esse vacuam. Igitur hi casus non sunt consimiles, quia ecclesia alterum ab altero manifeste distinxit. Non disputo, vtrum talis ordinationis irregularitas essentiam an circumstantias adficiat. Sufficit in rem meam, quod ecclesia eam ita irregularem pronuntiat, vt ipsam ordinationem vacuam reddat. Neque refert dicere, ecclesiam interdum huiusmodi ordinationes admisisse, nec reapse reddidisse vacuas. Id enim tantummodo arguit, ecclesiam habere potestatem a regulis suis deflectendi & agendi mitius, vbi id expedire iudicet. Ostendi autem debet, ecclesiam ab sua ipsius regula deflexisse in hac speciali caussa *Nouatiani* eique id beneficii concessisse, vt ipsum episcopum ecclesiæ catholicæ salutarit, non obstante irregulari eius ordinatione, id quod illam dico per omnem eius vitam fecisse numquam, sed

ſed eum ſemper repudiaſſe tamquam epiſcopum nullum, quamvis tres epiſcopos habuiſſet, ſibi imponentes manus & creditam ordinationem tribuentes.

ALTERVM, quod contra ordinationem *Nouatiani* vrſi, eſt, quod fuerit Simoniaca & coacta ordinatio, cuiuſmodi ordinationes per regulas eccleſiæ ſemper iubentur eſſe vacuæ. Auctor noſter nihil dicit aduerſus imputationem Simoniæ, vtpote gnarus, quænam fuerint perpetua eccleſiæ hac in cauſſa decreta. Longam autem orationem habet de criminibus ordinantium, quod vino languidi, quod ad dandos ordines coacti fuerint, quam rem non putat facere ordinationem vacuam & irritam. *Vbi enim terrarum*, inquit, *deprehendemus ordines validos, quandoquidem ordinatores tantum homines ſunt, et eorum quidam fuerint hac vel illa ætate eccleſiæ magnis peccatis vitiisque contaminati, eaque re ſucceſſionis lineam irrecuperabiliter ruperint, ita, vt numquam poſſit redintegrari. Immo ſi improbitas in his, qui ſunt epiſcopi, characterem eorum epiſcopalem delet & ordinationes per eos factas nullas & irritas facit, neceſſario hinc ſequetur, vt non habeamus in eccleſia Anglicana ordines validos, ſiquidem ordines clericis noſtris initio dati ſunt ab improbis eccleſiæ Romanæ epiſcopis.* Et heic iterum in articulo viceſimo ſexto eccleſiæ *Anglicanæ* exſultat ac triumphat æque appoſite atque antea. Cum ſua autem ipſius vmbra pugnat. Quæcumque dicit, præter quæſtionem ſunt adeoque nullo modo ad rem, ſed tantum ad ludificandos zelo feruidos & incautos lectores ſuos faciunt. Ego enim non loquor de iſtiusmodi flagitiis in ordinantibus aut de malis hominibus, quorum nullam eccleſia accepit cognitionem, aut quibus non inflixit pœnas ſuas canonicas. Quos eccleſia vult in publico munere eſſe, exiſtimandi ſunt miniſtri eccleſiaſtici (licet mali homines ſint in ſe & in oculis Dei ſuoque munere indigni,) vſque dum eccleſia munere eos ſuo priuet, et per diſciplinam atque cenſuras ſuas inhabiles declaret. Quæſtio autem mea eſt de eiuſmodi prauitatibus perſonarum, quas ordinationem aliquam vacuam & irritam reddere eccleſia declarauit; cuiusmodi ſunt praxes Simoniacæ acquirendi ordinationem, cetera: et de eiuſmodi malis hominibus, quos eccleſia talium praxium & prauitatum reos deprehendit ſuasque ſub cenſuras vocatos

tos ministerio exuit, et ordinationem eorum irritam & vacuam declarauit, eo quod tam illicitis artibus ordinationem obtinere conati sint: quemadmodum in caussa *Nouatiani* & illorum, qui ipsum ordinarant, reapse fecit, quorum hos officio suo priuauit, illius autem rescidit ordinationem, vtpote tali peruersa agendi ratione acquisitam. Quid hoc ad malos homines, quos ecclesia non habet perspectos & iudicatos, aut ad istas prauitates in hominibus, quas censuris suis non adfecit? Sacerdos, more Simoniaco ordinatus, in oculis ecclesiæ & hominum verus sacerdos esse potest, vsque dum ecclesia crimen eius detexerit ipsumque legitime conuictum censuris suis subiecerit. Si autem, simul atque ordinatus est, ecclesia criminis eius cognitionem capit suaque legitima auctoritate ordinationem illius statim declarat irritam; tum, aut homo iste non est verus sacerdos, aut certe ecclesia non habet auctoritatem declarandi istam ordinationem irritam. Talis erat caussa *Nouatiani.* Ecclesia legem habebat, quod ordinationes prauis istiusmodi viis, vti ordinatio *Nouatiani*, videlicet Simonia, vi & fraude acquisitas, oporteat declarari vacuas, et hæc lex in ipsum actum dabatur in *Nouatiano;* nulla indulgentia, nulla exceptio hoc in casu locum habebat. Ab omnibus omnino orbis christiani episcopis damnabatur, nec vnus quidem episcopus (si ab vno vel duobus discesseris, qui eum ordinarant iam ipsi gradu suo deiecti) illum vmquam episcopum agnouit, aut in eius rei testimonium litteras communicatorias ad ipsum dedit aut ab eo recepit. Non solum ecclesiæ *Cyprianicæ* ordinationem *Nouatiani* resciderunt, sed totius orbis ecclesiæ; *Cornelianæ* & *Stephanianæ* in vrbe *Roma;* ecclesiæ *Orientales* & *Occidentales;* ecclesiæ, quæ baptismos illius admittebant sine rebaptizatione æque ac illæ, quæ venientes ab ipso rebaptizabant. Omnes consentiebant, non esse eum episcopum, quamuis non consentirent de reiiciendis baptismis, ab eo eiusque sectatoribus datis, tamquam prorsus nullis & vacuis. Quæ res ostendit, quam iuste scilicet nobis repræsentet hanc materiam auctor noster, quando ait, nullam ecclesiam ordinationem *Nouatiani* vel aliorum hæreticorum vacuam fecisse, quæ non simul omnes actus ministerii eorum vacuos fecerit. Quum sole meridiano clarius sit, ecclesiam *Romanam* sub *Cornelio* & *Stephano*, et reliquas omnes, in disputatione de rebaptizandis hæreticis cum illis

illis facientes, numquam rebaptizasse *Nouatianos*, tametsi cum ecclesiis *Cyprianicis* sentirent, *Nouatianum* non esse episcopum, eiusque ordinationem rescinderent. Quare aut *Nouatianus* non fuit episcopus, vtpote cuius ordinatio vacua declarata erat ob eiusmodi crimina, quæ tali censura, iudice ecclesia, digna erant; aut ecclesia extra fines cancellosque potestatis suæ egressa est in ordinatione eius vacua declaranda per regulam, quam nec dandi nec in effectum deducendi habuit potestatem.

VERVMTAMEN auctor noster contendit, talem regulam omnes ordinationes per vniuersum mundum, et ipsas ecclesiæ *Anglicanæ* ordinationes facturam esse vacuas. Profecto durum est statuere, quod ecclesia non possit regulam dare, quæ vnius cuiusdam hominis improbi ordinationem abroget, quin simul ordinationes totius orbis abroget. Verum hæc opinatio est, quæ stoliditate sua ipsa se destruit. Sic enim statuendum nobis est, semper exsistere aliquam ecclesiam in eaque rectores ad dandas in effectum leges ecclesiasticas, antequam in delinquentes vim suam exserere possint ad ordinationes eorum rescindendas. Quod si leges in delinquentes ipsæ per se agerent sine vlla ampliore caussæ eorum examinatione, tum quidem cum aliqua specie dixeris, leges ad rescindendas improborum hominum ordinationes factas hoc vel illo tempore in corrupto ecclesiæ statu ordinationibus vniuersorum fraudi esse posse. At enim vero leges humanæ non solent ipsæ sese ad effectum dare. Quare antequam in delinquentes cum effectu agere possunt, rectores quidam ecclesiæ nobis admittendi sunt, qui illas in effectum deducant. Quod si non faciant, leges quidem adesse possunt ad abrogandas improborum hominum ordinationes, quæ vero locum non habent, quia contra illas in effectum haud deducuntur. Iam vero variæ rationes adferri possunt, quare istæ leges haud iubeantur vim suam contra delinquentes exserere. Nonnumquam de gravi aliquo crimine, cuiusmodi est ordinatio Simoniaca, priuatim transigitur; adeoque ecclesia legem suam contra Simoniam in eiusmodi sontem ad effectum dare nequit, quia crimen occultum est, nec vero & legali indicio probari potest. In quibusdam casibus ipsa ecclesia a suis legibus sibi discedendum iudicat, si qua magna id vrgeat necessitas aut spes præueniendi vel curandi periculo-

riculoſum aliquod ſchiſma ſuadeat, nec in ſontes ſummum legum ſuarum rigorem adhibet, ſed eas ordinationes ratas habet, quas per diſciplinæ ſuæ ſeueritatem abrogare poſſet & reſcindere. Interdum etiam magna inopia & neglectio diſciplinæ datur in corrupto quodam eccleſiæ ſtatu; ſicut fuit ſub dominio papatus; et tum quidem multi delinquentes legum animaduerſionem effugere poſſunt, quia non ſatis animi habent gubernatores ad leges contra illos in effectum deducendas. In illis caſibus omnibus leges, quæ ordinationes, contra regulam factas, reſcindi iubent, vim nullam accipiunt, vel quia eccleſia factum ignorat, vel quia iuſtis & grauibus de cauſſis a legibus ſuis ſibi diſcedendum exiſtimat, vel quia generalis quædam neglectio aut corruptio eos occupauit, qui ſedent ad gubernacula eccleſiæ, et quibus legum executio demandata eſt. Hæc res oſtendit, leges, per quas irregularis *Nouatiani* ordinatio ob crimina ipſius reſciſſa eſt, non poſſe vniuerſæ eccleſiæ deſtruere ordinationes, quia hoc nos cogeret ſtatuere, vniuerſam eccleſiam illas leges in effectum dare aduerſus ſingula corporis ſui clericalis membra, et ipſos iudices generatim ad ſeipſos damnandos conſpirare, quæ ſententia eſt, quæ primo ſtatim intuitu exploditur, et ſtoliditate ſua ipſa ſe deſtruit. Nullum ergo periculum vel ordinationibus eccleſiæ catholicæ vel eccleſiæ *Anglicanæ* imminet, vti auctor noſter declarat, ex ſecunda ratione, quam dedi, cur eccleſiæ ordinationem *Nouatiani* irritam declararit ob iniquas vias, quas ad eam obtinendam inierat.

TERTIA mea ratio contra ordinationem eius erat, Quod ipſe ſe in plenam ſedem intruſerat, in qua ante eum *Cornelius* rite & diuine collocatus erat. Cuius generis ordinationes cum legibus & regulis catholicæ vnitatis tantopere pugnabant, vt eccleſia per antiquas leges iuſſerit illas pronuntiari vacuas; et idcirco hæc lex contra *Nouatianum* in effectum data, eiuſque ordinatio, propter vſurpationem illius, a totius orbis epiſcopis vna voce & mente vna irrita & nulla declarata fuit. Id quod firmiſſimo teſtimonio CYPRIANI & CORNELII multisque perſpicuis legibus & canonibus eccleſiæ probaui. Ad quod auctor noſter non modo acute ſed facete etiam reſpondet. " Deſignationem illius " ad iſtam plenam ſedem fuiſſe quidem vitioſam & irritam eo re-

" ſpectu,

" ſpectu, vt non fuerit epiſcopus *Romæ*, ordinationem autem " eius, vt eſſet epiſcopus, non fuiſſe propterea irritam nec nul- " lam." Quaſi homini, qui per ordinationem ſpeciatim deſignatus fuit epiſcopus *Romæ*, licuerit eſſe epiſcopum in vllo alio mundi loco, præterquam in eo, ad quem ſpeciatim fuerit deſignatus! Et hoc quidem contra voluntatem & ipſam declarationem eccleſiæ, quæ ordinationem illius, tamquam vanam, imaginariam & fraudulentam ſemper reiecit. Si verus epiſcopus creditus fuit, cur epiſcopi per vniuerſum terrarum orbem non coluerunt cum ipſo ſocietatem, tamquam cum epiſcopo ἀπολελυμένως ſeu abſolute generatimque ordinato, etſi non epiſcopo *Romæ* conſtituto? Cur CORNELIVS ipſum dicit epiſcopatum, ſibi a Deo minime conceſſum, rapere ac vindicare conatum eſſe? Si ordinatio eius diuina fuit, cur CYPRIANVS aperte dicit, eum epiſcopum eſſe nullum? Nonne ipſe auctor noſter aliis in locis probare ſatagit, per ſeueram diſciplinam eccleſiarum *Cyprianicarum* ordinationes & ſacerdotia omnium ſchiſmaticorum & hæreticorum, qui excitatis turbis ſeſe ipſi ingeſſerint, facta fuiſſe irrita & nulla? Vnde ergo fit tam ſubito, vt *Cyprianus* iam per hunc *Nouatiani* epiſcopatum nullum hoc tantum intelligat, quod epiſcopus nullus fuerit reſpectu deſignationis ad hanc plenam ſedem *Romanam*, non autem nullus ratione ordinationis in epiſcopum? Non crediderim, auctorem in vindicando *Nouatiano* eo vſque progreſſurum, vt eum neget fuiſſe vſurpatorem ſchiſmaticum. Si igitur conceſſerit, fuiſſe eum vſurpatorem ſchiſmaticum: per regulam eccleſiarum *Cyprianicarum*, ipſo auctore noſtro commemorante, ordinatio eius irrita & nulla facta eſt. Nihilo ſecius heic ad extremum redactus perſuadere nobis ſtudet, non fuiſſe *Nouatianum* epiſcopum nullum reſpectu ordinationis, ſed tantum deſignationis ad plenam illam ſedem, quatenus eſſet epiſcopus *Romæ*. Ingenioſi homines numquam deficiuntur diſtinctionibus, quarum beneficio ſeſe expediant anguſtiis; ſæpius tamen perinde atque alii hoc modo infeliciter inuoluuntur contradictionibus: quæ res admonere eos debebat, vt ne creditæ contradictionis tam facile inſimularent alios. Recte dicit auctor noſter, quando dicit, regulam CYPRIANI ordinationes ſchiſmaticorum vſurpatorum reddere irritas. Annon autem huic regulæ conuenienter dicit CYPRI-

ANVS *Nouatianum* epiſcopum nullum? Eum conari humanam eccleſiam facere pro diuina? Nouos apoſtolos, quos per plurimas ciuitates ad quædam recentia inſtitutionis ſuæ fundamenta conſtituenda mittat, falſos eſſe epiſcopos? Non ſunt hæc verba hominum, qui *Nouatianum* epiſcopatum ſuum diuino iure, & tantum deſignationem ſuam ex humana præſumtione, habere credant. Minime. Ex alio principio agunt. Quod videlicet ei, qui ruperit eccleſiaſticam vnitatem, non liceat habere eccleſiaſticam ordinationem. *Nec habeat eccleſiaſticam ordinationem, qui eccleſiæ non tenet vnitatem*, verba ſunt CYPRIANI, a me hac occaſione antea prolata; quorum, mea quidem ſententia, eos, qui tam multa de principiis æui *Cyprianici* loquuntur, aliquam ſaltem mentionem facere oportebat. Iam vero qui fraudulenter & more Simoniaco ordinatus ipſe ſe ingerit in plenam ſedem contra vniuerſæ eccleſiæ catholicæ conſenſum, is ſane rumpit vnitatem eccleſiæ; nec illam tantum vnitatem iſtius eccleſiæ particularis, ad quam ſic ordinatur, ſed vnitatem etiam eccleſiæ vniuerſalis, quæ cum illa particulari eccleſia mutua totius epiſcoporum collegii ſocietate & communibus catholicæ communionis vinculis coniuncta eſt & copulata. Vt proinde is, qui vnitatem ſoluit eccleſiæ particularis, vnitatem quoque ſoluat eccleſiæ vniuerſalis, & quælibet pars eccleſiæ vniuerſalis officium ſuum eſſe arbitretur, eiusmodi aduerſario ſeſe opponere, illique eccleſiæ particulari, in quam impetus initio factus eſt, adſiſtere, denegando inimico catholicæ communionis priuilegium. Si ergo *Nouatianus*, dum eccleſiæ *Romanæ* vnitatem irregulari ſua vſurpatione rupit, (quæ res extra controuerſiam poſita eſt;) ſimul rupit vnitatem eccleſiæ vniuerſalis: atqui vero per regulam CYPRIANI is, qui rumpit vnitatem eccleſiæ, ordinationem eccleſiaſticam habere nequit, ſequitur, vt *Nouatianus* eccleſiaſticam ordinationem neque in ſede *Romana*, neque in vlla alia eccleſiæ catholicæ parte per catholicæ communionis leges habuerit. Neque profecto oſtendi poteſt, *Nouatianum*, quoad vixerit, epiſcopum, diuino iure ordinatum, in vlla eccleſiæ catholicæ parte agnitum fuiſſe, niſi a facinoris ſui comprobatoribus atque æmulis. Manifeſtæ autem condemnationes eius, tamquam epiſcopi nullius, paſſim in omnibus ſcriptoribus, qui de eo loquuti ſunt, occurrunt.

VERVM

VERVMTAMEN auctor noster ait, "Designationem ad ecclesiam quamdam particularem esse tantum circumstantiam ordinationis, cuius essentia esse possit sine circumstantia dioecesis possessae." Sit ita: Neque enim cum ipso disputabo, quid ad circumstantiam aut quid ad essentiam ordinationis spectet. Quaestio mea solum haec est: Num ecclesia legem habeat ad declarandam schismatici alicuius vsurpatoris ordinationem vacuam & irritam, si illicitis artibus ordinationem ad plenam sedem sibi comparare studeat cum hac irregulari circumstantia inuasionis? Annon etiam ecclesia hanc legem contra *Nouatianum* ad effectum dederit, eiusque ordinationem hanc ob caussam vanam & irritam esse iusserit? Nihil refert obiicere hac in caussa, Quod ecclesia non numquam homines ordinari iusserit ad functionem episcopalem, quantumvis non statim haberent particularem locum, in quo functionem suam exercere possent; aut quod interdum duos episcopos in vna eademque ciuitate admiserit, vt vnus alterum, qui esset summa senectute aut perdita valetudine, nomine coadiutoris sublevaret, aut vt inueteratum aliquod schisma tolleretur. Qua de re exempla quaedam in *originibus* meis dedi, tamquam exceptiones communium regularum in duobus hisce casibus, ex quibus auctor noster ordinationem *Nouatiani* defendere conatur, in eorum conditione illum statuens, qui episcopo alii in dioecesi sua ordinantur coadiutores & socii, vel ordinantur ἀπολελυμένως absolute, certe cuidam territorio non adstringendi. At enim vero hoc diuerticulum nihil eum iuuat. Vnusquisque enim, me nullo quidem monente, facile videbit, discernendum esse illud, quod quis fecerit ecclesia permittente & contra communem suam & vsitatam regulam consentiente, ab eo, quod quis ipsa inuita & contradicente fecerit, communibus eius regulis scienter & ambitiose infractis legibusque ac censuris penitus contemtis. Ecclesiae, quemadmodum antea dixi, regulas suas migrare & non obseruare licet, vt lubet. Quare si quis ob iustas & graues caussas (de quibus ecclesiae est iudicare) alii episcopo, permittente & consentiente ecclesia, socius siue coadiutor ordinatur, res nihil mali habet; neque ecclesia eiusmodi hominis caussam in iudicium vmquam deduxerit, ad ordinationem eius rescindendam; quia, licet contra communis regulae litteram facta fuerit ordinatio

tio illius, nihil tamen contemtionis in se habet, nec proprie violatio legis est, vtpote facta cum iusto ac legitimo adsensu atque approbatione. At vero *Nouatiani* caussa prorsus alia fuit. Nec socius, nec coadiutor *Cornelii* ordinatus erat in sedem *Romanam.* Nec consensum legitimi episcopi habebat, qui eius opem non requisierat; nec consensum ecclesiæ, qui ei haud indulserat a legibus suis exemtionem. Verum contra notam & fixam regulam, quæ quempiam per modum inuolandi in alius cuiusdam episcopi sedem, sub pœna ordinationis rescindendæ, ordinari vetat, non solum Simoniacam ordinationem ambitiose sibi acquisierat, sed in animi etiam obstinatione & legum ecclesiasticarum contemtione persistebat; quam ob rem non solum episcopus *Romanus* cum suffraganiis episcopis suis legem contra inuasores Simoniacos ad effectum dabat in ipsum, ordinationem eius declarando vacuam & irritam; verum CYPRIANVS etiam & omnes totius ecclesiæ catholicæ episcopi cum illis sese iungebant sententiamque confirmabant, *Nouatianum* non nisi falso nominatum episcopum reputantes; episcopum, cuius ordinatio humana tantum esset, non diuina; cuius ius ad episcopatum mera esset vsurpatio, legibus ecclesiasticis pariter & cælestibus contraria.

FRVSTRA auctor noster hunc *Maurum*, quem omnes vetusti scriptores obscuris & atris coloribus depinxerunt, dealbare studet, dum eum cum illis sociis & coadiutoribus comparat, quos vetus ecclesia interdum admisit: quandoquidem tanta differentia est inter ea, quæ fiunt ecclesia permittente & non permittente, inter exemtionem, quam ipsa indulget a lege, & damnationem sontis, quam instituit per legem, vt similitudinem nullam habeant, nec ad se inuicem idonee conferri possint. Quod si ea, quæ iam disputaui, contra *Nouatianum* valent, nullum ei subsidium inueniet auctor noster in concilio *Nicæno*, qui vltimus conatus eius est ad probandum, ordinationem illius esse iuris diuini, dum designationem ad diœcesin *Romanam* nullam esse fatetur. Si enim *Novatiani* ordinatio legibus & iudiciali iure ab vniuersa ecclesia catholica vana & irrita declarata est, eo tempore, quo vixit, non video, quomodo concilium *Nicænum* illam quinquaginta annis

post

poſt obitum illius potuerit validam & ratam habere, niſi manifeſtum diuini iuris teſtimonium ei dederit, atque ita ea omnia, quæ contra ipſum dicta fuerunt, improbauerit.

4. EXAMINEMVS igitur, quæ in gratiam illius dicat concilium *Nicænum*. Nihil de *Nouatiano* ipſo dicit, ſed habet quiddam de ſectatoribus illius, quod aduerſarii mei defenſionem iuris diuini, quo gauiſa ſit ordinatio *Nouatiani*, interpretantur. Concilium dictitant *Nouatianis* concedere, eos veram ordinationem a fundatore ſuo, tamquam vero epiſcopo, deriuaſſe; concilium item *Nouatianis* clericis id tribuere & dare, vt ſint veri epiſcopi, ſacerdotes & diaconi, diuina poteſtate & auctoritate inſtructi, quoad in hæreſi vel ſchiſmate perſeuerarint; quia nomen clericorum, epiſcoporum, ſacerdotum & diaconorum illis tribuant licentiamque faciant in eodem gradu perſiſtendi, in quo fuerint antea. Enimuero ſi hoc probabit, *Nouatianos* eſſe veros epiſcopos, ſacerdotes & diaconos, non minus *Samoſatenianos* ſeu *Paulianiſtas* veros epiſcopos, ſacerdotes & diaconos eſſe probabit. Eadem enim ſynodus de illis loquens eadem appellatione vtitur, qui tamen ne quidem vere baptizati laici erant. Nam per decretum huius ipſius ſynodi non ſolum denuo ordinandi, ſed nouo etiam baptiſmo donandi erant, quia baptiſmus eorum ita falſus erat, vt iterari eum oporteret. Quæ res certo nobis argumento eſt, non fuiſſe illos proprie & vere chriſtianos ſacerdotes creditos, vtut nomine clericorum appellatos, ſiquidem ſenſu ſtricto ne laici quidem chriſtiani fuerunt. Noui, L— & BRETTVM hanc difficultatem facile poſſe ſuperare, dum ſibi perſuadent, poſſe homines per ordinationem fieri veros ſacerdotes, qui numquam chriſtiani laici per baptiſmum facti ſunt. At vero concilium *Nicænum* aliter ſtatuit, viroſque illos credo primos eſſe, qui contrariam opinionem vmquam tuiti ſunt, quod quis verus ſacerdos ordinari poſſit ante, quam per baptiſmum factus ſit chriſtianus. Hæretici quidem, numquam baptizati, nomen ſacerdotum gerere poſſunt, vt a ſic dictis laicis in eadem ſecta diſtinguantur, neque vero illi veri ſacerdotes, nec hi vere chriſtiani laici ſunt ante, quam baptizentur, quocumque appellentur nomine. Concilium *Nicænum Paulianiſtis* nomen clericorum tribuit, inde autem non

ſequitur, vt ideo illos ſacerdotes Dei vera & diuina poteſtate atque auctoritate præditos reputet, quia hoc eos nomine inſignit, vt ab eis, qui laici inter illos vocantur, diſtinguat. Canon, qui de illis agit, ita habet: *De Paulianiſtis* [*d*], *ad eccleſiam catholicam confugientibus, ſtatutum eſt, vt ii omnino rebaptizentur. Si qui vero tempore præterito in clericorum numero erant, ſi quidem a culpa & reprehenſione alieni fuerint, rebaptizati ordinentur a catholicæ eccleſiæ epiſcopo. Si vero examinatio eos non eſſe aptos deprehendit, deponi eos oportet.* Videmus heic, concilium *Paulianiſtas* nomine clericorum appellare æque ac *Nouatianos*, & dicere, ſi non ſint apti, gradu ſuo deiiciendos eſſe. Et tamen nihilo minus inter omnes conuenturum arbitror, niſi fortaſſis L---aut BRETTVS communi ſententiæ contraiuerint, hoſce *Paulianiſtas*, quantumuis nomine clericorum inſignitos, non fuiſſe ſacerdotes vera auctoritate & legitima poteſtate in rebus ſacris miniſtrandi inſtructos, quod baptiſmo deſtituti & non minus rebaptizandi, quam denuo ordinandi eſſent, antequam in collegium verorum clericorum eccleſiæ cooptari poſſent. Acceperant quidem formalem ordinationem inter ſuos ad epiſcoporum, ſacerdotum & diaconorum officium, quam a *Paulo Samoſateno* fundatore ſuo, qui aliquando verus eccleſiæ catholicæ epiſcopus fuerat, deriuare poterant; Iam autem hæc ſucceſſio epiſcoporum & ſacerdotum inter illos imaginaria tantum erat & nudo nomine talis, partim quia primi eorum duces ob hæreſin ſuam gradu deiecti & omni ſacerdotali poteſtate & auctoritate exuti erant; partim etiam quia ordines conferebant minus aptis, hoc eſt numquam vere baptizatis, quos rebaptizari & reordinari oportebat ante, quam licentiam accipere poterant miniſtrandi tamquam veri miniſtri in eccleſia catholica. Vt adeo nomen clericorum, hæreticis diſtinctionis tantum gratia datum, vbi ad ſectas applicatur, quæ formalem diſtinctionem clericorum et laicorum inter ſe obſeruant, non probet, eccleſiam ſic nominatos clericos in veris & auctoritate inſtructis epiſcopis aut ſacerdotibus poſuiſſe; heic enim concilium

(*d*) Concil. Nic. can. XIX. Περὶ τῶν παυλιανισάντων, εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ὅρος ἐκτέθειται ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος. Εἰ δέ τινες ἐν τῷ παρεληλυθότι χρόνῳ ἐν τῷ κλήρῳ ἐξητάσθησαν, εἰ μὲν ἄμεμπτοι καὶ ἀνεπίληπτοι φανεῖεν, ἀναβαπτισθέντες χειροτονείσθωσαν ὑπὸ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου· εἰ δὲ ἀνάκρισις ἀνεπιτηδείους αὐτοὺς εὑρίσκοι, καθαιρεῖσθαι αὐτοὺς προσήκει.

Nicæ-

Nicænum nobis planam demonſtrationem ſuggerit in contrarium. Facile etiam foret, eamdem obſeruationem de multis ſectis aliis facere, quarum ſic crediti miniſtri nomine clericorum veniunt & ſæpenumero vocantur epiſcopi, ſacerdotes & diaconi, quum tamen, ſtricte & proprie loquendo, ne quidem vere chriſtiani laici eſſent, vtpote numquam verum chriſtianum baptiſmum adepti. Speciatim *Cataphrygæ* & *Montaniſtæ* epiſcopos habuiſſe dicuntur. SOZOMENVS [e] *Montaniſtis* æque ac *Nouatianis* in *Phrygia* ſuos fuiſſe epiſcopos, auctor eſt. Et HIERONYMVS [f] illos non ſolum epiſcopos habuiſſe narrat, ſed etiam ordinem illis ſuperiorem, quos cenones appellarint, & adhuc altiorem hiſce gradum patriarcharum. Attamen ſi curatius examinemus, cuiuſmodi fuerint hi epiſcopi, deprehendimus, fuiſſe eos ne quidem laicos chriſtianos. Numquam enim verum baptiſmum ſuſceperant, ſed tales erant, qui in chriſtianam eccleſiam per ianuam baptiſmi admitti neceſſe habebant. Ideoque licet communiter epiſcopi & clerici vocarentur, proprie tamen & ſtricte tantum ſic crediti & exiſtimati clerici erant, quemadmodum concilium *Laodicenum*, quod de illis accuratius loquitur, eos nominat, ipſos eorum epiſcopos rebaptizari iubens. Ait enim canon [g], *Eos, qui ab eorum hæreſi, qui Phryges dicuntur, conuertuntur, ſiue ſint in clero, qui apud illos exiſtimatur, ſiue maximi dicantur; omnes eos cum omni ſtudio catechizari ſeu initiari & baptizari ab eccleſiæ epiſcopis & presbyteris.* Nihil planius eſſe poteſt, quam quod, licet hi *Phryges* interdum vocentur epiſcopi, reuera tamen nudum tantum nomen epiſcoporum habuerint, catechumenis, adeoque gradui laicis inferiori, ab eccleſiæ catholicæ epi-

(e) Sozom. lib. VII. cap. XIX. *Ἐν ἄλλοις δὲ ἔθνεσιν ἐστὶν ὅπῃ καὶ ἐν κώμαις ἐπίσκοποι ἱερῶνται, ὡς παρὰ Ἀραβίοις καὶ Κυπρίοις ἔγνων, καὶ παρὰ τοῖς ἐν Φρυγίαις Ναυατιανοῖς καὶ Μοντανισταῖς. In aliis prouinciis interdum etiam vici conſecratos habent epiſcopos, ſicut in Arabia & inſula Cypro animaduerti & apud Nouatianos ac Montaniſtas, qui ſunt in Phrygia.*

(f) Hieron. epiſt. LIV. ad Marcellam. Apud nos apoſtolorum locum epiſcopi tenent; apud eos epiſcopus tertius eſt. Habent enim primos de Pepuza Phrygiæ patriarchas: ſecundos, quos appellant Cenones: Atque ita in tertium, id eſt, pene vltimum locum, epiſcopi deuoluuntur.

(g) Concil. Laodic. can. VIII. *Περὶ τοῦ, τοὺς ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν λεγομένων Φρυγῶν ἐπιστρέφοντας, εἰ καὶ ἐν κλήρῳ νομιζομένῳ παρ᾽ αὐτοῖς τυγχάνοιεν, εἰ καὶ μέγιστοι λέγοιντο· τοὺς τοιούτους μετὰ πάσης ἐπιμελείας κατηχεῖσθαί τε καὶ βαπτίζεσθαι ὑπὸ τῶν τῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπων τε καὶ πρεσβυτέρων.*

ſcopis adſcripti, qui illos rebaptizare iuſſi erant ante, quam ad communia priuilegia communionis laicæ admitterentur. Epiſcopi *Photiniani*, creditam ordinationem ſuam a *Photino* epiſcopo *Sirmienſi* arceſſentes, eodem loco erant. Quamuis interdum in comuni ſermone appellentur epiſcopi, erant tamen nudo tantum nomine epiſcopi. Illos enim æque ac *Paulianiſtas* rebaptizari oportebat ad eccleſiam catholicam conuerſos, quemadmodum ex canone ſexto [*h*] concilii ſecundi *Arelatenſis* apparet. *Manichæi* etiam apoſtolos ſuos, epiſcopos, presbyteros & diaconos habuerunt, vti AVGVSTINVS [*i*] narrat. *Fortunatus*, contra quem AVGVSTINVS librum quemdam ſcripſit, presbyter apud illos fuit, & AVGVSTINVS ſemel atque iterum [*k*] hoc eum nomine appellat. Neque tamen hi epiſcopi & presbyteri reuera erant chriſtiani. Inter multos enim monſtroſos errores, ob quos AVGVSTINVS [*l*] eos vocat pſeudochriſtianos, baptiſmum chriſtianum penitus reiecerunt [*m*], vti idem auctor fidem nobis facit, adeoque ſemper illis ſectariis accenſentur, qui ad eccleſiam catholicam redeuntes denuo baptizari debebant. Quum itaque ex his exemplis omnibus multisque aliis, quæ addi poterant, manifeſtum ſit, quod, quando eiuſmodi hæretici vocantur epiſcopi, vel presbyteri, vel clerici, id non poſſit eo accipi, quaſi ſint homines, ſacerdotali poteſtate & auctoritate inſtructi; (quia, vti videmus hæc nomina nonnumquam per quamdam accommodationem ad characteres diſtinctionis, quos homines ſibi adſumunt ipſi, etiam illis tribuuntur, qui non ſunt baptizati, nec

(*h*) Concil. Arelat. II. can. XVI. Photinianos ſiue Paulianiſtas ſecundum patrum ſtatuta baptizari oportet.

(*i*) Aug. de hæreſ. cap. XLVI. Ex electis ſuis habent duodecim, quos appellant magiſtros, & tertium decimum principem ipſorum. Epiſcopos autem 72, qui ordinantur a magiſtris, & presbyteros, qui ordinantur ab epiſcopis. Habent etiam epiſcopi diaconos.

(*k*) Aug. contra Fortunatum quemdam Manichæorum presbyterum. Tom. VI. p. 159. edit. Baſil. MDCXIX. Item Retract. lib. I. cap. XVI. Eodem tempore presbyterii mei, contra Fortunatum quemdam Manichæorum presbyterum diſputaui.

(*l*) Auguſtin. contr. Fauſtum lib. I. c. III. Auguſtinus reſpondit: Tu ſemichriſtianos cauendos putas, quod nos eſſe dicis: nos autem pſeudochriſtianos cauemus, quod vos eſſe oſtendimus.

(*m*) Aug. de hæreſib. cap. XLVI. Baptiſmum in aqua nihil cuiquam perhibent ſalutis adferre: Nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant.

ſtricte

ſtricte loquendo chriſtiani vocari merentur,): rationi conſentaneum eſſe arbitror concludere, Quod, quum concilium *Nicænum* quosdam ex *Nouatianis* clericos appellat, non exiſtimet, illos eſſe tales iure & merito ſuo, ſed tantum nomen eis tribuat, quo ab aliis ſectæ ſuæ, qui nomine laicorum veniant, diſtinguantur.

VERVMENIMVERO quamnam rationem de altera iſtius concilii formula loquendi reddituri ſumus, quando hos *Nouatianos* iubet *μένειν ἐν τῷ κλήρῳ*, *manere in clero*? Hoc auctor noſter putat indicare, fuiſſe eos antea iure in clero; alioqui decernere, vt in clero maneant, ridiculum fore, quandoquidem nemo dici poſſit manere in eo, in quo numquam fuerit antea. Ego quidem hoc interpretatus ſum, quod in clerum catholicum recepti aut licentiam nacti fuerint manendi cum auctoritate & priuilegio in iisdem ordinibus, quos antea ſe habere falſo quidem crediderunt. Qua de re auctor noſter eruditam ingreditur diſquiſitionem, vtrum ex ignorantia an malitia vocabulum *μένειν* per *τὸ recipi* expoſuerim. Ad quod reſpondeo: Quod, ſi auctoris noſtri ſcientia vel caritas tanta eſſet, quantam quidem præ ſe fert, cogniturus aut ſaltem pie exiſtimaturus fuiſſet, habere me alium quemdam auctorem, præter meum ipſius ingenium pro interpretando vocabulo *μένειν*, per *recipi*. Nam eadem prorſus cum ignorantia vel malitia illud interpretatus ſum, qua veteres quidam id interpretati ſunt ante me. Speciatim INNOCENTIVS epiſcopus *Romanus*, qui AVGVSTINO fuit contemporaneus, hunc ipſum canonem conſiderans eodem modo, quo ego, illum exponit. Primo canonem ad verbum transfert, quod & ego feci, atque hic ambo cenſentimus, vt reddamus *μένειν*, *maneant* in clero. Deinde progreditur ad explicandum ſenſum vocabuli, & reddit *recipiantur;* ſi vocabulum *latinum recipi*, quod auctorem noſtrum, quantalibet in eo contradicendi libido ſit, mihi daturum ſpero, in lingua noſtra *Anglicana* tantum ſignificat *to be received.* Verba canonis, interprete INNOCENTIO, hæc ſunt: *De his, qui nominant ſe ipſos Catharos, id eſt, mundos, & aliquando veniunt ad catholicam eccleſiam, placuit magnæ & ſanctæ ſynodo, vt accepta manus impoſitione, ſic maneant in clero.* Tum expoſitionem huius canonis ſubiicit verbis ſequentibus: *Poſſum vero dicere de ſolis his* (al. hoc) *Nouatianis eſſe præceptum, nec ad aliarum hæreſium clericos pertinere. Nam ſi vtique de omnibus ita definirent, addidiſſent, a Nouatianis aliisque hæreticis reuertentes debere in ſuum*

 ordi-

ordinem [*n*] *RECIPI.* Vbi obseruare possumus 1. Quod manere in clero, & recipi in suum ordinem, vnum idemque sit. 2. Quod manus impositionem accipere, atque ita in ecclesiæ catholicæ clerum recipi debeant. 3. Quod reliqui hæretici omnes, æque ac *Novatiani*, suos habuerint clericos. Et quod tamen, 4. hoc peculiare priuilegium fuerit clericis *Nouatianorum*, non vero aliorum hæreticorum clericis, indultum. Restat igitur, vt dispiciamus, Quodnam fuerit priuilegium illud, quod clericis *Nouatianorum* tributum, aliorum autem hæreticorum clericis denegatum sit. Auctor noster hoc fuisse putat, quod concilium clericos *Nouatianos* in clericis vera auctoritate instructis habuerit, dum in hæresi vel schismate essent, antequam ad ecclesiam catholicam transiissent. Quum tamen nihil huius dicat concilium; Sed quando antiqua & generalis quædam regula erat in ecclesia, Quod clericis hæreticis non sit permittendum idem munus sustinere in ecclesia, quo functi sint antea inter hæreticos, hæc regula in gratiam *Nouatianorum* exceptionem habere, illisque id beneficii loco tribui debeat, vt in eodem officio suo siue ordine maneant, in quo antea inter hæreticos fuerint constituti. Hoc non spectat ad comprobandas *Nouatianorum* multo minus ad reliquorum hæreticorum omnium ordinationes, quæ maiori iuris specie, quam *Nouatiani*, episcopalem ordinationem sibi arrogare poterant; sed tantum ad concedendum *Nouatianis* hoc peculiare priuilegium, vt admitti possent ad ministerium clericale in ecclesia, quod per generalem istius æui disciplinam reliquis hæreticis erat denegatum. Ratio admittendi *Nouatianos* non erat, quod *Nouatiani* meliores haberent ordinationes, quam quidem alii, qui repudiabantur, sed quia concilium statuerat *Nouatianis* clericis peculiarem gratiam concedere, quam alii clerici hæretici sibi vindicare non debebant. Hoc est, vt in clericali officio per specialem exceptionem generalis regulæ ecclesiæ manerent, dum alii per ipsam hanc regulam prorsus reiicerentur. Neque tamen hoc ipsum priuilegium *Nouatianis* vbique locorum post synodum *Nicænam* irrogatum fuit. *Roma* enim nullum vmquam clericum hæreticum ad dignitatem aliquam clericalem in ecclesia ad-

(*n*) Innocent. epist. XXII. ad episcopos Macedoniæ cap. V. (tom. II. concil. Labb. p. 1274.)
Ruffinus lib I. cap. VI. reddit, in ordine suo *suscipi* debere.

mise-

miserunt. Id quod ex eadem epistola INNOCENTII [o] discimus, quando, *Nostræ lex ecclesiæ est*, inquit, *venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare*. Vt adeo quamcumque ordinationem *Nouatiani* sibi tribuerint, non habuerint licentiam manendi in clero ecclesiæ *Romanæ*. Neque in aliis ecclesiis admissi sunt, tamquam qui fuerint in pristina sua hæresi vel schismate sacerdotes, vera auctoritate instructi; sed noua potestate sacerdotali donati facultatem accipiebant in statione sua manendi, quam sine vllo iure & auctoritate adhuc vsurparant. Et hoc priuilegium erat, quod concilium illud non omnibus omnino hæreticis clericis irrogabat, sed tantum *Nouatianis* & *Paulianistis* cum diuerso quidem ad vtrosque respectu; illis quidem nouum mandatum, si non novam ordinationem, his autem non nouam tantum ordinationem sed nouum etiam baptismum accipere iussis: quia licet *Paulianistæ* meliorem titulum ad ordinationem episcopalem, quam *Nouatiani*, vindicare sibi possent, numquam tamen vere baptizati fuerant, adeoque non solum iterum ordinari, sed etiam baptizari debebant, priusquam licentiam in ecclesiæ catholicæ clero manendi possent accipere.

AVCTOR autem noster ridiculum esse putat, in concilio decerni, quod in clero manere debeant, si antea in clero non fuerint. Fateor, si rem accurate & exquisite pensitemus, non esse hanc maxime propriam & aptam loquendi rationem ad anteuertendum litigiosi cuiusdam disputatoris altercationibus; communis tamen loquendi ratio est & vsitata omnibus pene occasionibus. Vt, quando dicimus, homines esse iterum baptizandos aut iterum ordinandos; hoc, si stricte loquamur, significabit, eos iam semel baptizatos aut iam semel ordinatos esse, alioquin acuto disputatori ridiculum foret dicere, oportere quem iterum baptizari, qui antea numquam baptizatus sit, aut iterum ordinari, qui antea numquam ordinatus sit. Et tamen hæc est ridicula illa loquendi ratio, qua in his materiis vsa est ecclesia. Ita quoque, quando synodus *Nicæna* ait, clericos *Nouatianos* in clero ecclesiæ manere debere,

(o) Innoc. epist. XXII. cap. IV.

auctor

auctor noster id ridiculum vocet, si lubet; sapiens autem quisque facile animaduertet, id eam intelligere, Quod fieri debeant veri clerici per auctoritatem ecclesiæ, qui antea clericorum appellationem & auctoritatem nullo iure sibi arrogarint; quemadmodum is dicitur iterum baptizandus, qui numquam verum sed fictitium tantum baptismum antea suscepit. Nemo vero concilii *Nicæni* sententiam melius exponere potest quam concilium ipsum, quod in simili caussa clericorum *Paulianistarum* aliqua loquendi formula vtitur, quæ ex auctoris nostri iudicio non minus ridicula futura est. Nam canone vndeuicesimo statuit, *Paulianistas*, qui præterito tempore in clericorum numero fuerint, si examinatio eos non esse aptos deprehendat, *deponendos* esse. Heic acutus criticus quæsierit: Quomodo nisi absurde dici possint esse in clericorum numero, qui numquam fuerunt vere baptizati aut ordinati? Aut quomodo dici possint *deponendi* siue deiiciendi de gradu & officio suo clericali, qui numquam reuera in vllo gradu siue ordine clericorum fuerunt? Sicut satis manifestum est, hosce *Paulianistas* ex opinione istius concilii numquam fuisse; et tamen dicere non dubitat, hosce clericos deponi debere. Quis sensus huius decreti ex candidi cuiusque lectoris iudicio esse potest, nisi quod illud concilium vulgari & latiore sensu eos communi nomine clericorum appellet, quia ordinem clericalem ex formali vtut fictitia ordinatione sibi quodammodo vindicare poterant? Vnde ait, deponi eos vel deiici oportere ordine suo, (quem tamen numquam vere habuerant) quia ordinem sibi aliquo modo arrogabant, quem illos antea more rato accepisse, ecclesia negabat. *Arabica* huius canonis interpretatio secundum versionem FRANCISCI TVRRIANI & ABRAHAMI ECCHELLENSIS hanc materiam paullo planiorem reddit. Interponam eam propriis eorum verbis. Canon decimus septimus ex interpretatione TVRRIANI, concilior. tom.II. p.296. sic habet: *Si quis ex hæresi Pauli Samosatensis conuertatur ad fidem ecclesiæ, debet iterum baptizari, et in QVOCVMQVE GRADV ECCLESIASTICO ANTEA FVERIT, si conuertatur digne & cum humilitate, et eius vita anteacta reprehendi non possit, sed laudari potius: RESTITVENDVS EST IN GRADVM SVVM, ET IMPONENDAE EI MANVS, vt imponi solent ei, cui numquam antea impositæ fuerunt,*

runt, cum benedictione diaconali, id est, quæ fit super ministros ecclesiæ. Sed si aliquis eum accusauerit, et non fuerit dignus gradu propter malam fidem, et praua opera, non est ordinandus. Altera interpretatio ECCHELLENSIS sic reddidit, canone decimo octauo, *p.322. Iterum baptizandus est, quicumque reuertitur ad fidem ecclesiæ apostolicæ ex hæresi Pauli Samosateni. Quicumque vero eorum in ALIQVO EXSTITERIT GRADV, placueritque eius reuersio et humilitas, nec reprehensibilis fuerit, quia potius probitate notus, volueritque RESTITVI IN GRADVM SVVM, RESTITVAT ILLVM EPISCOPVS, et imponat ei manus, ac benedicat, vt benedici solet, qui numquam diaconalem habuit benedictionem. At si reprehensibilis exstiterit, et gradu illo indignus habeatur - nec sic restituatur, nec ad ipsum admittatur diaconatum.* Heic *Paulianistas* videmus dici esse in aliquo ecclesiastico siue clericali gradu, et restituendos in ordinem suum clericalem, si digni fuerint: restituendos tamen esse in eumdem, primo quidem per nouum baptismum & deinde per nouam ordinationem. Si vero indigni sint, ne quidem per nouam ordinationem restituendi dicuntur. Quid sibi vult hoc loco *restitutio* eorum in suum ordinem, nisi quod licentia illis danda sit accipiendi ordines in ecclesia? Et id quidem per notam figuram, quam vocamus *catachresin*. Illud certe non intelligitur, quod fuerint antea in vero aliquo ordine seu gradu clericali, sed tantum quod nullo clericorum priuilegio frui debeant vel ex pristina sua, quam venditent, ordinatione, vel ex vera & authentica ordinatione ecclesiæ, quæ illis dari vetatur, quia indigni ea sint. Videmus, quantas difficultates seuerus aliquis *Aristarchus* ex hac communi locutione texere possit, idque absurdum & ridiculum vocare, si quis dicat, posse quem de gradu deiici, qui nullum vmquam gradum habuerit, de quo deiici queat; quandoquidem, secundum bellam auctoris nostri rationem interpretandi, nullus homo dici potest manere in eo, aut restitui in id, aut deiici de eo, in quo antea numquam fuit. Et tamen synodus *Nicæna* in duobus similibus casibus sic loquitur, cuius verba candidus quisque lector facile intelliget; subtilis autem censor in peruersum sensum torquebit, si ad ea interpretanda animo certæ cuidam hypothesi gratificandi accesserit.

Nescio equidem, quanti momenti apud auctorem nostrum futura sit hæc narratio, credo autem, omnes partium studio alienos lectores facile inde perspecturos, quod concilium *Nicænum*, dum *Nouatianos* communi nomine clericos vocat, aut in clero manere iubet, non habuerit animum abrogandi sententiam totius ecclesiæ catholicæ, quam tulit antea declarando, *Nouatianum* non esse verum episcopum, nec sectatores eius veros sacerdotes; sed quod tantum illo eos nomine appellet, quo in secta sua communiter distingui consueuerint, ipsisque hoc dederit, vt sacerdotes catholici fierent ex auctoritate & mandato ecclesiæ; quod priuilegium erat, hisce temporibus non generatim indultum, quando disciplinæ seueritas hæreticos a dignitate clericali, etiam ad ecclesiam catholicam reuersos, prorsus exclusit.

Si res aliter se habuisset, quomodo AMBROSIVS post concilium *Nicænum* potuisset dicere, *Nouatianos* non esse veros sacerdotes, nec sibi sacerdotalem potestatem vendicare posse? Si concilium *Nicænum* declarauit, *Nouatianum* esse verum episcopum et reliquos, per successionem ab ipso in hæresi ordinatos, esse veros episcopos & sacerdotes: quomodo AMBROSIO in mentem venire potuit in tam plana caussa isti concilio aduersari & sententiam contrariam tueri, vbi concilium tam multa pro sacerdotio eorum dixit? Aut quomodo PACIANVS in suis cum *Nouatianis* disputationibus, etiam post actum hoc concilium, tractare eos potuit, tamquam qui non sint sacerdotes, et *Nouatianum* ipsum, vt qui non fuerit episcopus, si concilium pro sacerdotio eorum sententiam dixit? An rationi consentaneum est statuere, hosce viros aut ignorasse, quid concilium decreuerit, aut sententiam suam contra decretum concilii dicere voluisse? Quam facilis *Nouatianis* fuisset responsio, sacerdotium suum a synodo *Nicæna* ratum & firmum habitum fuisse, quæ tum quidem maximam auctoritatem habebat in ecclesia catholica?

Si recentiorum auctorum opinio hac in re quidquam valet, sententiam addere possem HENRICI MAVRITII [*p*] & ELLIES DVPI-

(*p*) Maurice's *Vindic. of the primit. church*, p. 285.

NII

NII [q], qui ſententiam ſuam de *Nouatiano* declarant, fuiſſe eum numquam veri nominis epiſcopum. Recte enim obſeruant, primum omnium epiſcoporum, qui hæreſi cuidam in eccleſia dederint originem, fuiſſe *Paulum Samoſatenſem*, epiſcopum *Antiochenum*, an. CCLXVII. Fuerunt quadraginta quatuor hæreſes chriſtianæ ante hanc, ſed epiſcopus inter iſtas hæreſes nullus. *Nouatianus* fuit vnius cuiusdam ex iſtis ſectis auctor, MAVRITIVS autem ipſum epiſcopum, aut quiddam amplius quam ſacerdotem *Romanum* fuiſſe negat. Primum autem epiſcopum hæreticum, quem inueniamus, ait eſſe *Paulum Samoſatenſem*, qui *Demetriano* in epiſcopatu *Antiocheno* an. CCLXII ſucceſſit & in hæreſin incidit an. CCLXVII adeoque annis ad minimum XXVI poſt, quam hæreſin ſuam in eccleſia conſtruxit *Nouatianus*. Quomodo ergo hæc obſeruatio recte ſe habere poteſt, ſi *Nouatianus* tot annis ante fuit hæreticus? Fuiſſet ad minimum vnus hæreticus epiſcopus ante *Paulum Samoſatenſem*, quod tamen hi viri docti prorſus negant.

ECQVID de reliquis quadraginta tribus hæreſibus omnibus dicturi ſumus, quæ nullum vnquam epiſcopum inter ſe habuerunt? Quodnam genus ſucceſſionis ſacerdotum illis fuit ad dandum baptiſmum iis, quos ad creditam ſuam religionem produxiſſent? Num dicemus, fuiſſe illis veros ſacerdotes, quibus nullus fuit epiſcopus? An vero dicemus, falſos eorum ſacerdotes non baptizasſe niſi eos, qui iterum baptizati fuerint, ad eccleſiam catholicam conuerſi? Hoc non poteſt eſſe. Ipſa enim controuerſia tempore CYPRIANI inter hunc & STEPHANVM, eccleſiæ *Romanæ* epiſcopum, de rebaptizandis hæreticis agitata oſtendit, multos eorum, qui ab his hæreticis baptiſmum ſuſceperunt, in eccleſiam catholicam admiſſos fuiſſe ſine nouo baptiſmate. Hoc enim erat, pro quo STEPHANVS & reliqui de eccleſia contendebant contra *Cyprianiſtas*, quod eos, qui baptizati eſſent in nomine TRINITATIS ab iſtis hæreticis, qui baptiſmum in debita forma retinerent, neceſſe non eſſet denuo baptizari, ſi ad eccleſiam catholicam venirent. Iam vero ſi non fuerunt inter haſce quadraginta tres hæreſes epiſcopi, quæſiero, an vlla verorum ſacerdotum ſucceſſio apud illas fuerit?

(q) Du Pin. hiſtor. eccleſ. vol. 2.

Si non fuerunt inter eas ſacerdotes, a quibus quæſo baptiſmum acceperunt, qui poſtea in eccleſiæ catholicæ gremium ſine nouo baptiſmo recepti ſunt? Certe non a veris ſacerdotibus, ſiquidem apparet, nullos habuiſſe niſi nudo nomine & appellatione tales, quæ res falſis ſacerdotibus veram auctoritatem & poteſtatem haud datura erat. Vt adeo, quantum ego quidem poſſum perſpicere, non ſolum hæreſis *Nouatiana*, ſed reliquæ etiam quadraginta tres hæreſes omnes, quæ iſto temporis interuallo ortæ ſunt, epiſcopatu & ſacerdotali poteſtate caruerint. Neque tamen eccleſia eos, qui inter iſtas hæreſes in debita forma baptizati erant, ſine novo baptiſmo ſuſcipere dubitauit.

Anne vero communiter dicimus, omnes veteres hæreticos retinuiſſe epiſcoporum, ſacerdotum & diaconorum ordines: et primum, qui de hac ordinum diſtinctione diſceptarit, fuiſſe *Aërium* ſæculo quarto medio? Hoc quidem communiter dicitur; niſi vero iuſte temperetur & cum quadam diſtinctione accipiatur, multum omnino aberit a vero. Iſtæ antiquæ hæreſes originem ſuam non traxerunt ab epiſcopis, nec inter ſe veri nominis epiſcopos habuerunt. Earum aliæ presbyteros, aliæ laicos tantum habuerunt architectos: omnes autem diſciplinam eccleſiæ imitatæ, ſibi crearunt fictitios epiſcopos, presbyteros et diaconos; vt faciem eccleſiæ habere viderentur, dum diuerſos clericorum ordines inter ſe ſeruarent. Ita, vt ſupra oſtendi, *Montaniſtæ* non ſolum epiſcopos, presbyteros & diaconos habuerunt, ſed etiam cenones ſuos & patriarchas hiſce ſuperiores. *Manichæi* itidem epiſcopos ſuos, presbyteros & diaconos, magiſtros & apoſtolos reliquis ſuperiores habuerunt. Atque ita probabiliter reliquæ hæreſes quadraginta tres vniuerſæ eccleſiam in obſeruandis diſtinctis clericorum ſuorum, quos venditarunt, ordinibus imitatæ ſunt. Atque ita hæc res numquam vocata eſt in controuerſiam. Enimvero inter omnes hoſce ſic vocatos epiſcopos ne vnus quidem veri nominis epiſcopus erat, qui auctoritatem & poteſtatem ſuam ab vllo alio fundatore deriuare poterat, quam ab illis, qui diuerſarum hæreſium erant auctores, qui vel presbyteri fuerant vel laici. Quamuis igitur eſſent, qui nomen epiſcoporum, presbyterorum & dia-

& diaconorum haberent inter eas, videmus tamen, fuisse illos tantum fictitios, nudum titulum & nomen clericorum gerentes, a potestate minus legitima creatos adeoque falsos ab origine. Vt adeo non hosce tres veros ordines episcoporum, presbyterorum & diaconorum, sed speciem tantum & nomen horum ordinum inter se habuisse appareat. Et tamen nihil manifestius est, quam quod multi eorum, qui ab hisce hæreticis, nullum veri nominis sacerdotem inter se habentibus, baptizati fuerunt, vbi ad ecclesiam redierint, admissi sint sine nouo baptismate. Nonnulli quidem hæretici baptismum aquæ penitus reiiciebant, alii mutabant vel corrumpebant baptismi formam, et hi omnes nouo baptismo donabantur: reliqui vero, qui & materiam & formam retinebant, admittebantur sine iteratione baptismi, licet non veri sed fictitii tantum sacerdotes essent, qui baptismum illis administrarant. Quæ res præterea ostendit, *Nouatianos* non fuisse solos ex omnibus hæreticis, qui ordinatione episcopali caruerint, nec solos illos, quorum baptismus admissus sit, licet administratus ab hominibus, nullum verum titulum ad auctoritatem & iura christiani sacerdotii habentibus.

VERVMTAMEN auctor noster iterum ac sæpius dicit, Quod, si *Nouatiani* non fuerint vere & rite ordinati episcopi & sacerdotes, concilium *Nicænum* eos sacerdotes esse iusserit, qui non nisi laicam ordinationem habuerint. Ad quod respondeo, sicut respondi antea, quod nunc acceperint mandatum ecclesiæ cum auctoritate coniunctum, quo antea fuerint destituti, et hoc ex ipsis auctoris nostri principiis ad sacerdotem a laico distinguendum sufficit. Ait enim, Si quis laicus ab episcopo mandatum habeat baptizandi in casu necessitatis, eatenus eum sacerdotem factum esse per mandatum illius. Quum igitur concilium *Nicænum Nouatianis* ad minimum nouum mandatum & auctoritatem dedit, quam antea non habuerunt, non potest dici iussisse illos esse sacerdotes, qui laicam tantum ordinationem acceperint. Mandatum enim, quod illis dabat, vere episcopale mandatum erat, quod auctor noster agnoscit esse partem ordinationis essentialem, quod episcopi sæpius dederunt sine externa manuum impositione,

exempli caussa, si laicis facultatem darent baptizandi in specialiore quodam casu, quæ res, secundum auctorem nostrum, eatenus illos sacerdotes fecit, sine sollemni impositionis manuum ritu. Neque exempla in ecclesia antiqua, vel ecclesia *Anglicana* deesse crediderim, quod homines constituti fuerint ad publice concionandum in ecclesia (quam rem itidem sacræ functionis partem aliquam esse existimo, quam homines priuati sine auctoritate sibi sumere non debeant) sine vlla alia delegatione, præterquam mandato episcopi, vel per litteras patentes vel vocem oris dato. Quando ergo *Nouatiani* mandatum authenticum habuerunt a concilio, non possunt dici sacerdotes facti per meram laicam ordinationem, licet demonstratum fuerit, impositionem manuum, per canonem præscriptam, non referendam esse ad nouam aliquam ordinationem. Et tamen nescio, quisnam demonstrare possit, non fuisse nouam ordinationem. Quædam enim antiquæ istius canonis versiones ita vocant. In tomis conciliorum duæ reperiuntur versiones antiquæ, quarum altera simpliciter vocat impositionem manuum, altera diserte reddit ordinationem, *Si qui voluerint*, inquiens, *venire ad ecclesiam catholicam ex Nouatianis, placuit sancto concilio, vt ordinentur* [r] *et sic maneant in clero:* Et GRATIANVS similem versionem citat in decreto suo [s], ex quo concludit, concilium statuisse, vt *Nouatiani* ad ecclesiam redeuntes ordinentur. Et hoc ex dispensatione tantum de illis statutum esse ait. Per antiquam enim & generalem ecclesiæ legem hæretici ad nullum omnino clericalem ordinem prouehendi erant, sed in conditione priuatorum hominum siue laicorum in ecclesia, quoad viuerent, manere debebant. Concilium autem, facta ab hac generali regula in gratiam *Nouatianorum* secessione, vt tanto maiori cum festinatione & multitudine ad ecclesiam catholicam redire inducerent animum, statuebat donandos eos esse priuilegio ordinatorum, atque ita relinquendos in clero catholico, quod per pristinæ disciplinæ rigorem omnibus hæreticis

(r) Conc. Nic. can. VIII. tom. II. concil. p. 47.

(s) Gratian. causs. I. quæst. VII. cap. VIII. Similiter ex dispensatione etiam in Nicæno concilio can. VIII. de Nouatianis statutum est, vt ad ecclesiam redeuntes ordinentur, Si qui voluerint venire ad ecclesiam catholicam & apostolicam ex Nouatianis, placuit sancto concilio, vt ordinentur, & sic maneant in clero.

dene-

denegabatur, nisi forte hi illi eodem modo fauorem & dispensationem ecclesiæ pro se allegare possent. RVFFINVS itidem in antiqua huius canonis versione τὸ *manere in clero* [*t*] post impositionem manuum ita interpretatur, vt eos dicat in ordine quidem suo suscipi debere, sed data ordinatione. Vbi obseruare nobis licuerit, secundum RVFFINVM posse quemdam vocari clericum, etiamsi non habeat iustum titulum sed speciem tantum iuris ad sacros ordines; adeoque bono sensu dici, suscipi debere in ordine suo, aut manere in ordine suo, (quod opinione RVFFINI vnum idemque est) etiam vbi noua ordinatione indiget, vt legitimus & vera auctoritate instructus clericus efficiatur. Tametsi auctori nostro, quia hoc dico, placet ad pueros scholasticos me amandare corrigendum, qui ipse, si scripta ecclesiastica potius quam dictionaria & pueros scholasticos, ad quos me remittit, consuluisset, linguam ecclesiæ melius intelligeret. Aut si IOANNEM MORINVM [*u*] modo consuluisset, hic ipsum ad *Theophilum*, episcopum *Alexandrinum*, & sextum concilium *Carthaginense* aliosque vetustos scriptores remissurus fuisset, qui canonem *Nicænum* intelligunt, tamquam qui clericos *Nouatianos* per nouam ordinationem suscipi iubeat. MORINVS ipse manifesto in eadem opinione versatur. Et ego quidem libere profiteor, quod, licet olim aliter senserim, nunc tamen tot antiquorum testimoniorum, in hoc sensu concordantium, robore inductus magis probabile esse putem, nouam ordinationem intelligi. Haud vlli opinioni, quam in *originibus* meis defendi, ita penitus inhæresco, quin ab ea facile discedam meliora edoctus. Quamquam si auctor noster dilucide demonstrare posset, non intelligi nouam ordinationem, non tamen hoc vindicaret ordinationem *Nouatiani*, tot annis ante ab vniuersa ecclesia catholica damnatam, cuius sententiam nulla iusta & legitima auctoritas in gratiam ipsius abrogauit. Ecclesia *Nouatianos* posterioribus temporibus admittere poterat nouam illis impertiendo potestatem, quæ pars essentialis est ordinationis, etiamsi externam impositionis manuum cærimoniam non repeteret, quæ forma-

(*t*) Ruffin. lib. I. cap. VI. Et Catharos, qui apud nos Nouatiani sunt, si forte pœnitentes ad ecclesiam conuertantur, confessos ecclesiastica dogmata, clericos in ordine quidem suo suscipi debere, sed ordinatione data.

(*u*) Morin. de ordinat. exercitat. V. cap. XII. n. X. &c.

liter

liter ipsis data erat ante, sed sine iusta & legitima auctoritate armandi eos spirituali & diuina potestate, quæ ordinarie accipi haud poterat nisi a legitimis ecclesiæ moderatoribus.

VT adeo omnibus circumspectis accurateque perpensis non videam, quomodo ordinatio *Nouatiani* vindicari possit aut demonstrari, fuisse eum verum episcopum. Vniuersa ecclesia eo ipso tempore, quo vixit, consensit in ordinatione eius vacua & irrita declaranda. Hoc factum est tam ab illa ecclesiæ parte, quæ baptismos ab emissariis illius datos suscepit, quam ab ea parte, quæ illos penitus repudiauit. Concilium *Nicænum* non rescidit sententiam contra illum latam, sed tantum a rigore antiquæ legis ecclesiasticæ in gratiam successorum eius discedens statuit, quum lex hæreticos ad clericalem ordinem in ecclesia prouehi vetet, huius sententiæ seueritatem illos ex *Nouatianis* clericis non adfecturam, qui ad ecclesiam redierint: accepturos illos iam potestatem ecclesiæ, qui antea fictitiam tantum potestatem habuerint. Aut si cum tot antiquis auctoribus, qui hunc canonem interpretati sunt, statuanus manuum impositionem, quacum recipi debuerint, fuisse eiusmodi manuum impositionem, quæ data sit in ordinatione, tunc res magis liquet, concilium *Nicænum* non fauisse fictitiæ *Nouatiani* ordinationi, & tamen admisisse baptismos administratos ab successoribus illius, qui iustam auctoritatem & potestatem, quasi ab ecclesia acceptam, vindicare sibi non potuerunt. Lector addere potest quadraginta istas sectas, quæ ante *Nouatianum* fuerunt, quarum nulla veram & episcopalem sed falsam tantum & fictitiam ordinationem habuit. Et tamen omnes ecclesiæ, si a *Cyprianicis* discesseris, baptismos eorum admiserunt, debita quidem forma datos, sine iteratione baptismi. Circumspiciat auctor noster, qui tanto cum supercilio & fiducia sui omnes aduersarios suos despicit, omnesque eorum errores in historia ecclesiastica corrigere tam fidenter audet, circumspiciat, inquam, quot veros episcopos inter has quadraginta sectas reperire possit (nam, qui nudum nomen episcoporum gererent, satis multi fuerunt) ad dandum proselytis suis cum auctoritate baptismum idoneos, & tum fortassis peritiam antiquitatis ecclesiasticæ, qua præminet, mirabimur, si id præstiterit, quod præstare ante ipsum nemo potuit; et

et ipse aptius & maiori cum gratia poterit dicere, ecclesiam numquam recepisse baptismos nisi eorum, qui veri essent episcopi, aut qui ab episcopis mandatum baptizandi accepissent. Ante vero, quam hoc fecerit caussamque *Nouatiani* defenderit melius, firmum & inuictum manebit, ecclesiam suscepisse baptismos multorum, qui numquam vere episcopalem ordinationem habuerunt, id quod aduersus ipsum suscepi demonstrandum.

QVOD attinet ad concessiones meas pristinas in gratiam episcopatus *Nouatianorum*, vel *Meletianorum*, vel *Arianorum*, postquam ab ecclesia sollemnibus ritibus abdicati essent, de earum emendatione in *originibus* meis, accurata veteris ecclesiæ disciplina perquisitius & diligentius considerata, facile consentio. Numquam *origines* meas erroribus immunes esse existimaui, otiumque illis finitis me nacturum spero ad eas diligentius recognoscendas; et tum me non pudebit cum AVGVSTINO retractationes, aut cum BELLARMINO recognitiones meas scribere, tametsi errores, quos auctor noster in illis inuenisse sibi videtur, non sunt eiusmodi, vt emendatione egeant.

DVAS tantum minoris momenti res adhuc habeo, quas notem in hac disputatione. Vna quidem ad honoratissimum patronum & antistitem meum episcopum *Vintoniensem*; altera ad reuerendum & doctum GEORGIVM HICKESIVM attinet. Auctor noster *pag. 6. præfationis* suæ me incusat, quod sine probatione immo contra experientiam statuam, vtriusque prouinciæ episcopos concorditer congruere in hac opinione, Quod dentur aliæ viæ quam per rebaptizationem, falsum baptismum, debita forma a laico quodam datum, supplendi. Ait, episcopo meo *Vintoniensi* me hoc scribere sine probatione & contra experientiam: quum tamen episcopus *Vintoniensis* hoc mihi dixerit, ego autem verba tantum illius repetam & commemorem, quid ipse mecum per litteras communicarit, & publice scribi iusserit: quo ipso probo illud, quod ita narro. Auctori nostro non satis decorum visum est dicere, quod episcopus meus *Vintoniensis* falsa loquutus sit, adeoque lectori suo persuadere satagit, hanc fabulam esse a me confictam. Dicit autem, id contrarium esse experientiæ, teste casu *Exoniensi*. Quis sit casus ille *Exoniensis*, non satis scio. Si vero intelligit, præsulem *Exoniensem* a reliquis *Angliæ* episcopis dissentire, si id quidem declarare

 præ-

præsul ipse volet, ego quidem nihil habuero, quod contra illud dicam. Interim auctor noster me excusabit, quod ea dixi, quæ dicendi iustam habeo auctoritatem respectu corum, quæ adsero;

ALTERA res, cuius me insimulat *p.4.* est indecentia & inhumanitas in virum doctum HICKESIUM, quod scripsi, me non posse non magnopere mirari, quod tam eruditus tamque acutus ingenio & prudentia homo commentarios illius studiose legerit, nec tamen tantum hallucinationum cumulum in illis animaduerterit. Cuius culpæ veniam publice petere me debere putat, quia HICKESIUS commentarios numquam legerit manuscriptos, in quibus aberrationes istæ admissæ sint. HICKESIUS ipse mihi idem per litteras priuatim significauit meoque iudicio permisit, quomodo huic culpæ satis faciendum ducam. Et statim quidem illi satisfeci confirmando, me numquam vel dixisse vel existimasse, quod commentarios legerit manuscriptos, sed me iuste credidisse, quod eos legerit typis iam excusos, quod ipse non negauit, idque factum anno ante, quam animaduersiones in illos scripsi: quocirca auctorem nostrum satis temporis ad corrigendos illos habuisse putem, si ea de re fuerit factus certior. Ad quæ id responsum tuli, HICKESIUM tantum cursim transiisse commentarios, quemadmodum viri docti legere soleant libros de materiis, quas bene cognitas habent, scriptos. Vt adeo summa culpæ meæ, quam tamquam magnam indecentiam & inhumanitatem exaggerat auctor noster, hæc sit, quod dixi, HICKESIUM commentarios ipsius studiose legisse, quum rem paullo aliter se habere appareat: id quod auctor noster, qui artem callet faciendi ex musca elephantem, magnum crimen vocat. Atque his dictis veniam ab auctore nostro peto imponendi huic scriptioni finem, adhuc semel declarans, vti iterum iterumque feci antea, Quod in omnibus, quæ hac de materia dixi, mihi non fuerit propositum vsurpationes defendere quorumcumque hominum, qui sibi ipsi potestatem baptizandi sumunt, non habentes mandatum & auctoritatem legitimam; sed tantum ostendere, quam putem fuisse disciplinam & morem ecclesiæ catholicæ & ecclesiæ *Anglicanæ*, quæ potestatem habent in disciplina sua definiendi, quibus conditionibus & qua ratione hæreticos & schismaticos (debita forma baptizatos) in communionem suam velint recipere.

DIS-

DISSERTATIO QVARTA,

CONTINENS

ECCLESIAE GALLICANAE APOLOGIAM

PRO

ECCLESIA ANGLICANA:

HOC EST,

OBIECTIONES SCHISMATICORVM ANGLORVM CONTRA ARTICVLOS, HOMILIAS, LITVRGIAM ET CANONES ECCLESIAE ANGLICANAE EX PRINCIPIIS ECCLESIAE REFORMATAE GALLIAE CONFVTATAS.

OPVS PRAECIPVE EX AVTHENTICIS ACTIS ET DECRETIS SYNODORVM NATIONALIVM ATQVE EX PROBATISSIMIS SCRIPTORIBVS ILLIVS ECCLESIAE COLLECTVM.

SVMME REVERENDO

IN CHRISTO

PATRI AC DOMINO,

THOMAE,

ARCHIEPISCOPO CANTVARIENSI,

TOTIVS ANGLIAE PRIMATI

ET

METROPOLITANO,

CETERA.

FELICITATEM!

DOMINE SVMME REVERENDE.



MPLISSIMI consideratione officii & muneris TVI in ecclesia, quod maximam TIBI auctoritatem ac potestatem tribuit praesentem religionis constitutionem defendendi omnibusque honestis studiis & conatibus, ad tuendam illam spectantibus, patrocinandi adductus, ea qua decet animi submissione subsequentem dissertationem TIBI offero, quae modestam doctrinae, cultus, regiminis & disciplinae ecclesiae nostratis vindicationem a praecipuis domesticorum aduersariorum obiectionibus continet illisque ex ecclesiae reformatae Gallicanae principiis respondet. Argumentum, fateor, prope singulare est, quum sint pauci, qui eamdem viam antea calcarint, nullus vero, quod sciam, qui de industria synodos Gallicanas examinauerit eo quidem consilio, vt ecclesiae Anglicanae caussam ex illis defenderet. Spero autem, argumenti insolentiam ei non

non ſolum fraudi non futuram, ſed eorum etiam, quorum ad beneficium & gratiam ſpectat, curioſitatem excitaturam eſſe, vt ad nouam harum materiarum diſquiſitionem animum adiiciant. Sperem etiam, ſi tam mirificam eccleſiæ Gallicanæ & Anglicanæ in præcipuis capitibus controuerſis conſenſionem deprehenderint, ipſos fortaſſis ad deponendas præiudicatas & erroneas opiniones ſuas & ad redeundum ad antiquam communionem inductum iri, a qua (ſi eccleſiæ Gallicanæ iudicem agere licet) ſine ratione fecerunt ſeceſſionem. Cauſſam communionis laicæ non multum vrſi, quia hæc controuerſia fere finita eſſe videtur: quum res confeſſa ſit tam inter aduerſarios ipſos quam in eorum ſcriptis & agendi ratione, certis occaſionibus inita, communionem laicam cum eccleſia Anglicana non eſſe illicitam. Quod autem iam præcipue infauſtam ſeparationem ſuffulcire creditur, difficultas eſt clericalis communionis; hoc eſt, conditiones, quæ ab iis requiruntur, qui in miniſterium cooptandi ſunt. Quare ad eas examinandas in hac diſſertatione omni ſtudio incubui, rebuſque accurate conſtitutis planum feci, quod conditiones communionis clericalis haud difficiliores ſint in eccleſia Anglicana, quam ſunt in eccleſia reformata Galliæ; et quod, ſi aduerſarii opinione & iudicio vel regulis ſyno-

dicis

dicis & disciplina ecclesiæ Gallicanæ stare velint, ipsos oporteat fixis regulis & decretis ecclesiæ Anglicanæ sese submittere finemque adeo facere præsentis schismatis. Damna dissidii ac dissensionis hac tempestate tam magna sunt tamque periculosa, vt cuilibet auctoritatem dare videantur offerendi æqua & placida ratione argumentum, quod ad ea prohibenda faciat. Feci, quod potui, hanc in rem in præsenti dissertatione: adeoque vt dubitare non possim, quin Tu, DOMINE SVMME REVERENDE, id meliorem in partem accepturus sis & approbaturus, ita spem habeo, cum ecclesiæ tum etiam ab illa dissentientibus nostris popularibus in promouendis magnis vnitatis & pacis consiliis, fructuosum futurum. Quæ res vna sola est, quam sibi in hoc labore propositam habuit

SVMME REVERENDAE AMPLITVDINIS TVAE

SERVVS HVMILLIMVS

IOSEPHVS BINGHAMVS.

PRAE-



PRAEFATIO.

PRIMVM ſtimulum ad compilandum hoc opus mihi admouit ad illudque principalem materiarum partem ſubminiſtrauit liber quidam, qui inſcriptus eſt *Synodicon in Gallia Reformata*, ſiue *Acta, Deciſiones, Decreta & Canones conciliorum eccleſiarum Reformatarum in Gallia;* publicatus duobus voluminibus *Londini* MDCXCII. a quodam IOANNE QVICKIO (*), qui ſe vocat miniſtrum euangelii; hoc eſt, vt alibi eſſe ſe fatetur, diſſentientem miniſtrum inter Presbyterianos. Ego ad ſtudioſius inquirendum in haſce ſynodos tanto propenſior fui, quod inſcriptio narrat, vniuerſum librum ex autographis harum ſynodorum actis collectum eſſe & compoſitum;

(*) Integra libri inſcriptio ita habet: Synodicon in Gallia Reformata: *Or,* The Acts, Deciſions, Decrees and Canons of thoſe famous National Councils of the Reformed Churches in *France*. Being I. A moſt faithful and impartial Hiſtory of the Riſe, Growth, Perfection and Decay of the Reformation in that Kingdom, with its fatal *Cataſtrophe* upon the Revocation of the Edict

tanquam opus, quod antea in nulla vmquam lingua editum sit; et in quo multæ expeditæ rationes anteuertendi & sanandi schismata in ecclesiis, nec non redintegrandi diruptum dissociatorum Protestantium corpus contineantur. Existimaui, numquam magis idoneam opportunitatem fuisse ineundi eiusmodi rationes, quam quidem hoc tempore, & si istæ synodi huius generis rationes præbeant, eas probabiliter plus ponderis habituras esse apud dissentientes *Anglos* nostros, maxime apud eos, qui sunt partis *Presbyterianæ*, quam vlla argumenta alia. Quandoquidem 1. ipsimet extraneas ecclesias aduersus ecclesiam *Anglicanam* appellare solent; constitutionem eius, methodos & rationes reformandi reprehendentes, eamque in doctrina, cultu publico, disciplina & regimine ad optimarum reformatarum ecclesiarum exemplum reformari cupientes; quæ ipsissima sollemnis conuenti ac fœderis verba sunt. 2. Quia verisimile est, illos fassuros esse, ecclesiam *Gallicanam* esse

of *Nantes*, in the Year 1685. II. The Confession of Faith and Discipline of those Churches. III. A Collection of Speeches, Letters, Sacred Politicks, Cases of Conscience, and Controversies in Divinity, determined and resolved by those grave Assemblies. IV. Many excellent Expedients for preventing and healing Schisms in the Churches, and for re-uniting the dismembred Body of divided Protestants. V. The Laws, Government and Maintenance of their Colleges, Universities and Ministers, together with their Exercise of Discipline upon delinquent Ministers and Church-membres. VI. A Record of very many illustrious Events of divine Providence relating to these Churches. The whole collected and composed out of Original Manuscript Acts of those Renowned Synods. *A Work never before Extant in any Language*. In two Volumes. By *Iohn Quick*, Minister of the Gospel in *London* 1692.

ex optimis ecclesiis reformatis, eiusque adeo auctoritatem alicuius momenti apud illos futuram. 3. Quia interpres & editor harum synodorum, quum sit (vnus ex ipsis) aperte se ministrum dissentientem professus, illis suspectus esse non potest de rebus in ecclesiæ *Anglicanæ* gratiam inique translatis. Si igitur ex his ipsis synodis, quæ sunt publica & authentica ecclesiæ *Gallicanæ* regula, demonstrari potest, Quod methodi & viæ reformationis in ecclesia *Anglicana* eædem sint, quas ecclesia *Gallicana* inierit, certe iniisset, si potuisset: Quod rationes nostræ præueniendi & sanandi schismata in ecclesia haud sint aliæ, quam quæ in his synodis præscriptæ & imperatæ sunt: Quod articuli nostri & homiliæ haud aliam doctrinam contineant, quam quæ in articulis & homiliis ecclesiæ *Gallicæ* proponitur: Quod obiectiones contra liturgiam & rubricas nostras æque valeant contra liturgiam & officia publica, quæ inter *Gallos* obtinent: et denique, Quod canones nostri res easdem aut tantumdem valentes requirant, quas harum synodorum canones præcipiunt: Si hæc omnia, inquam, aut pleraque ex illis demonstrari possunt, mihi penitus persuasero, prudentes quosque & placidos Non-conformistas hoc ipso adductum iri, vt melius de ecclesia *Anglicana*, propter consensionem eius cum ecclesia reformata *Galliæ*, sentiant.

Istae igitur synodi maximam nobis lucem hac in materia præbent de rebus, quæ vmquam publicatæ sunt,

& euidenter probant, differentiam inter ecclesiam *Gallicanam* & *Anglicanam*, siue principia spectes siue praxin, non esse tantam, quantam quidem nonnulli eam repræsentare dedita opera studuerunt. In plerisque rebus consentiunt, & in quibus ecclesia *Gallicana* a nostrate differt, in illis ipsa ostendit necesse non esse, ecclesiam nostram exemplum ipsius imitari. Nam quibusdam in rebus libere fatetur, nostram ecclesiam se ipsa feliciorem esse & perfectiorem: Et aliis in capitibus, in quibus diuersas consuetudines habet, nostram praxin nihilo magis quam suam ipsius debere damnari; quia vnaquæque ecclesia potestate prædita sit in istiusmodi rebus sibi ipsi præscribendi, nec necesse habeat ad alius cuiusdam ecclesiæ rationes se conformare. Ex quo fundamento ecclesia *Gallicana* non licere statuit ab ecclesia *Anglicana* secessionem facere, non obstantibus diversis illius ritibus, quæ in ecclesia *Gallicana* non inueniantur; aut quibusdam ritibus inter illos, qui apud nos non sint in vsu: Has enim res non esse tanti momenti, vt cuipiam separationem faciendi dent potestatem.

QVAE res si ex *Gallicanæ* ecclesiæ principiis recte & sine partium studio considerentur, multum valebunt ad sanandam nostram dissensionem ac dissidium, & firmiorem inter nos pacem conciliabunt, quam quæ ex vllis aliis methodis exspectari potest; quoad homines tales rerum & prauorum principiorum notiones retinent, quæ ad concordiam & pacem in omni communitate & societate destruen-

destruendam faciunt. Sequentes collectiones ostendent eosdem illos homines, qui in *Anglia* Non-conformistæ sunt & ab ecclesia nostra dissident, oportuisse esse Non-conformistas in ecclesia *Gallicana*, si illic vixissent & ex iisdem rationibus & principiis egissent, ex quibus contra ecclesiam *Anglicanam* agunt. Quare par est credant, operæ pretium esse, vt considerent, quæ hic dicuntur, ne ex eiusmodi principiis agant, quæ, si directe ea sequantur, ipsis ab omnibus omnino ecclesiis, a pontificiis superstitionibus repurgatis, secedendi imponant necessitatem. Ecclesia *Gallica*, ipsismet fatentibus aduersariis, vna est de optimis ecclesiis reformatis, & hæ synodi nationales sunt iustissima auctoritas ecclesiæ *Gallicæ*: ita vt, si istæ synodi eam rationem agendi, qua vtitur ecclesia *Anglicana*, comprobent illiusque vindicent constitutionem, ipsos dissentientes *Anglos* nostros oporteat fateri, habere eam pro se quamdam ex optimis auctoritatibus, qua vlla ecclesia gloriari possit. Quæ consideratio quantum ponderis apud animos eorum habitura sit, ipsis eorum conscientiis determinandum relinquo.

Qvod ad me attinet, omni adseueratione adfirmare possum, me nihil in hac dissertatione spectasse nisi veritatem & pacem. Ego ex pacificis & fidelibus *Israelis* sum. Omnia mea pro *dissentientibus* popularibus in *vnam communionem* reconciliandis deuouere facile possem; non possum autem veritatem vlli emolumento aut consilio, si vel maxime

xime pacificum fuerit, deuouere, quin alteram characteris partem deperdam, quod ſim fidelis. In *diſpenſatoribus* requiritur, vt quis fidelis comperiatur; & huic officio meo tam in generali harum collectionum ſcopo, quam in ſpeciali earum vſu & applicatione me ſatis feciſſe confido. Conſcius mihi non ſum, me locum aliquem vel perperam adduxiſſe vel ad deteriorem vſum applicaſſe. In citandis ſynodis, quam fieri potuit, interpretationi IOANNIS QVICKII præciſe adhæſi, & quod ad alios ſcriptores *Gallicanos* attinet, quos adhibui, eorum verba ex auctoribus ipſis & in eorum quidem ſenſu, quantum pro intelligentia mea potui, produxi. De induſtria etiam omnia, quæ ad reprehenſionem perſonarum pertinent, vitaui verba faciens de aduerſariis; nec vnquam indolem ſed argumenta duntaxat eorum & cauſſam proſequutus ſum. Præcipuus adverſarius, a quo obiectiones adſumſi illiſque ex principiis & rationibus eccleſiæ *Gallicanæ* reſpondi, RICHARDVS BAXTERVS eſt in quodam ex vltimis eius libris, qui inſcribitur *Engliſh Non-conformity*, hoc eſt, *Non-conformitas Anglicana, ſub Carolo II. & Iacobo II. regibus ſtabilita & diſputata, 4to, Londini MDCLXXXIX.* quo in libro præcipuas rationes, cur ritus eccleſiæ *Anglicanæ* aduerſentur, in ſummam coëgit. Ad has ego reſpondeo vel ex ſynodis, vel maxime approbatis ſcriptoribus *Gallicanis*, prout ſubiectæ materiæ ratio poſtulat; quibus quum pro eo ac par eſt ſatisfeci, ſi quæ ſunt aliæ obiectiones, quibus in hoc

libro

[redacted] non eſt, ex ſpecimine, quod dedi, facile [redacted], quod facilis & expedita earum ſit ex iis- [redacted] reſolutio, & quod amplioris diſquiſitionis [redacted] eſſe poſſint, perinde vt homines dubiis ſuis porro [redacted] voluerint.


[redacted] Deum ex animo precor, vt omnibus [redacted] ſobrias inſpiret cogitationes & conſideratio- [redacted] tempore percipiant, quo diſſidia [redacted] rex aliquando de eccleſia [redacted] dixit, diſſenſionis ſcintillis inflammati in eiuſmo- [redacted] ruamus, quod nos conſumat vniuerſos. Eſt [redacted] hoſtis, qui ex hiſce noſtris diſſidiis emolumentum [redacted] & fortaſſis clandeſtine eos ſollicitat & inſtigat, qui [redacted] nomen & profeſſionem religionis proteſtantis ge- [redacted] oderunt.

Si dixeris, communis ſalutis eccleſiæ *Anglicanæ* non minus quam eorum, qui ab illa diſſentiunt, intereſſe, huic periculo obuiam ire; facile id largior, & aio, non eſſe eum fidum eccleſiæ membrum nec fidum Proteſtantem, qui eam in rem non omni ſua cura, opera & diligentia incumbat; non poſſum tamen exiſtimare, veram rationem præueniendi damnum eſſe eam, vt aduerſariis ea concedantur, quæ præſentem eccleſiæ conſtitutionem concutere poſſent atque euertere; ſed vt illi ad vnionem inuitentur illis principiis & rationibus, quæ omnibus eccleſiis, a pontificiis erroribus repurgatis, ſunt communes.

nes. Eiuſmodi enim principia & rationes ſine vlla dubitatione ſunt maxime accommodata & tutiſſima methodus nos coniungendi & aduerſus communem hoſtem tuendi, adeoque non tantum æquiſſima ſed etiam opportuniſſima methodus: Et hæc ſola principia ſunt, quibus in hac diſſertatione inſtiti.

Qvod ſi vnio hac ratione conciliari aliquando poſſet, aut certe honeſtus quidam conatus & voluntatum inclinatio ad eam foret, tunc forte conueniet, noſtras ſynodos eccleſiaſticas pro ſua ſapientia conſiderare (ſi libere & ſine detrimento conſtitutionis id fieri liceat), an dentur obſoletæ quædam vel formulæ, vel locutiones, vel rubricæ, vel regulæ & canones, qui ad hodiernum eccleſiæ ſtatum & rationes melius aptari poſſent. Verum vt hæc res ad me non pertinet, ita ei me non immiſceo, ſed noſtrorum antiſtitum legitime congregatorum & ſatis idonea auctoritate tanti momenti negotium tractandi inſtructorum, ſapientiæ & prudentiæ eam relinquo.

SYN-



SYNOPSIS.

LIBER PRIMVS.

De generalibus regulis & viis conseruandæ vnitatis & pacis in ecclesia: vbi ostenditur, ecclesiam *Gallicanam* eamdem rationem hunc in fi neminire, quam ineat ecclesia *Anglicana.*

LIBER SECVNDVS.

Obiectiones contra articulos & homilias ecclesiæ *Anglicanæ* consideratæ & ex principiis & praxi ecclesiæ reformatæ *Galliæ* confutatæ.

CA-

CA-

CA-


CATALOGVS

Synodorum nationalium ecclesiæ reformatæ Galliæ.

I.	Parisiensis *prima* habita anno Domini	1559
II.	Pictauiensis	1560
III.	Aurelianensis	1562
IV.	Lugdunensis	1563
V.	Parisiensis *secunda*	1565
VI.	Vertuelensis	1567
VII.	Rupellana *prima*	1571
VIII.	Nemaucensis	1572
IX.	Apud S. Fidei	1578
X.	Figeacensis	1579
XI.	Rupellana *secunda*	1581
XII.	Vitriacensis *prima*	1583
XIII.	Montalbanensis	1594
XIV.	Salmuriensis	1596
XV.	Monspeliensis	1598
XVI.	Gregoliensis	1601
XVII.	Vapincensis	1603
XVIII.	Rupellana *tertia*	1607
XIX.	Apud S. Maxentii	1609
XX.	Priuatiensis	1612
XXI.	Tonniniensis	1614
XXII.	Vitriacensis *secunda*	1617
XXIII.	Alesiensis	1620
XXIV.	Carentoniensis *prima*	1623
XXV.	Castrensis	1626
XXVI.	Carentoniensis *secunda*	1631
XXVII.	Alenconiensis	1637
XXIIX.	Carentoniensis *tertia*	1645
XXIX.	Iuliodunensis	1659

Infra in indice denuo occurrunt istæ synodi, ordine alphabetico dispositæ, cum adscriptis paginis, ad quas in hoc opere sunt citatæ.

ECCLE-



ECCLESIAE GALLICANAE APOLOGIA PRO ECCLESIA ANGLICANA.

LIBER PRIMVS

DE GENERALIBVS REGVLIS ET VIIS CONSERVANDAE VNITATIS ET PACIS IN ECCLESIA: VBI OSTENDITVR, ECCLESIAM GALLICANAM EAMDEM RATIONEM HVNC IN FINEM INIRE, QVAM INEAT ECCLESIA ANGLICANA.

CAPVT PRIMVM

De vſu & commoditate ſynodorum eccleſiaſticarum ad conſeruandam vnitatem & pacem eccleſiæ, et de contrariis *Latitudinariorum* & *Independentium* principiis, ab eccleſia *Gallicana* damnatis.

QVANDO de vnitate & pace eccleſiæ generatim loquimur, nulli ſunt eorum, qui chriſtianos ſeſe appellant, cuiuscumque denominationis fuerint, quin facile agnoſcant, cum ſe ipſos tum alios oportere tueri *ſpiritus vnitatem pacis vinculo:* Vbi autem ad ſpecialiorem diſquiſitionem deſcendimus de aptis mediis & rationibus con-

ſeruandæ huius vnitatis, ſtatim differentia oritur, et homines mirum in modum opinionibus inter ſe diſſident.

Ecclesia *Anglicana*, vti ex conſtitutione & praxi illius apparet, generatim credidit, liberum ſynodorum eccleſiaſticarum vſum eſſe vnam aliquam commodam conſeruandæ pacis viam. Alia via credita fuit obligatio, vel ex regiis edictis, vel canonibus, vel actis vniformitatis oriunda. Tertia quædam, ſubſcriptionis & iurisiurandi in certis caſibus requiſitio. Quarta aliqua, irrogatio cenſuræ & ſilentii impoſitio Nonconformiſtis facienda, nec non ſeparatorum conuentuum interdictio. Quinta, Separatiſtarum excluſio a fortuitæ ſiue ſic dictæ occaſionalis communionis priuilegio: cum aliis quibusdam eiusdem generis.

Iam autem iſtæ viæ tanquam arbitrariæ & tyrannicæ agendi rationes in eccleſia ab illis infamantur, qui diuerſas ab ea opiniones fouent vel diuerſis ſeruiunt commodis, ac ſi iſtæ methodi nihil ſint niſi mera iurium ac priuilegiorum *Anglorum* violatio et ſingularis eccleſiæ *Anglicanæ* ludificatio, cui ſimilis ſub ſole non exſiſtat. Enimuero ſi oſtendere poſſumus, haſce methodos eccleſiæ *Anglicanæ* non eſſe adeo peculiares & proprias, quin eædem methodi in eccleſia reformata *Galliæ* nullo non tempore accuratiſſime obſeruatæ ſint & adhibitæ; tum ſaltem culpa ſingularis & a communi vſu alienæ rationis agendi euaneſcet, et vel eccleſia *Anglicana* approbabitur, vel eccleſia *Gallica* eiusdem rei culpam ſuſtinebit. Praxin igitur vnius cum praxi alterius eccleſiæ circa hæc capita in hoc libro comparabo, initium facturus a libero eccleſiaſticarum ſynodorum vſu, quæ prima conſeruandæ vnitatis ratio eſt.

Svnt, qui omnem poteſtatem eccleſiaſticam ad conuenticula [*] reuocant, nec ſolum ſynodorum auctoritatem in dirimendis fidei controuerſiis negant, ſed ipſam etiam earum poteſtatem quidquam decernendi, quod ad externum ordinem & diſciplinam attinet. Hanc duco profeſſam Independentium doctrinam eſſe. Alii

(*) Ita reddidi verba Cl. Binghami *Congregational Aſſemblies*, tametſi ſic non ſatis plane exprimantur. Melius & aptius vocabulum non ſuccurrit. Congregationes Independentium intelligi, ex proxime ſequentibus apparet: quorum ſecta lingua Anglicana appellari alias quoque ſolet, *The Congregational Perſuaſion* Gr.

dicunt,

dicunt, synodos simpliciter illicitas censendas non esse; manifestum tamen ex callida eorum insinuatione est, quod ipsis animus sit hoc significare. Aiunt enim, *merito dubitari posse, an vmquam tam felicia fuerint ecclesiæ tempora, vt omnia, quæ in vere christiana synodo requiruntur, in vlla synodo obseruata sint, præterquam in illa apostolorum; ac proinde, annon per synodos plus mali quam boni inuectum sit in ecclesiam: quemadmodum omnium synodorum historia clare doceat: Ac proinde, an non melius consultum fuisset ecclesiæ, si nulla vmquam synodus ad decisionem dogmatum fidei conuocata fuisset.*" Ita PHILIPPVS A LIMBORCH [*a*] & alii, qui laxa eius principia sequuntur, non alio consilio, quam vt errores suos, istam auctoritatem, quæ illos omnium optime reprimere posse videtur, eneruando & dedecorando, stabiliant.

NEGOTIVM mihi in præsentiarum non est cum hoc vel vllo alio theologo extraneo; quamquam facere non potui, quin huius loci ὡς ἐν παρόδῳ iniicerem mentionem; et forte magis idoneam manum ad caput, quod de synodis conscripsit, examinandum falsasque eius rationes detegendas prouocare poterit. Quibuscum solis mihi heic res est, sunt illi inter nos ipsos, qui ecclesiam *Anglicanam* vsurpationis accusant, eo quod potestate sua synodali tamquam pacis suæ conseruandæ remedio vtitur. Quod si vero hoc crimen est, ecclesia *Gallica* multo magis hoc nomine reprehendenda est, quæ synodos suas in præcipuis remediis vnionis & concordiæ contra hæreses & schismata ponit; et principia Independentiæ, quæ ad supplantandam earum auctoritatem tendunt, diserte damnat. Liber eorum, qui disciplina vocatur, (ad quem obseruandum omnes ministros subscriptione & iureiurando teneri ostendam) hunc habet canonem [*b*], *Oportet ecclesias institui, conuentus ecclesiasticos colloquiorum & synodorum tam prouincialium quam nationalium vincula & fulcra esse con-*

(*a*) Limborch. theol. christian. lib. VII. cap. XIX. n. IV.

(*b*) Disciplin. eccles. Gallic. cap. VI. art. V. Not. Hic liber lingua *Gallica* scriptus est ab origine. Cl. autem *Binghamus* non videtur habuisse editionem aliquam *Gallicam*, vbique enim sequutus est editionem *Anglicam Io. Quickii*: Ego vtramque vtplurimum inspexi, & si quam alicuius momenti differentiam animaduerti, verba *Gallicana*, non *Anglicana*, interpretatus sum. *Gr.*

cordiæ & vnionis contra ſchiſmata, hæreſes & reliqua incommoda omnia: vt ita officio ſuo in ineunda ratione continuandi & ſuſtinendi hosce conuentus eccleſiaſticos ſatisfaciant.

IPSA *Gallorum* praxis demonſtrat, quid de vtilitate horum conuentuum ſenſerint. Nam non minus vndetriginta ſynodos nationales intra centum annorum decurſum habuerunt, præter ſynodos prouinciales, quotannis in ſingulis prouinciis celebratas, in quibus appellationes factæ, omnes cauſſæ auditæ, controuerſiæ deciſæ, ſchiſmata & hæreſes naſcentes extinctæ, et regulæ ac canones neceſſarii pro ſalute & regimine eccleſiæ conditi.

QVOD ad contraria Independentium principia attinet, nemo maiori zelo in illa declamitare poteſt, quam quidem priuati eorum ſcriptores & publicæ ſynodi declamitant. IOANNES DALLAEVS in reſponſione ſua ad ADAMI Ieſuitæ & COTTIBII apoſtatæ calumnias occaſionem nactus de illis nominatim loquendi, ait, *Secta noua ſunt in omni memoria patrum & noſtra omnino inaudita, quorum pernicioſa dogmata multi ex noſtris ſcriptoribus publice confutarunt; vt quæ ſunt eiuſmodi, quæ vniuerſum cum eccleſiarum noſtrarum tum regnorum & rerumpublicarum in mundo ordinem ſubuerſum eunt.*

IN titulo etiam capitis ait: *Notamur & vituperamur, quod ſolio deturbemus & occidamus reges, iuſtitiæ quidem ſpecie: Sed reſpondemus, non niſi per calumniam ea dici a Cottibio, qui nobis actionem quorumdam hominum factioſorum in Anglia imputat, quæ ad nos haud pertinet; et qui religionis etiam ſunt, quam nos nullo modo agnoſcimus.* [c]

EX quibus apparet, *Gallos* non ſolum hæc ſtata Independentium principia, quibus ad adferendam regi necem ſub ſpecie iuſtitiæ adducti ſunt, ſed etiam principia eorum anti-ſynodica, quæ ad inducendam in eccleſiam perturbationem & confuſionem ſpectant, improbare.

REM ita ſe habere, adhuc euidentius liquet ex diſerto quodam totius eccleſiæ *Gallicæ* canone, contra Independentes in ſynodo *Carentonienſi* tertia ad an. M DC XLIV. habita, nominatim

(c) Dall. Replique à Meſſieurs *Adam* & *Cottiby* Par. II. c. XXI. p. 127.

facto,

facto, simul ac nomen illud eis innotuisset. *Quum per certos quosdam, ex prouinciis maritimis delegatos, rumor ad nos perlatus sit, quod illuc ex peregrinis regionibus certi homines nauibus appellant, qui nomine Independentium veniant, atque ita vocentur, quod doceant, quamlibet ecclesiam particularem suis ipsius legibus gubernari nec vlli homini, quicunque demum is fuerit, in rebus ecclesiasticis subiici aut auctoritatem colloquiorum vel synodorum in rebus disciplinae & ordinis agnoscere debere; et quod domicilia in hoc regno figant: (res sane maxime periculosa & lubrica, nisi in tempore & caute ei occurratur.) Hic conuentus verendum credens, ne huius veneni contagium sensim serpat & magnam nobis multiplicemque confusionem secum importet; et existimans, dictam Independentismi sectam non tantum esse ecclesiae DEI perniciosam, (quia quantum in ea situm est, confusionem introducit & omnis generis morositati, legum contemtui et insulsitati ianuam aperit; vsumque remediorum ad haec mala anteuertenda efficacium excludit) sed ciuili etiam statui periculosam: si enim inualesceret & firmitatem inter nos acquireret, tot religiones pareret, quot sunt apud nos parochiae & particulares ac distincti coetus: hinc omnes prouincias, in primis eas, quae mari proxime adiacent, iubemus diligentissime prouidere, ne hoc malum in hoc regno radicem agat; vt ita pax & vniformitas in religione & disciplina inuiolata seruetur, nec quidquam inter nos innouetur aut mutetur, quod officio, quod DEO & regi debemus, vllo modo possit derogare.* [d]

(d) Synod. Carentonienſ III. cap. XII. artic. XIII. (In edit. Gallic. apud *Ioan. Aymonium* tom. II. p. 678.) Not. Cl. *Binghamus* in citandis synodis *Gallicis* itidem adhibuit editionem *Quickii Anglicanam*, vti ipse fatetur in antecedente praefatione pag. 398. Neque tunc temporis in vlla alia lingua synodorum actus exstiterunt, quemadmodum in titulo editionis suae narrat *Quickius*. Postea vero, anno videlicet MDCCX, editio *Gallica* prodiit *Hagae Comitum* voll. duobus in forma, quam vocant, quarta, auctore *Ioanne Aymonio*, theologo & iurisconsulto reformato. Hanc editionem itidem cum *Anglicana* contuli, & in transscribendis atque interpretandis synodorum verbis eamdem, quam in libro *la discipline des eglises reformées de France*, inii rationem tomumque simul & paginam, vbi citata verba apud *Aymonium* inueniuntur, adnotaui: vt lectores, qui *Gallicam* editionem inspicere volent, eo facilius reperire possent. Saepissime enim capita & numeri in editione *Gallicana* ab illis in *Anglicana* multum differunt. Gr.

LIBRI PRIMI
CAPVT SECVNDVM
Vniformitatem ab ecclesia *Gallica* non minus requiri quam ab ecclesia *Anglica*.

EX anteccedente canone *Carentoniensi* apparet, inter alias rationes, quas contra Independentismum adsignat synodus, hanc non esse minimam, quod probabile sit, cum ecclesiam in diuersas sectas distracturum pacem que & vniformitatem in religione & disciplina destructurum, quam in vnaquaque ecclesia nationali seruandam esse dicit. Et hæc vna sola res satis idonea esset ad reddendum nobis iudicium reformatorum *Gallorum* de hoc capite, An non rectoribus alicuius ecclesiæ liceat vniformitatem in diuino cultu exigere ab omnibus, qui membra illius se esse profitentur? Præter hoc autem, quod obiter tantum in hoc canone contra Independentes pronuntiatur, synodi crebræ & copiosæ sunt in inculcanda & requirenda tam a ministris quam a populo in omnibus ecclesiis vniformitate.

HANC in rem canonem inuenimus in synodo *Aurelianensi* ann. MDLXII habita, *Quum frater noster, minister Varennensis in Piccardia, singulis mensibus cœnam dominicam administrare soleat, synodus fratrem nostrum Moutmeiensem hortatur, vt eum nomine synodi admoneat, vt generalem ecclesiarum nostrarum consuetudinem sequatur; ne qua diuersitas inter nos sit, sed vniformitas conseruetur* [e]. Tantam vniformitatis rationem videntur habuisse, vt singularem aliquam consuetudinem, etiam in re bona, nimirum in menstrua cœnæ dominicæ celebratione, ei cedere oportere crediderint: quod aliquanto plus est, quam ad quod requirendum ecclesia *Anglicana* auctoritate sua vmquam vsa est.

SYNODVS *Vapincensis* secunda ad ann. MDCIII omnes ecclesias vna eademque forma in ordinatione ministrorum suorum vti iubet; [f] *Ecclesiæ*, inquiens *vnam eamdemque formam in*

(e) Synod. Aurelian. cap. IX. art. IV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 29.)
(f) Synod. Vapinc. II. cap. III. art. II. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 259.)

impo-

impositione manuum obseruent, ad quam recipiendam pastor ordinandus, durante ista actione genibus prouolui debet. cetera.

ARTICVLO quarto & quinto eiusdem capitis omnibus euangelii prædicatoribus sacri muneris administrandi interdictionem minitantur, qui ad præscriptum de concionando & catechisando ordinem sese conformare recusauerint.

SYNODVS apud *S. Maxentii* ann. MDCIX celebrata diuersa decreta eiusdem argumenti habet. Cuiusmodi est illud [g]: *Quum a delegatis ex inferiore Languedocia facti simus certiores, disparem rationem eligendi, examinandi & ordinandi pastores in diuersis prouinciis vsitatam, plurima incommoda inuexisse: hæc synodus maxime necessarium esse iudicat, expressum canonem condere, ab omnibus omnino prouinciis accurate & vniformiter obseruandum.* Quocirca canonem faciebant, qui ibi recitatur & corpori ecclesiastico disciplinæ [h] eorum insertus est, quem se obseruare velle omnes iure iurando promittere iubentur.

EADEM synodus formulam precum in ordinatione recitandarum præscribit; et in conclusione omnium addit: [i] *Hic canon ab omnibus prouinciis vnanimiter obseruandus est.*

ITA rursus de diuersis aliis materiis præcipiens sic concludit; [k] *Prouinciæ, quæ secus agunt, in posterum ad hoc præscriptum sese conformare iubentur.*

SPECIATIM de sacramento cœnæ dominicæ: *Vt* [l] *in posterum omnes ecclesiæ huius regni in cœnæ dominicæ administratione alia ad aliam sese conforment sine vlla differentia, quæ scrupulos infirmioribus, qui ipsi sacram actionem a circumstantiis eius distinguere nequeunt, creare possunt: vniuersis pastoribus præcipimus, vt, obseruata simplicitate, ab omnibus nouis & priuatis suis rationibus se abstineant; cuiusmodi est verborum institutionis recitatio inter ordinarias illas & longas preces huic sacramento speciatim præscriptas, quæ postea quidem legi oportet. Nec panem & vi-*

(g) Synod. ap. S. Maxentii cap. III. artic. I. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 357.)
(h) Discipl. ecclef. Gallic. cap. I. artic. IV. V.
(i) Synod. ap. S. Maxent. cap. III. artic. IV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 358.)
(k) Ibid. cap. III. artic. VIII. (Ap. *Aymon.* ibid. p. 359.)
(l) Ibid. cap. VI. artic. XIV. (Ap. *Aymon.* p. 375.)

num

num detegant, dum verba legunt institutionis, nec populum ex ordine adducant ad mensam, vt ibi stent aut consideant, sed illos ad eam sigillatim accedere iubeant: nec calicem tradant fideles alter alteri; quippe quod cum expressa littera canonis cuiusdam disciplinæ nostræ pugnat, qui a pastoribus eum dari iubet. cetera.

SVNT hi pauci quidam ex istis canonibus, qui expressis verbis vniformitatem in ecclesiis *Galliæ* requirunt: transcribere autem me oporteret vniuersam eorum doctrinam, disciplinam, liturgiam & canones non minus vndetriginta synodorum, si omnes in medium producere vellem, qui sub hoc capite ex illis adferri possent. Nam singuli canones & constitutiones auctoritatem spirant & submissionem requirunt atque obedientiam tam in ministris quam in populo, præstandam iis omnibus, quæ per eos præscribuntur; quemadmodum vnusquisque, qui eos legerit, facile percipiet.

LIBRI PRIMI.

CAPVT TERTIVM

Subscriptionem & iusiurandum in ecclesia *Gallica* magis quam in *Anglica* requiri.

DE ministris in specie hoc mihi porro obseruandum est, illos ad conformitatem & vniformitatem non sola synodorum & canonum auctoritate adigi, sed subscriptione etiam & iureiurando, quod omnes ac singuli sub ingressum in ministerium iurant & varia occasione in synodicis conuentibus suis sæpius repetunt, obstringi.

CANON quidam in libro disciplinæ sic habet: *Nostri* [m] *confessioni fidei & disciplinæ ecclesiasticæ subscribere debent, qui in ministerium cooptantur, tam in illis ecclesiis, in quibus ordinantur, quam in istis, ad quas mittuntur.*

IDEM requiritur per canones synodorum nationalium *Aurelianensis* MDLXII. [n], *Rupellanæ* MDLXXXI. [o] & *Priuatiensis* MDCXII. [p]

(m) Discipl. ecclef. Gallic. cap. I. artic. IX & XXI.
(n) Synod. Aurel. cap. II. artic. II. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 23. 24.)
(o) Syn. Rupell. II. cap. III. art. V. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 101.)
(p) Syn. Priuat. cap. IV. artic. II. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 399. artic. I.)

EXIGI-

EXIGITUR etiam ab omnibus rectoribus & magiſtris ſcholarum in libro *diſciplinæ* [q] & in ſynodo *Aleſienſi* MDCXX.[r]

IDEM ab omnibus doctoribus & profeſſoribus theologiæ in academiis requiritur. Vid. infra in margine [s].

OMNES presbyteros & diaconos oportet eamdem ſubſcriptionem dare in ordinatione ſua ſecundum ſynod. *Vertuel.* MDLXVII. [t]

ET certis in caſibus ab hominibus priuatis requirebatur, vt ex canone quodam apparet ſynodi *Aleſienſis* M D CXX. in qua quum quæſtio proponeretur: *Num quis fidelis, qui numquam vocatus ſit ad officium ſenioris, verbum Dei, communes preces, abſentibus paſtoribus, more rato legere poſſit, maxime in minoribus eccleſiis, vbi in conſiſtoriis non habeant homines, ad hanc lectionem & ad has preces idoneos?* Synodus respondebat, *Conſiſtorium plenam habere poteſtatem eligendi quempiam, quem ad legendas ſcripturas & preces accommodatiſſimum exiſtimet, etiamſi non fuerit in ordine ſeniorum; dummodo maturæ ſit ætatis ac vitæ inculpatæ & ſubſcripſerit confeſſioni fidei & diſciplinæ eccleſiaſticæ* [u].

IN ſynodis autem nationalibus moris erat delegatorum ex prouinciis, vt non ſolum confeſſioni fidei & diſciplinæ eccleſiaſticæ ſubſcriberent, ſed ius iurandum etiam adderent. Ita in ſynodo *Salmurienſi* MDXCVI. [w] *Confeſſione fidei lecta omnes delegati & reliqui in hac ſynodo præſentes iure iurando promiſerunt, ſe ab ea numquam diſceſſuros. Quum eccleſiæ noſtræ diſciplina le-*

(q) Diſcipl. eccleſ. Gall. cap. II. artic. II.

(r) Synod. Aleſ. cap. V. artic. XI. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 149.)

(s) Diſcipl. eccleſ. Gall. cap. II. art. III. Synod. Nemauc. ann. MDLXXII. cap. III. art. XV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 115.) Synod. Vapinc. MDCIII. cap. III. artic. VII. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 160.)

(t) Synod. Vertueil. cap. III. artic. XVII. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 76, art. XXVIII.)

Not. Hæc ſynodus nationalis gallice dicitur *Tenu à Vertueil, en Angoumois.* Nomen eius Latinum reperire nuſquam potui. Conſului etiam vnum & alterum e doctis Gallis, qui apud nos degunt, ſed fruſtra. Retinui ergo ipſum nomen Gallicum. *Gr.*

Diſcipl. eccl. Gall. cap. III. art. I.

(u) Synod. Aleſ. cap. V. art. XII. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 149.)

(w) Synod. Salmur. cap. II, artic. I. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 196.)

cta esset, omnes delegati eam approbarunt, & iureiurando se eam diligentissime obseruaturos receperunt. [x]

Ita rursus in synodo *Gergoliensi* M DCI. [y] *Confessione fidei lecta omnes pastores & presbyteri vna voce & mente vna adseverarunt, se in dicta confessione & viuere & mori velle.* Et iterum: *Pastores & presbyteri, ex prouinciis ad hunc conuentum delegati, iurarunt & adfirmate promiserunt nomine prouinciarum suarum, se effecturos, quantum in sua situm sit potestate, vt disciplina ab hac synodo praescripta obseruetur.* [z]

In synodo secunda *Vitriacensi* an. M DCXVII habita, *Confessio fidei ecclesiarum in regno a principio vsque ad finem ad verbum lecta & approbata in omnibus articulis ab omnibus delegatis cum pro se ipsis tum pro prouinciis suis, a quibus missi sunt; et omnes iurarunt, se eam docturos & praedicaturos esse; eo quod illam cum verbo Dei perfecte congruere crederent; et omni cura & studio prouisuros, vt sicut factum sit, ita semper in ecclesiis & prouinciis suis recipiatur & doceatur.* [a]

Similis subscriptionis & iuris iurandi formula in plerisque aliis synodis nationalibus occurrit. Vt in illis apud *Rupellam* an. MDLXIII; *Vapincum* ann. MDCIII; apud *Sancti Maxentii*, an. MDCIX; *Tonninium* an. MDCXIV; *Alesium*, an. MDCXX; *Carentonium*, an. MDCXXIII; *Castrum*, an. MDCXXVI; *Alencouium*, an. MDCXXXVI; et *Iuliodunum*, an. MDCLIX celebratis.

Porro obseruo, eos non solum subscribere libro articulorum & disciplinae, sed promittere etiam, se approbaturos synodorum suarum nationalium decreta & decisiones iisque sese submissuros, antequam fiant. Nam litterae, quas prouinciae suis quaeque vicariis dant, quum nomine suo eos mittunt, synodo nationali reddendas, semper promissum continent, se decretis synodi consentire atque obtemperare velle. Itaque quum in synodo *Rupellana* secunda an. MDCVII [b] in litteris, quas certarum prouin-

(x) Syn. Salm. cap. III. Not. In edit. Gall. ap. *Aymon.* haec non habentur.
(y) Syn. Gergol. cap. II. artic. II. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 235.)
(z) Ibid. cap. III. artic. L. (Ap. *Aymon.* p. 240. num. XLV.)
(a) Syn. Vitriac. II. cap. I I. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 85. n. XXVI.)
(b) Syn. Rupell. II. cap. I. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 299. num. XIX.)

ciarum

ciarum delegati synodo reddiderant, hoc caput omissum esse obseruaretur, quo approbationem & obtemperationem decretis & dicisionibus synodi promitterent; admonebantur, vt ne omitterent inposterum. Eadem admonitio facta legitur in synodo *Tonniniensi* an. MDCXIV. [*c*] Et vt omnes controuersiæ, quæ de diversa hanc formulam submissionis exprimendi ratione suboriri possent, præciderentur, synodus secunda *Vitriacensis* an. MDCXVII consensit de accurata quadam verborum formula, in litteris, quas singulæ prouinciæ nuntiis ad fidem illis faciendam darent, interponenda in hanc sententiam: *Promittimus* [*d*] *in conspectu DEI, nos illis omnibus, quæ in sancto vestro consessu concludentur & determinabuntur, nosmet esse submissuros, & omnibus viribus elaboraturos, vt ea faciamus & exsequamur: quandoquidem futurum plane confidimus, vt DEVS vobis præsideat, & per SPIRITVM suum SANCTVM ad verbi sui normam vos ducat in omnem veritatem & æquitatem, ad ecclesiæ suæ salutem & ædificationem*, cetera. Quæ formula in proxima synodo nationali *Alesiensi* MDCXX [*e*] requisita & omnino expetita, nec ab vlla vmquam posterioris æui synodo abolita & rescissa est. Iam vero talem subscriptionis & iurisiurandi formulam in ecclesia *Anglicana* vmquam requisitam esse, vix ostendi poterit.

NEQVE vero hæc subscriptionis & iurisiurandi genera omnia sunt, quæ in ecclesia *Gallia* requiri consueuerunt. Nam præterquam quod suæ ipsorum liturgiæ, confessioni fidei, canonibus & disciplinæ subscriberent; decretis etiam synodi *Dordracenæ* ex duorum magnorum conciliorum nationalium, *Alesiensis* & *Carentoniensis*, mandato subscribere debebant. Iurisiurandi formula, vti a synodo *Alesiensi* MDCXX præscribitur, sic habet: *Ego N. N.* [*f*] *iuro & adseuero in conspectu DEI & huius sancti conventus, me recipere, approbare & amplecti omnes doctrinas, propositas & decisas a synodo Dordracena, vtpote perfecte congruentes cum verbo Dei & ecclesiarum nostrarum confessione. Iuro &*

(*c*) Synod. Tonnin. cap. II. artic. I. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 4.)
(*d*) Syn. Vitriac. II. cap. II. art. I. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 81. artic. XX.)
(*e*) Syn. Alef. cap. I. artic. XVII. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 140.)
(*f*) Ibid. cap. XII. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 145.)

promitto, me in harum doctrinarum professione per omnem vitam perseueraturum eamque pro virili parte defensurum, nec ab ea vmquam vel prædicando vel docendo vel scribendo recessurum esse. Declaro etiam, me damnare doctrinam Arminianorum, quia facit, vt diuina decreta electionis a mutabili hominum voluntate dependeant. Cetera. *Reducit in ecclesiam Dei olim eiectum Pelagianismum & larva ac simulacrum est Papismi sub hac inducta persona inter nos irrepere gestientis, omnemque vitæ æternæ fiduciam subuertit. Atque ita me DEVS iuuet & mihi propitius sit, iuro hæc omnia sine vlla ambiguitate, æquiuocatione & restrictione mentali.*

PROXIMA synodus *Carentoniensis* MDCXXIII idem illud ius iurandum exigit, tantum cum hoc discrimine, vt quum per delegatum regis admoniti essent, displicere ipsi, [*g*] quempiam ex imperio suo subiectis ad iurandum in decreta adigi, facta *Dordraci*, quæ ciuitas sit in extraneæ reipublicæ territorio sita; rem ita instituerunt, vt ius iurandum in nouam formam conuersum daretur, nulla vel ciuitatis vel synodi *Dordracenæ* mentione aut ratione habita. Quo facto corpus canonum & decretorum ex nonaginta tribus articulis, decreta *Dordracena* explanantibus & confirmantibus, constans componebant; non tamen vt decreta *Dordracena*, sed vt doctrinam ecclesiæ *Gallicanæ*, in præsenti synodo stabilitam & ab omnibus ecclesiis & academiis huius regni inuiolate obseruandam. Cuius in fine forma subscriptionis & iurisiurandi, ab omnibus delegatis in synodo præsentibus dari, habetur huiusmodi: *Nos pastores & presbyteri, quorum nomina heic subscripta sunt, ab ecclesiis reformatis Galliæ, ad synodum nationalem Carentoniensem delegati, declaramus, quam possumus sincerissime, articulos & canones supra memoratos verbo DEI niti & cum confessione fidei, in ecclesiis reformatis huius regni agnita & recepta, congruere; a quibus, in Dei conspectu adseueramus, nos per gratiam eius numquam discessuros esse.* [*h*]

INSEQVVTIS temporibus negotium subscriptionis & iurisiurandi magis cumulatum est & multiplicatum. Nam per actionem aliquam synodi *Carentoniensis* tertiæ MDCXLV omnes

(*g*) Synod. Carent. I. cap. XIV. art. II. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 163.)

(*h*) Ibid. in synodic. Quickii tom. II. p. 151. can. X. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 322. num. IX.)

ordi-

ordinandi ad fubfcribendum [i] confeffioni fidei, liturgiæ ecclefiæ & canonibus *Alefienfibus*, *Carentonienfibus* & *Alenconienfibus* nec non præfentis fynodi actibus adigebantur.

Si igitur quæramus, cur omnis hæc cautio & feueritas ab ecclefiis *Gallicanis* adhibita fit? Ipfæmet narrant, factum effe ad vnitatem & pacem inter fe conferuandam. *Vt conformitas inter nos exacte cuftodiatur* (inquit vltima fynodus *Iuliodunenfis* MDCLIX) *ftatutum eft, vt omnia colloquia & fynodi prouinciales, fi proponentes in minifterium recipiant, ne adhibeant, habito ad hæc capita refpectu, vllas formulas particulares; fed illos folum fignare & iureiurando amplectiiubeant confeffionem fidei & difciplinam ecclefiafticam, & manibus in cælum fublatis DEVM conteftari, velle fe reiicere omnes errores in doctrina de prædeftinatione & gratia, &c. per decreta harum fynodorum nationalium, Alenconienfis & Carentonienfis, reiectos.* [k]

Synodvs *Priuatienfis* an. MDCXII eamdem rationem reddit, cur follemne illud iusiurandum, quod iuramentum vnionis vocitant, ab omnibus delegatis in fynodo ifta nationali expetitum fit; cuius tenor hic eft: *Nos, quorum nomina heic fubfcripta funt, experientia edocti, nihil magis neceffarium effe ad conferuandam pacem & falutem ecclefiæ, quam fanctam vnionem & concordiam tam in doctrina quam difciplina; omnium ecclefiarum noftrarum nomine iurauimus & adfeuerauimus,* [l] *manfuros nos effe infeparabiliter vnitos in confeffione fidei ecclefiarum reformatarum huius regni, quæ in fynodo lecta eft; iurauimus non folum noftro ipforum, fed etiam omnium ecclefiarum nomine, quæ funt in illis prouinciis, a quibus ad hanc fynodum miffi fumus, nos in eadem & viuere & mori velle. Sicut etiam noftro & eorum nomine promittimus, nos difciplinam ecclefiafticam, in ecclefiis reformatis huius regni ftabilitam, fartam tectam effe conferuaturos.* Videatur idem iusiurandum repetitum in fynodis *Tonninienfi* MDCXIV [m]. *Vitriacenfi* MDCXVII [n]. et *Alefienfi* MDCXX [o].

(i) Syn. Carenton. III. cap. X. artic. VI. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 664.)
(k) Syn. Iuliodun. cap. X. artic. XXV. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 778.)
(l) Synod. Priuat. cap. III. art. I. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 389.)
(m) Syn. Tonn. cap. XV. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 50.)
(n) Synod. Vitriac. II. cap. II. artic. VI. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 83. artic. XXV.)
(o) Syn. Alef. cap. III. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 142.)

LIBRI PRIMI

CAPVT QVARTVM.

Subſcriptionem longe difficiliorem eſſe in eccleſia *Gallica* quam in eccleſia *Anglicana.*

SI quis, his non obſtantibus, dixerit, ſubſcriptionem in eccleſia *Gallicana* non eſſe tam graue onus, quam ſit in eccleſia *Anglicana*: pateſcet hæc res, vbi ſingulas partes, quas in ſequentibus libris collegi & conſideraui, examinabimus & conferemus. In præſenti rem vnam obſeruo, quæ magna ex parte præcipuum obiectionis robur ſimul & ſemel aufert, et eccleſiæ *Anglicanæ* magnopere commendat moderationem, nimirum, Quod primi illius reformatores & compoſitores articulorum videntur capitum aliorum determinationem, aliorum autem accuratiorem explicationem ſtudioſe vitaſſe, eo conſilio, vt ſubſcriptionem (in rebus, fundamentum fidei non ita prope attingentibus,) diuerſi captus hominibus facilem redderent. Si doctrinas eccleſiæ *Gallicanæ* & *Anglicanæ* de hoc capite inter ſe comparauerimus, videbimus, commodum a parte eccleſiæ *Anglicanæ* in hoc ſitum eſſe, quod eccleſia *Gallica* in articulis ſuis & canonibus ſubſcriptionem diuerſis rebus requirat, quibus vt ſubſcribatur, eccleſia *Anglicana* non exigit.

MVLTORVM loco duo vel tria capita pro exemplis adducam. *Primo*, Doctrina de iuſtificatione multo ingenioſius in confeſſione *Gallica* quam in noſtra explicatur, et cum eiuſmodi ſubtilitate, quæ inter viros doctos controuerſiam peperit. Quum enim eccleſiæ noſtræ doctrina de iuſtificatione ita habeat [*p*]: *Tantum propter meritum DOMINI ac SERVATORIS noſtri IESV CHRISTI per fidem, non propter opera & merita noſtra, iuſti coram Deo reputamur*: Quæ verba ſummam vniuerſæ doctrinæ de iuſtificatione continent, et quibus vnusquiſque chriſtianus orthodoxus ſine vlla dubitatione ſubſcribere poteſt: confeſſio *Gallica* vlterius progreditur, et homines iubet credere,

(*p*) Confeſſ. Anglic. artic. XI. in corp. & ſyntagm. confeſſionum fidei. Geneuæ MDCXII. 4to.

IESV

IESV CHRISTI obedientiam [*q*] *ſibi imputari;* quæ doctrina IOANNI PISCATORI & quibusdam aliis theologis in *Germania* ſe non probabat, adſerentibus, hominis iuſtificationem per ſolam CHRISTI mortem & paſſionem, non per vitam & actiuam obedientiam illius, acquiſitam eſſe. Hoc longam diſputationem inter eos peperit. Synodus *Vapincenſis* an. MDCIII. [*r*] declarat, *deteſtari ſe errores ſpeciatim eorum, qui negent, CHRISTI actiuam & paſſiuam obedientiam nobis imputari in iuſtitiam; et omnibus ſynodis prouincialibus, colloquiis & conſiſtoriis mandat, vt ſollicite obſeruent eos, qui hoc errore tenentur, ſiue miniſtri fuerint, ſiue chriſtiani priuati, et vt auctoritate præſentis ſynodi ad ſilentium eos adigant, quod ſi qui miniſtri in errore pertinaciter perſiſtant, miniſteriali ſua functione iubeantur priuari.* Litteræ etiam a ſynodo ad PISCATOREM datæ ſunt, vt de retractanda hac ipſius opinione cum ipſo ageret. Enimuero his monitis adeo non paruit PISCATOR, vt reſponſorias quinque annis poſt ad proximam ſynodum *Rupellanam* ann. MDCVII. habitam, mitteret, quibus pro doctrina ſua argumenta & rationes exponebat. Quo facto decretum ſynodi *Vapincenſis* denuo corroborabant, iubentes, *omnes* [*s*] *paſtores in ſua quemque eccleſia ſeſe penitus conformare in docendo populo ad doctrinam, quæ hucusque tradita inter ipſos ſit; nempe, Quod omnis obedientia CHRISTI tam in vita quam morte ipſius nobis imputetur in plenam remiſſionem peccatorum.* cetera.

VT ne etiam doctrina huic contraria in eccleſiis eorum proponeretur, ſynodus *Priuatienſis* MDCXII. omnes paſtores ipſo miniſterio fungentes & omnes proponentes in miniſterium cooptandos ſequenti articulo iubet ſubſcribere. *Ego,* [*t*] *cuius no-*

(*q*) Confeſſ. gallic. art. XVIII. ibid. p. 104. Credimus totam noſtram iuſtitiam poſitam eſſe in peccatorum noſtrorum remiſſione, quæ ſit etiam, vt teſtatur Dauid, vnica noſtra felicitas. Itaque ceteras omnes rationes, quibus homines exiſtimant ſe coram Deo poſſe iuſtificari, plane repudiamus: omnique virtutum & meritorum opinione abiecta, *in ſola Ieſu Chriſti obedientia prorſus acquieſcimus, quæ quidem nobis imputatur*, tum vt tegantur omnia noſtra peccata, tum etiam vt gratiam coram Deo nanciſcamur. cetera.

(*r*) Synod. Vapinc. cap. II. art. II. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 257. 258.)

(*s*) Syn. Rupell. III. cap. II. art. IV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 301.)

(*t*) Syn. Priuat. cap. IV. artic. II. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 399. 400.)

men

men heic subscriptum legitur, recipio & approbo ea omnia, quae confessio fidei ecclesiarum reformatarum in hoc regno continet; eaque me ad mortem vsque custoditurum promitto. Et quum nonnulli de sensu articuli decimi octaui, qui de iustificatione agit, contendant; ego declaro & teste Deo adfirmo, me illum eo sensu intelligere, quo in ecclesiis nostris accipitur, a nationalibus synodis nostris approbato, qui est, Quod DOMINVS noster IESVS CHRISTVS legi morali & caerimoniali obedientem se praebuerit, non tantum bono nostro, sed etiam loco nostro; et quod tota obedientia eius vtrique legi praestita, nobis imputetur; et quod iustificatio nostra consistat non solum in remissione peccatorum, sed etiam in imputatione actiuae obedientiae eius. Promitto etiam, me a doctrina in ecclesiis nostris recepta numquam deflexurum - - omnemque obedientiam synodorum nostrarum nationalium canonibus hac in re praestiturum esse.

HAC tempestate rumor de hac controuersia per omnes regiones protestantes sparsus est, et quum fama illius in *Angliam* nostram ad aures *Iacobi* regis peruenisset, operam suam in componendis ecclesiarum *Gallicarum* & *Germanicarum* dissidiis & concilianda inter ipsas concordia obtulit, missis per *Dauidem Homium* ad proximam synodum nationalem *Galliae*, *Tonninii* an. MDCXIV. celebratam litteris, quarum haec erat sententia: *Quum audiuimus* [u], *conuentum vestrum in Vasconia calendis Maiis habitum iri, in quo fortassis nonnullis propositum est controuersiam de iustificatione resuscitare & aliorum conscientias contra proprium iudicium ad adsentiendum rebus, non satis a se intellectis, adigere: Visum est nobis, Homium, qui ex nostris ciuibus & pastoribus vestratibus est, cum his litteris ad vos mittere; vt nomine nostro vos adhortetur, vt ne pastorum & professorum vestrorum animos de distinctionibus magis subtilibus, quam vtilibus; magis curiosis, quam necessariis in se mutuo exacerbari sinatis; ne dissensionis scintillis inflammati in eiusmodi schisma ruatis, quod vos consumat vniuersos.*

CVM his litteris simul mandata *Homio* dedit verbis, vt no-

(u) Epist. Iacobi regis Angliae in synod. Tonnin. MDCXIV. cap. XIX. (Ap. *Aymon*. tom. II. p. 62.)

mine

mine suo synodum admoneret, *Procurent firmam vnionem in capitibus doctrinæ inter pastores, professores & reliqua ecclesiæ suæ membra; nec contendant cum theologis in Germania aut aliis quibuscumque aliter docentibus; qui caput de iustificatione tractent modo a modo tractandi, quo ipsi vtantur, diuerso.* Quem nuntium vna cum litteris regis *Homius*, sicut iussus erat, ad synodum pertulit; vti in actis eius commemoratur [w].

EATENVS etiam studium conciliandæ concordiæ a rege adhibitum ad effectum videtur peruenisse, vt de controuersiis inter theologos *Gallos* & *Germanos* nihil amplius legamus: De membris autem ecclesiæ suæ eamdem, quam antea, rationem inierunt, *iubentes omnes in ministerium recipiendos promittere coram DEO, se doctrinam iustificationis haud aliter tradituros, quam heic eam explicent; et in mandatis dantes omnibus consistoriis, colloquiis & synodis prouincialibus, vt eo omnem auctoritatem suam conferant, vt hic canon exacte obseruetur; inspicientes ministros suos & reliquos ecclesiæ ciues omnes, vt ne quid agant huic mandato contrarium; et eos, qui id faciant, omnibus ecclesiæ censuris persequantur.* [x].

QVAESTIO igitur, quam respectu huius controuersiæ omnibus proponam (ita quidem, vt in rationes caussæ inter *Piscatorem* & *Gallos* ne inquiram) hæc modo est; Annon articulus ecclesiæ *Anglicanæ* de iustificatione minus obnoxius sit exceptioni, quam ille ecclesiæ *Gallicanæ?* Annon propterea facilius & generalius ei subscribere possint omnes protestantes, siquidem nihil continet, de quo non consentiant omnes? Is sane studio partium nimio addictus sit, oportet, qui hoc negare ausit.

ALIVD exemplum, in quo euidenter apparebit, subscriptionem in ecclesia *Gallica* saltem ad tempus difficiliorem fuisse, quam in ecclesia *Anglicana*, est doctrina de peccato originis; quæ varie explanata est in ecclesia *Gallica*. Initio quidem plane eadem erat atque illa, quam articulus nonus ecclesiæ *Anglicæ* exhibet verbis sequentibus: *Peccatum originis non est in imitatione Ada-*

(w) Ibid. cap. III. artic. V. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 6.)

(x) Vid. ibid. cap. VI. artic. XIX. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 13. n. XX.)

mi situm, sed est vitium & deprauatio naturæ cuiuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati, qua fit, vt ab originali iustitia quam longissime distet, ad malum sua natura propendeat, et caro semper aduersus spiritum concupiscat, vnde in vnoquoque nascentium iram Dei atque damnationem meretur. Et in decimo atque vndecimo articulo confessionis *Gallicæ* nihil amplius quam hoc inuenias. Nam prorsus nulla mentio de imputatione peccati *Adami* iniicitur. Postea autem ecclesia *Gallicana* id etiam in notionem peccati originis inuexit. Quum enim DE LA PLACE sermonem publicasset de peccato originis, in quo adserebat, *naturam eius tantum sitam esse in illa corruptione, quæ omni posteritati Adami hæreditaria est, et omnibus mortalibus originaliter inhæret; non autem in imputatione primi peccati illius;* synodus *Carentoniensis* tertia an. MDCXLV doctrinam illius damnabat, eo quod naturam peccati originis ad solam corruptionem hæreditariam posterorum *Adami* restringeret, et imputationem primi peccati, quo lapsus est, excluderet; omnibusque pastoribus, professoribus aliisque hanc quæstionem tractaturis sub comminatione censurarum ecclesiasticarum interdicebat, ne a communi & recepta opinione ecclesiarum protestantium deflecterent. Omnes item synodi & classes postea ad candidatorum in ministerium receptionem progressuræ iubebantur prouidere, vt huic actioni synodi *Carentoniensis* subscriberent apponerentque sigillum [*y*].

HANC autem determinationem nimis seueram visam esse, non aliunde probemus necesse est, quam ex subsequente decreto, quod annis quindecim post factum est in synodo *Iuliodunensi* in hanc sententiam: *Quod ex desiderio diuersarum prouinciarum, magna cum importunitate postulantium, vt canon Carentoniensis temperetur, decretum sit, in posterum omnes pastores & proponentes, qui ipsi se obtulerint ministerio, oportere tantum subscribere articulis confessionis fidei decimo & vndecimo: Omnibus tamen interdicendum esse, ne quid doceant vel typis excusum diuulgent imputationi, in canone Carentoniensi memoratæ, contrarium* [z].

(*y*) Syn. Carent. III. cap. XIV. artic. X. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 680 art. I.)

(z) Syn. Iuliod. cap. VIII. artic. XI. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 750.)

TER-

TERTIVM aliquod exemplum hanc in rem doctrina est eorum de vocatione primorum reformatorum, quos vnumquemque dicunt oportere credere non fuisse ordinarie ab homine vel ab ecclesia, sed extra ordinem diuinitus vocatos. Ita enim synodus *Vapincensis* MDCIII. diserte interpretatur, *Hæc synodus*, inquiens [*a*], *iudicat, quod secundum tricesimum primum articulum confessionis nostræ* [*] *auctoritatem eorum prædicandi & reformandi simpliciter vocationi extraordinariæ (qua per internum quemdam impulsum potenter a Deo excitati fuerint ad ministerium suum exercendum) non autem corruptæ vocationis & ordinationis suæ in ecclesia Romanensi reliquiis adscribere debeamus.*

SYNODVS sequens *Rupellana* MDCVII in hoc decreto non nihil emendauit. *In articulo synodi Vapincensis*, inquit, [*b*] *qui de vocatione primorum pastorum in ecclesiis nostris reformatis loquitur, hæc verba* Et docendi, *quæ in certis quibusdam exemplis inueniuntur, delenda sunt; et loco* simpliciter *interponendum* principaliter; *et vltima clausula*, Non exiguis corruptæ vocationis suæ reliquiis, *ita legenda*, potius quam exiguis vocationis suæ ordinariæ reliquiis. Verumtamen ista emendatio non adeo omnia dubia explanat, quin multi homines in magnam aliquam difficultatem incurrant, vbi doctrinæ eorum de hoc etiam speciali capite subscribere iubentur.

HISCE exemplis in capitibus fidei pauca quædam subiungam, quæ ad praxin spectant, & subscriptionem in ecclesia *Gallica* adhuc difficiliorem faciunt, quam priora illa. Articulus quidam in libro disciplinæ statuit, *Omnem saltationem* [*c*] *supprimendam, & eos, qui artem saltatoriam tractent, aut in saltationibus*

(*a*) Syn. Vapinc. cap. II. artic. IV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 259. n. VII.)

(*) Conf. Gallic. in syntaggm. confess. p. 108. Credimus, nulli fas esse suapte auctoritate inuadere ecclesiæ gubernacula, sed legitima electione, quoad eius fieri potest, & quamdiu Dominus eius rei potestatem facit, præeunte, adsciscí vnumquemque oportere. Addimus autem nominatim illam exceptionem, quoniam interdum, vt *nostris etiam temporibus, interrupto ecclesiæ statu, necesse fuit, nonnullos extra ordinem diuinitus excitari, qui ecclesiæ collapsæ ruinas instaurarent.*

(*b*) Syn. Rupell. III. cap. IV. artic. III. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 307.) Hæc verba, *Et docendi* sensu eadem sunt atque *prædicandi* in synodo Vapincensi.

(*c*) Discipl. eccles. Gallic. cap. XIV. artic. XXVII.

adesse soleant, si aliquoties admoniti contumaces ac refractarios se præbuerint, excommunicandos esse: Omnibus etiam consistoriis præcipit, videant, vt hic canon sanctissime custodiatur & obseruetur. Notandum heic est, omnes ministros in hanc disciplinam iuratos esse; adeoque iureiurando obstrictos oportere omnes, qui saltationes frequentent, nec eas auersari velint, excommunicare.

Qvasnam peculiares rationes huius seueritatis habuerint in *Galliá*, ego quidem nescio, inter nos autem in *Anglia* nimis rigidus canon haberetur; primo, omnem saltationem tanquam rem illicitam prohibere, & deinde ministros iureiurando obstringere ad eos omnes excommunicandos, qui eam tractent & adhibeant.

Alios quoque canones non minus seueros habent de vestibus; et ministri similiter iureiurando obstringuntur, vt eos in effectum deducant. Synodus *Rupellana*, MDLXXXI declarat [*d*], *Eiusmodi vestes non esse permittendas in communi cultu, quæ manifesta dent impudicitiæ, dissolutionis morum, & animi nouæ lautitiæ nimium studiosi indicia; cuiusmodi sint [*] pigmenta, laciniæ, comæ calamistratæ & cincinnorum fimbriæ, aut quidquid pectus aperit & nudat vbera, vel distentæ pallæ & similia vestium genera, quibus viri & feminæ nefarie se induant & adornent.* Et consistoria oportere omnem nauare operam, vt istam dissolutam consuetudinem & impudentem licentiam censuris suis refrenent, si qui vero huius flagitii rei contumaces & refractarii sint, ipsam excommunicationem in eos adhibendam esse dicit. Vid.

(*d*) Synod. Rupell. II. cap. III. artic. XLI. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 152. num. XL.)

(*) Verba Gallica hæc sunt: *Les Fards, Plissures, Houpes, Lardoires, Guiquerolets, Seins ouverts, Vertugardins & autres choses semblables, desquelles tant hommes que femmes abusent dans leurs parûres.* Ioan. Quickius in synodico suo sic reddidit Anglice: *Such as painting, flashing, cutting in pieces, trimming with Locks & Tassels or any other that may discover our Nakedness, or naked Breasts, or Fardingales, or the like sort of Garments, with which both Men and Women do wickedly cloath and adorn themselves.* Num verba latina, quibus ego vsus sum, vocabula Gallica vel *Anglica* satis exprimant, iudicent alii, aptiora & commodiora mihi iam non succurrunt. *Gr.*

etiam

etiam lib. discipl. cap. XIV. art. XXVI. [e]; synod. *apud S. Fidei.* an. MDLXXVIII cap. IV. art. XXI. [f]; synod. *Montalbanensis* an. MDXCIV cap. IV. art. XLV. [g]; synod. *Gergoliensis* an. MDCI cap. III. art. XLV. [h] omnes in rem eamdem, nisi quod in synodo *Gergoliensi* mulieres, quæ faciem fuco illinant & pectora sua aperiant, excommunicatione plectendæ dicantur.

ALIVS quidam canon in libro disciplinæ tolerari vetat [i] *mimicas laruatorum choreas, histrioniam, Sacarum festa, bacchanalia; item præstigiatores, petauristas, circulatores, ludorum exhibitores.* Nec permittendum esse, ait, fidelibus, vt *in comœdiis, tragœdiis, dramatis aliisque mimorum actionibus, siue publicis siue priuatis, intersint.* Quædam editiones *disciplinæ* etiam festum [*] maii pinum statui vetant. Hoc autem canone quodam synodi *Gergoliensis* an. MDCI [k] expunctum est.

CHARTVLARVM, tesserarum & aleæ lusus in libro disciplinæ [l] & in synodo *Gergoliensi* [m] omnibus interdicitur sub pœna censuræ ecclesiasticæ.

OMNIBVS ministris studium chemiæ interdicitur per canonem aliquem synodi apud *S. Maxentii* an. MDCIX [n]. *Colloquia*

(e) Disciplin. ecclef. Gall. cap. XIV. artic. XXVI. On ne pourra priver personne de la communion de la sainte cene pour quelqne façon d' habit, laquelle seroit ordinaire & accoustumée en ce Royaume: mais en ce rang on ne doit comprendre ceux qui portent notoire marqne d' impudicité, dissolution, nouveauté trop curieuse, comme fard, ouverture de sein & choses semblables. Feront les consistoires tout devoir de reprimer telles dissolutions par censures & contre les rebelles procederont jusqu' à la suspension de la cene.

(f) Ap. *Aymon.* tom. I. p. 129.

(g) Ap. *Aymon.* tom. I. p. 184. num. XLIV.

(h) Ap. *Aymon.* tom. I. p. 240. n. XL.

(i) Discipl. eccl. Gall. cap. XIV. art. XXVIII.

(*) *Qui plantent des Mays.*

(k) Synod. Gergol. cap. III. art. XLVI. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 240. n. XLI.) On raiera ces mots, *ou de planter des Mays.*

(l) Discipl. ecclef. Gallic. cap. XIV. artic. XXIX.

(m) Synod. Gergol. cap. III. artic. XLVII. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 240. n. XLII.)

(n) Syn. ap. S. Maxent. cap. III. art. VI. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 359.)

 & syno-

& synodi studiose attendant illos ministros, qui chemiæ dant operam, eosque acriter reprehendant & pœna ecclesiastica adficiant.

IURE etiam iurando promittere debent, nolle se medicinam exercere, nisi ex amore in vicinos, quod promissum si violant, suspensioni obnoxii sunt. Vid. in margine ad litt. [o]

IAM vero non possum, quin existimem, quibusdam ex his rebus ad minimum æque difficulter quem subscribere in easque iurare posse, quam quis ecclesiæ *Anglicanæ* canonibus subscribat in eosque iuret: non habemus enim eiusmodi canones, qui nos cogant excommunicare quempiam, eo quod saltationes frequentet, vel pallam gestet. cetera.

LIBRI PRIMI
CAPVT QVINTVM,
Disciplinam *Gallicam* non approbare ministros se non conformantes, nec conuentus separatos.

SI iam disquiramus, Quam rationem ecclesia *Gallica* de eiusmodi ministris inierit, qui iurare aut subscribere dubitarent, & qui ad introductos ritus & statam disciplinam sese conformare non possent; licet hæc singularis istius ecclesiæ felicitas esset, tam paucos huiusmodi ministros habere, quam vlla vmquam ecclesia habuit; tamen si qui essent, vel ab aditu ad ministerium initio statim prohibebantur, vel ad silentium redigebantur & abdicabantur, in munere publico iam constituti. Nam synodi eorum nationales auctoritatem suam numquam patiebantur contemni. Canon quidam in libro disciplinæ hac de re habetur in hanc sententiam: *Si quis pastor vel senior vnionem solucrit ecclesiasticam aut contentionem de capite quodam doctrinæ vel discipli-*

(o) Vid. discipl. eccles. Gall. cap. I. artic. XIX. Syn. ap. S. Fideis cap. IV. artic. XXII. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 129.) Synod. Iuliodun. cap. IX. artic. IX. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 753.)

(p) Discipl. eccles. Gall. cap. V. art. XXXII.

næ,

næ, cui subscripsit, vel de formula catechismi, vel de administratione sacramentorum, vel de publicis precibus et benedictione coniugum excitauerit, nec se ad colloquii determinationem conformare voluerit, ministerii sui functionibus [p] arceatur, a synodo prouinciali vel nationali vltra persequendus.

SYNODUS *Montalbensis* an. MDXCIV. "ministris nullam " licentiam dandam esse statuit immutandi quidpiam in publi- " carum precum formulis & sacramentorum administratione, " quum omnia prudenter & pie & maxima ex parte in planis & " disertis scripturæ sacræ verbis ordinata sint & præscripta." [q]

EADEM synodus seuerum canonem habet contra omnes ministros, in ecclesiis interdictioni sacrorum subiacentibus officium suum administrantes. *Si quæ ecclesiæ*, inquit, *pecuniam soluere recusant, quam ad sumtus conferre debent, qui in itinera & comitatum in synodalibus aliisque conuentibus communi omnium ecclesiarum bono habitis ineuitabiliter facti sunt, ministerio euangelii priuabuntur, & sanctam vnitatem, quam inter nos conseruari oportet, deseruisse existimabuntur. Et omnibus ministris interdicitur, ne in illis ecclesiis ministerium suum exerceant, nisi schismatici declarari velint. [r]* Et hoc decretum canonibus disciplinæ inferi iubent, in quos vniuersi ministri verbis conceptis iurare debent.

VIDEMUS heic, quam sibi auctoritatem tribuant; primum quidem in irroganda pecunia, ab ecclesiis ad necessarios sumtus contribuenda; deinde in ecclesia interdicto multanda; tandem in abdicandis ministris illisque pro schismaticis tractandis, si in istiusmodi aliqua ecclesia officium suum obire audeant. Et tamen ad summum caussa solum pecuniaria erat, quæ rationem tantæ seueritatis præbebat.

LIBER disciplinæ regulas præscribit obseruandas in disputationibus cum pontificiis de religione; et cum primis eam, quam seuerissime inculcat; *Ministris non licebit ingredi disputationem*

(q) Synod. Montalb. cap. IV. art. XIX. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 181. n. XX.)
(r) Ibid. cap. III. art. X. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 177.)

aut

aut colloquium aliquod generale, nisi de ecclesiarum omnium congregatarum, siue nationalis cuiusdam synodi, consilio; qui secus fecerint, apostatae & ecclesiasticae vnionis desertores pronuntiandi sunt. [s]

Synodus *Vapincensis* eadem ratione illos tractat, qui praevalentes errores (vt vocat) foueant de iustificatione. *A ministris vel christianis priuatis, auctoritate huius synodi, imponetur illis silentium; et si pertinaciter persistant, si quidem fuerint ministri, officio deiicientur* [t].

Notum exemplum huius potestatis est, quod antehac dedit ioannes durellus in caussa *Ioannis Welchii Scoti*, ministri apud *Santones* in *Gallia;* qui a synodo apud *S. Maxentii* cum in concionibus habendis tum in disciplina exercenda ad rationem & consuetudinem ecclesiae *Gallicae* se conformare iussus, quum id facere recusasset, ministerium suum relinquere [u] & regno exire coactus est.

Huic addi liceat celebre illud decretum synodi *Alesiensis* an. MDCXX, vbi, quum nonnulli ex delegatis postularent, vt decerneretur, quae incunda esset ratio de iis, qui a supremo regni senatu interdicta contra iussa & censuras ecclesiae adferrent, *Conventus omnibus synodis, colloquiis & consistoriis mandabat,* [w] *vt cum istiusmodi hominibus agerent, tamquam rebellantibus adversus disciplinam ecclesiae, illisque seuerissimam excommunicationis censuram infligerent.*

Sub plerarumque nationalium synodorum finem catalogum deprehendimus ministrorum munere deiectorum & desertorum; neque tamen vmquam audimus, eorum quempiam ausum fuisse in separatis conuentibus protestantibus praedicare. Regulis eorum contrarium erat praedicare, quum auctoritate synodi

(s) Discipl. eccles. Gall. cap. VI. art. IV. Vid. etiam syn. Gergol. cap. III. art. XXIII. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 237. n. XXI.)

(t) Syn. Vapinc. cap. II. artic. II. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 257.) Vid. etiam cap. III. artic. IV. V. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 260.)

(u) Vid. syn. ap. S. Maxent. cap. III. art. XXXV. (Ap. *Aymon.* tom. I. pag. 371. n. XXXIV.) & Durell. Vindic. cap. XXII. p. 243.

(w) Syn. Alesf. cap. X. art. XXII. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 182. n. XXIII.)

alicu-

alicuius nationalis, ad quam vltima appellatio locum habebat, impositum eis esset silentium: Vnde in omnibus eorum synodis vix tria exempla offendimus in contrarium. Synodus apud *S. Maxentii* præcisum canonem fecit. *Si quis depositus minister ausus fuerit publicam aliquam functionem administrare, illico communione alienus pronuntietur.* [x] Tali homini ne minimum quidem christiani priuati priuilegium concedere, nec eum in membris ecclesiæ habere volebant.

Alias aptas leges rogarunt a populo obseruandas; vt ne talem quempiam audirent, vel sequerentur animumue illi adderent, pœna censuræ ecclesiasticæ in immorigeros constituta. *Quoniam* (inquit liber disciplinæ [y]) *non licet nec expedit audire concionatores pontificios, aut alios, qui sine legitima vocatione sese ingerunt ipsi, populus per pastores prohibeatur, vt ne ad illos adeant: qui autem adiuerint, ad consistorium vocentur, & pro eo ac meruerint, censura adficiantur.*

Iam duo in hoc canone obseruanda sunt; 1. Quod nihilo magis liceat audire concionatores, qui ipsi se intrudunt sine legitima vocatione, quam audire concionatores pontificios. 2. Quod omnes illi existimandi sint sese intrudere & legitima vocatione carere, qui officium concionandi seu prædicandi sibi sumunt, regulis & legibus constitutæ ecclesiæ repugnantibus, aut conciones habent, iam legitima auctoritate ad silentium redacti & munere suo, vel ad certum tempus vel in perpetuum, deiecti. Vt adeo, si controuersiæ in *Anglia* per hunc ecclesiæ *Gallicæ* canonem determinarentur, separatio statim finem suum habitura esset: dummodo homines se adduci sinerent ad credendum, non licere cuipiam concionari, nec concionantem audire sine legitima vocatione, vtpote quod cum regulis & legibus constitutæ ecclesiæ pugnat.

Fvisse hanc constantem ecclesiæ *Gallicæ* sententiam, ex alio canone apparet, facto in synodo *Gergoliensi* ad an. MDCI respectu habito ad populum *Montalbanensem:* in quo decernitur,

(x) Syn. ap. S. Maxent. cap. VI. artic. XVII. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 376.)
(y) Discipl. eccles. Gall. cap. XIV. art. XII.

Quod, quum Girardum aliquem, ministrum a synodo in Occitania celebrata officio deiectum, concionari inter se sinant, & vt hoc post muneris abdicationem facere audeat, instigent, ipsi censuras incurrere debeant [z]

SYNODVS etiam *Alesiensis* ad præueniendas huiusmodi confusiones scitum canonem fecit [*a*]. *Quum per corruptionem sæculi, in quo viuimus, fieri possit, vt minister aliquis, in vno quodam colloquio vel prouincia depositus, in aliam quamdam se intrudat, & licentiam sibi sumat prædicandi verbum, antequam synodus nationalis coëat, a qua omnes ecclesiæ huius regni de deposito illo ministro certiores fiant; hic conuentus omnes pastores & consistoria admonet, vt ne facile peregrinum aliquem ex alia prouincia in pulpitum admittant; nisi eum bene cognitum habeant. De apostatis autem pastores locorum, vbi rebellio contigit, celeriter, renuntient; ne quam ex nostris ecclesiis necopinantem decipiant.*

VIDEMVS, omni eos cogitatione curaque in id incubuisse, vt impedirent, ne ministri officio deiecti & ad silentium redacti vel in separatis conuenticulis vel in suis ipsorum ecclesiis sermones haberent & a populo exaudirentur. Atque hæc bona disciplinæ pars semper obseruata est in ecclesiis *Gallicis*, a THEODORO BEZA & primis earum reformatoribus illis instillata. Iudicium enim BEZAE contra sermones, publica auctoritate prohibitos, decisiuum erat & celebratum non tantum in ecclesia *Gallica*, sed etiam in nostra *Anglicana*. Sententiam enim hac de re a quibusdam dissentientibus fratribus in *Anglia* rogatus circa an. MDLXVIII, quum subscriptio auctoritate reginæ exigeretur, hoc modo respondit: *Si hæc libertas* (ministerio suo defungendi) *eis eripiatur -- quid aliud suadeamus, quam vt priuati esse malint, [b] quam contra conscientiam fouere malum. -- Tertium enim illud, nempe vt contra regiæ maiestatis & episcoporum voluntatem mi-*

(*z*) Syn. Gergol. cap. IV. art. XXII. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 243. n. XXIII.)
(*a*) Synod. Alef. cap. V. n. IX. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 149.)
(*b*) Bez. epist. XII. ad fratres Angl. p. 105. (p. 219. vol. III. edit. Geneu. MDLXXXII.)

nisterio

nisterio suo fungantur, magis etiam exhorrescimus, propter eas caussas, quæ tacentibus etiam nobis satis intelligi possunt.

Hoc responsum & consilium Bezæ, vt iustum ei pretium statuamus, in *Anglia* videtur vtile & salutare fuisse ad impediendam, quam tunc temporis nonnulli meditabantur, separationem, & fortè vestes illas cogitationes in veterum nostrorum Non conformistarum animis impressas reliquit, quas prudentiores ex illis fouisse inuenimus; Quod, si ob negatam subscriptionem silentium ipsis imponeretur, sese interdicto subiicere & vitam priuatim in communione ecclesiæ viuere, non autem separatos conuentus instituere & priuatis conuenticulis sermones habere debeant. Id quod notum iudicium fuit IOANNIS FOXI, LAVRENTII HOMFREDI, GVILIELMI PERKINSII, GIFFORDI, RATHBANDI, BALLI, BRADSCHAVI, ARTHVRI HILDERSHAMI & IOANNIS DODI; quorum testimonia sæpius producta sunt ab aliis, in præsenti a me haud repetenda; quandoquidem id solum ago, vt ostendam, quodnam fuerit iudicium & quæ praxis ecclesiæ *Gallicæ*.

FINIAM hoc caput articulo vicesimo sexto confessionis fidei Gallicanæ: *Credimus, neminis licere sese cœtibus subducere & in se ipso acquiescere, sed potius omnibus simul tuendam & conseruandam esse ecclesiæ vnitatem, sese communi institutioni & iugo CHRISTI subiiciendo, vbicunque DEVS veram illam disciplinam ecclesiasticam constituerit, a quo ordine quicumque se ipsos seiungunt, ordinationi Dei resistunt.* [c] *Quod si alios etiam secum traxerint, peruerse agunt, & funestæ ecclesiæ pestis habendi sunt.*

IOANNES QVICKIVS ipse obseruat [d], disciplinam pessimis etiam temporibus semper exercitam esse in ministros delinquentes, officio eos esse motos & eiectos, si commeruissent. Non potest tamen dicere, eorum quempiam separatos conuentus protestantes instituisse; sed potius eorum ad pontificios transiisse.

TAM efficax erat disciplina eorum in coercendis ministris delinquentibus & felix tamen in omnibus, qui protestantes sese nominabant, ad vnam ecclesiam & communionem vnam coercendis & continendis.

(c) Notandum, hæc vltima verba, *Quod si*, cetera, ex interpretatione *Quickii* legi, quamquam in aliis quibusdam editionibus non inueniantur.
(d) Quick. introd. in sy nod. sect. XIII. p. 58.

LIBRI PRIMI
CAPVT SEXTVM,
Ecclesiam *Gallicam* conformitatem occasionalem, quam vocant, æque improbare atque eam improbat ecclesia *Anglica*.

VLTIMA via, quam ad conseruandam vnitatem ecclesia *Anglica* ineundam duxit, in eo sita est, vt separatistas censura adficiat, illisque priuilegium neget *conformitatis* sic dictæ *occasionalis*. Non loquor iam de nouissimis scriptis, a comitiis regi propositis, de *conformitate occasionali*, quæ materiam longæ concertationumque plenæ disputationi inter eos præbuerunt, qui professa membra ecclesiæ sunt. Quum enim hæc nondum leges facta & potius in ciuilibus quam ecclesiasticis actis habenda sint, huius dissertationis circulum non ingrediuntur. De illis autem legibus mihi sermo est, quæ reapse existunt, & ab omnibus ecclesiæ membris leges habendæ sunt; Canones intelligo, qui vim habent & legitimo modo idoneaque cum auctoritate ad effectum deduci possunt. Vicesimus septimus ex his canonibus hanc in rem ita habet [*]: *Minister quum communionem celebrat, eamdem nulli eorum sciens prudensque administret, -- qui publicis precibus ex præscripto ecclesiæ Anglicanæ interesse recusant; nec illis, qui communes & noti corruptores sunt libri publicarum precum & administrationis sacramentorum, nec non re-*

(*) Not. Num canones ecclesiæ Anglicanæ lingua Latina exstant, nescio, Putabam equidem in EDMVNDI GIBSONII *codice iuris ecclesiastici Anglicani* ita haberi. Quem librum quum non tantum in bibliothecis Halensibus, sed in aliis etiam heic illic frustra quæsissem, tandem ex bibliotheca priuata magni cuiusdam theologi reformati Berolinensis accepi mutuo. Neque vero vllum canonem Latinum ibi deprehendi, sed omnes & singulos sermone *Anglicano* conscriptos. Quare interpretationem adductorum in hac dissertatione canonum, quam tum iam absolueram, retinere me oportuit. Liber iste Gibsonianus duobus voluminibus in forma, vt vocant, maxima editus est *Londini* 1713. Gr.

gularum

gularum, rituum & cærimoniarum inibi præscriptarum, aut quæcumque in articulis, de quibus in conuocatione ad an. MDLXII conuenit, aut in libro de ordinandis sacerdotibus & episcopis continentur; nec istis, qui contra regis supremam potestatem in caussis ecclesiasticis loquuti sunt eamque deprauarunt; nisi talis quispiam prius ministro, æditurs præsentibus & audientibus, pænitentiam de actis testetur, atque simul verbo, si scripto non possit, promittat, in posterum se aliquid tale haud ausurum; et nisi, si scribere calleat, hoc ipsum ante manu sua per scripturam profiteatur. cetera.

INSCRIPTIO istius canonis hæc est: *Quod schismatici ad communionem non sint admittendi.* Et inter omnes tam ecclesiæ membra quam ab ea abalienatos constat, scopum huius canonis fuisse, vt separatistis negetur communionis occasionalis priuilegium. Nam vnumquemque ministrum, quatenus hoc canone obstringitur, oportet non admittere eos nisi conditionibus, in canone memoratis.

IAM quæstio est, an legitimus & iustus sit hic canon. Abalienati *Angli* eum simpliciter & vniuersaliter contra ius fasque repugnare dicunt, & hanc rationem inter ceteras reddunt, cur se ad ecclesiæ ritus non conforment. [e]

AD quæ respondeo, Eamdem rationem valere pro nonconformitate, seu ecclesiæ rituum auersatione in ecclesia *Gallica.* Illius enim regulæ ministros eadem disciplina vti iubent. THEODORVS BEZA in epistola ad ecclesias *Gallicas* in *Anglia*, vbi de certis articulis, quos condiderant, sententiam suam dicit, inter reliquos hunc approbat: *Qui legitime excommunicati sunt, aut qui illegitime ac cum offensione ab aliqua ecclesia desciuerunt* [f], *ad nulla publica ecclesiæ ministeria obeunda, aut sacramentorum vsum in vlla ecclesia admitti possunt, donec ecclesiæ legitime satisfecerint.*

ALIVS articulus in eadem epistola ita decernit: *Quicumque a particulari ecclesia ob suam malitiam legitime excommunicatur,*

(e) Vid. Baxt. *Engl. Nonconformity*, cap. XXIX.

(f) Bez. ep. XXIV. artic. XXI.

aut se ipsum ob vllas caussas illegitime aut cum data offensione exscindit [*g*], *eo ipso omnibus catholicæ Dei ecclesiæ priuilegiis excidit, nec hanc ob caussam in vllam vsquam aliam particularem ecclesiam vlla ratione admitti poterit, donec ad meliorem mentem redierit ac pro dicta sua malitia satisfecerit.*

IAM vero existimo, legitimam satisfactionem includere agnitionem anteactorum & promissionem futuræ emendationis. Quod si ita est; si eædem conditiones a separatistis requiruntur in ecclesia *Gallica*, antequam ad communionem admitti possint; Qua, quæso, in re disciplina illius differt a disciplina ecclesiæ *Anglicanæ?*

IOANNES CALVINVS de illis omnibus, qui vel rigore disciplinæ, vel crucis ignominia offensi palam discessionem ab ecclesia faciunt, ita pronuntiat: *Nullo modo* [*h*] *admittendi sunt ad sacram cœnam.*

SI dixeris, esse hæc priuata tantum testimonia; respondeo, esse talia, quæ consentanea sunt canonibus in libro, quem disciplinam vocant; quorum vnus ait [*i*]: *Illi, qui in publica christianorum congregatione non comparent, nisi quando sacra cœna celebratur, reprehendantur & commoneantur de officio suo, et hunc in finem certæ cuidam ecclesiæ se adiungere iubeantur.*

ET proxime sequens [*k*] canon ait: *Illi, quorum moris est, vt in ecclesia alia verbum Dei audiant, in alia accipiant sacramenta, sub censuram vocentur, et ex monito colloquii vel synodi prouincialis, ecclesiæ proximæ & commodissimæ se adiungant.*

HI canones non solum communionem occasionalem dari vetant iis, qui cultui publico sese subtrahunt, sed illis etiam, qui ecclesias suas parochiales non frequentant. Quæ res alium ecclesiæ nostræ canonem recte se habere euincit, quem RICHARDVS BAXTERVS etiam repudiat [*l*]; *Ministri non admittant peregrinos ad cœnam Domini inter alios, sed eos arceant & domum ad*

(*g*) Ibid. artic. XIII.

(*h*) Caluin. epist. ad Menson. Poppium p. 205.

(*i*) Discipl. ecclef. Gallic. cap. XII. can. XII.

(*k*) Ibid. can. XIII.

(*l*) Can. XXVIII. ecclef. Anglic.

ad ecclesias suas parochiales & ministros reuerti valeant, vt ibi eucharistiam cum vicinis suis accipiant. Nullam differentiam inter hunc canonem & ante memoratum canonem ecclesiæ *Gallicanæ* video. Et BAXTERVS [m] tamen hanc rem satis idoneam caussam esse contendit, cur ministri presbyteriani ad ecclesiæ nostræ consuetudines se conformare recusent.

LIMITES parochiales, inquit ille, *sunt humanæ tantum institutionis propter opportunitatem.* Quasi limites parochiales in *Gallia* non sint res eadem, quæ in *Anglia*. *At vero beneficium idonei & fidi ministri eiusque electio & vsus, vbicumque haberi potest, diuini mandati est.* Tum vero ad minimum ecclesia *Gallica* æque peccat atque ecclesia *Anglica*, quando vnumquemque ad suam ipsius parochiam remittit contra diuinum mandatum. *Verum nonnulla parochia ministros habent ad prædicandum Dei verbum minus aptos, vel non facile admittendos?* Ego vero commodo loco & tempore ostendam, hanc fuisse etiam conditionem *Gallicæ* ecclesiæ, quem defectum suppleuerint prælegi iubendo homilias IO. CALVINI [n]. Neque tamen existimarunt, hanc ob caussam hominibus permittendum esse, vt ad sumendam communionem ab ecclesiis suis parochialibus discedant. Enimuero, *Vnusquisque christianus*, inquit, *ad vniuersalem ecclesiam catholicam spectat, et si sibi opus esse videt, ius habet ad communionem sanctorum extra suam parochiam.* Nullum est dubium, quin & *Gallica & Anglica* ecclesiæ hoc æque bene norint atque BAXTERVS. Quid vero hoc eos iuuat, quibus necesse non est ex parochia sua exire ad communionem? An nulla differentia est inter casus ordinarios & extraordinarios? Ita omnes regulæ violari poterunt, quia in casibus extraordinariis non obligant. Si qui necesse habent proficisci in alias parochias siue regiones, rationi consentaneum est, illis dari licentiam communicandi in his locis, quo necessitas eos vocauit. At vero hinc non sequitur, vt non liceat homines canone quodam obstringere ad communicandum in suis ipsorum ecclesiis parochialibus, quibus nulla necessitas imposita est faciendi aliter. Et tamen BAXTERVS sic contra ec-

(*m*) Baxt. *Engl. Nonconf.* cap. XXX.

(*n*) Vid. infra lib. X. cap. XI. & lib. IV. cap. X.

clesiam

clesiam *Gallicam* non minus quam *Anglicam* argumentatur; quamquam ipsi propositum sit hoc ipso tantum ecclesiam *Anglicanam* ferire.

Dvo adhuc de praxi & disciplina ecclesiæ *Gallicæ* obseruo, quæ ad hanc materiam spectant; Primo, quod nullus peregrinus in vlla ecclesia admitti possit sine scripto ecclesiæ suæ testimonio, quæ vetusta ecclesiæ primitiuæ regula erat, renouata a synodo *Parisiensi* secunda an. MDLXV. quæ ait: *Ministri moneantur, ne alius cuiusdam ecclesiæ membra ad cœnam dominicam* [o] *admittant, nisi idoneum testimonium suorum pastorum & seniorum manibus scriptum exhibuerint, dummodo id haberi possit.* Et BEZA in ecclesia *Geneuensi* eumdem ordinem seruari dicit, *nisi forte sint satis aliunde noti, vel fidei suæ & ipsi priuatim apud pastorem rationem reddant.* [p]

ALTERVM, quod in constitutione illius obseruo, notatu est aliquanto dignius, quandoquidem exemplum est potestatis, quam ecclesia *Anglicana* sibi nunquam potuit vindicare; nimirum, Quod nemo ex protestantibus inter illos fungi potuerit vllo ex istis officiis ciuilibus, quæ in edicto *Nannetensi* nominatim enumerantur, nisi publicis ecclesiæ testimoniis esset commendatus. Synodus enim *Tonniniensis* decretum fecit, pœna excommunicationis non obedientibus constituta, huiusmodi: *Statuit hic conuentus* [q], *eos, qui vrbium, quæ nobis fiduciæ datæ sunt, gubernacula, aut officium consiliarii in curiis mixtis sibi acquirere student, aut alium dignitatis obtinent locum, qui nobili generi sortis ex illis, qui nostram religionem profitentur, conferri solet; neque vero necessaria testimonia adferunt, prout epistola regia & rescriptum pro gubernatoribus publicatum, nec non articuli, consiliariis in supremis curiis speciatim præscripti, ea requirunt; declarandos esse vnionis ecclesiarum nostrarum desertores & omnibus censuris ecclesiasticis persequendos.*

RATIO & fundamentum huius canonis erat articulus quadragesimus nonus ex iis, qui vocantur articuli secreti edicti *Nannetensis;*

(o) Syn. Paris. II. cap. XI. artic. XXVI. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 69. n. III.)
(p) Bez. epist. XX. p. 140. (p. 229. vol. III. tractat. theolog. Geneu. MDLXXXII. fol.)
(q) Syn. Tonnin. cap. VIII. art. XI. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 25.)

netensis; qui ait; *In officia vacantia, quæ illis, qui memoratæ religioni addicti sunt, in decuria bipartitorum iudicum committuntur, homines idonei surrogentur; quos testimonium a synodo vel colloquio, ad quod pertinent, adferre oportet, quod dictam religionem profiteantur & sint viri honesti.* [r]

Hoc ipsum manifesto indicat, hominibus ad capessenda hæc officia ciuilia opus fuisse ecclesiæ testimonio; neque existimandum est, ipsos testimonia sua daturos fuisse vlli eorum, qui non essent de ecclesia *Gallica* aut discessionem ab ea fecissent. Vnde liquet, quod non solum communionem occasionalem interdixerint, sed potestatem etiam habuerint illis, qui non essent religioni eorum addicti, denegandi priuilegium ciuilium officiorum; quæ nemo legitime obtinere poterat sine ecclesiæ testimonio. Qua in re ecclesia *Gallica* aliquanto plus requisiuit, quam nunc exigit *Anglicana.*

Si his omnibus non obstantibus dixeris, homines non habere easdem rationes auersandi conformitatem in ecclesia *Gallicana*, aut ab illa se separandi, quas habeant in ecclesia *Anglicana:* Quamquam præcipuum robur huius excusationis capite quarto huius libri iam contudi, dum subscriptionem ostendi multis in casibus longe difficiliorem esse in ecclesia *Gallica* quam in *Anglica*; tamen vt adhuc apertius eam obteram, ad considerandas particulares obiectiones progredior, quæ aduersus ecclesiam nostram fiunt, respectu habito vel 1. ad articulos & homilias, vel 2. ad liturgiam, vel 3. ad ordinationes, regimen & canones illius; et ostendam, omnes istas obiectiones dilui & res, aduersus quas opponunt, facile defendi posse ex principiis & praxi ecclesiæ reformatæ *Galliæ.* Initium faciam ab iis, quæ aduersus articulos & homilias obiiciunt, eaque libri sequentis erunt argumentum.

(r) Vid. hic articul. in vol. I. synodici in Gallia Io. Quickii p. 93.

LIBER SECVNDVS,

OBIECTIONES CONTRA ARTICVLOS ET HOMILIAS ECCLESIAE ANGLICANAE CONSIDERATAE ET EX PRINCIPIIS AC PRAXI ECCLESIAE REFORMATAE GALLIAE CONFVTATAE.

CAPVT PRIMVM,

Probatos ſcriptores eccleſiæ *Gallicæ* admittere articulos eccleſiæ *Anglicæ* tanquam iure ſubſcribendos.

QVID intelligatur per ſubſcriptionem, eccleſiæ noſtræ articulis præſtandam, inter eos, qui illis ſubſcribunt, non omnino conuenit. Sunt, qui illos pro articulis pacis accipiunt, et per ſubſcriptionem nihil amplius intelligunt, quam hoc, Quod eos in tantum agnoſcant illisque ſeſe ſubiiciant, vt publice ab illis diſſentire, aut doctrinam vlli rei, quam contineant, contrariam tradere haud velint. Hoc iudicium videtur fuiſſe BRAMHALLI, FOWLERI & aliorum. Generatim autem ſubſcriptio ſenſu ſtrictiori accipitur; vt quæ includat noſtræ ipſorum opinionis declarationem, non nudam ſilentii promiſſionem: atque hæc potius videtur fuiſſe mens & intentio eccleſiæ. Iam vero in hoc ſenſu ſtrictiori THEODORVS BEZA in epiſtola ſua ad EDMONDVM GRINDALLVM epiſcopum *Londinenſem* fatetur, ex orthodoxis *Gallis*, qui confeſſioni *Anglicanæ* non minus quam ſuæ ipſorum ex animo ſubſcribere recuſaturus ſit, ſe noſſe neminem. Nam *Veſtras eccleſias*, inquit alicubi [*a*], *nobiſcum in omnibus doctrinæ capitibus conſentire arbitramur.* Et alio loco [*b*]: *Quod ad fidem ipſam ſiue doctrinam, iſtic publico conſenſu receptam regiaque auctoritate confirmatam, attinet, nullum eſſe arbitror eo-*

(*a*) Bez. epiſt. VIII.

(*b*) Bez. epiſt. LXIX.

rum,

rum, qui satis recte de his rebus sentiunt, qui non eam vt veram ac certam amplectatur.

PETRVS MOLINAEVS in eamdem sententiam loquitur in defensione confessionis *Gallicæ* contra *Arnoldum* Iesuitam. *Adversarii nostri*, inquit, [c] *caussantes, quod ecclesia Anglicana aliam, quam nostra, habeat disciplinam, nostram religionem diuersam esse dictitant. Experientia autem hanc accusationem confutat; Nos enim cum Anglis in ecclesiis eorum conuenimus; participamus simul sacram cœnam Domini; doctrina confessionis eorum cum doctrina nostræ confessionis plane congruit.*

STEPHANVS LE MOYNE ait: *De iis, qui cum Roma nullam coniunctionem habent, per mihi mirum est, illos eo vsque aberrare, vt in ecclesia Anglicana salutem obtinere se non posse credant. Hoc sane arguit, eos confessionem fidei non satis cognitam habere, quæ ab omnibus protestantibus mirabiliter approbata & omnino digna est, vt ab vniuersis bonis christianis laudetur. Nihil enim ista confessione potuit fieri sapientius, nec vmquam articuli fidei maiori & æquiori cum iudicio collecti sunt, quam in hoc eximio scripto. [d]*

LIBRI SECVNDI

CAPVT SECVNDVM,

De particularibus exceptionibus aduersus triginta nouem articulos, & consensu ecclesiæ *Gallicæ* in articulis controuersis, tertio, quarto, octauo 'cet. vsque ad vicesimum.

RICHARDVS BAXTERVS in libro suo, quem inscripsit, *English Nonconformity*, profitetur, se omnibus articulis doctrinalibus posse subscribere tanquam se recte habentibus, ait autem, *Verba eorum in sensu obuio sæpius obnoxia*

(c) Moulin. *Buckler of Faith* p. 343.

(d) Le Moyne epist. ad episc. Londinensem in fine libri Eduard. Stillingfleeti, qui inscribitur *The Unreasonablenesss of Separation.* Verba eius gallice sic habent: Pour ceux qui n' ont aucune liaison avec Rome, c' est une chose bien singuliere de les voir passer jusqu' à cette extremité, que de croire que

esse exceptioni, & in articulis istis multa inesse, quæ viris bonis scrupulum mouere possint. · Primum exemplum eius est, articulus tertius. [*e*] Dicit, *viros doctos dubitare de descensu CHRISTI ad inferos.* Atqui tunc de symbolo apostolorum quoque dubitent, oportet: nam non minus articulus istius symboli est, quam confessionis *Anglicanæ.* Credo autem, ipsum dicere voluisse, Quod nonnulli dubitarint de explicatione huius doctrinæ de descensu CHRISTI ad inferos. Id tamen nihil ad rem facit. Ecclesia enim nullam eius dat explicationem in illo articulo, sed ait tantum, *CHRISTVM credendum esse ad inferos descendisse.* Iam si viri boni sunt, qui hac de re dubitant, & eodem tempore symbolum apostolicum admittunt, scire gestio raram illam distinguendi, qua pollent, facultatem, vbi nulla est differentia. Quod si vero de symbolo apostolorum dubitant æque ac de articulo ecclesiæ *Anglicæ*, quæstio erit, An sint viri boni? Ecclesia *Gallica* speciatim nihil de hoc articulo in confessione sua habet, admittit tamen articulum, quia singulos articulos symboli apostolici admittit, ex quibus hic vnus quidam est, vt adeo nulla sit inter duas istas ecclesias de hoc capite differentia. Vtraque articulum, prout verba habent, agnoscit, & ecclesia nostra nullam illius expositionem dat, sed hominibus æquam relinquit libertatem de eo sobrie sentiendi, quod verum rectumque ipsis videatur. Tantopere hallucinatus est BAXTERVS, quando viros doctos & bonos de descensu CHRISTI ad inferos dubitare dixit! Res sane ominosa est, in prima exceptione tam præcipitanter agere. Videamus nunc, an in secunda fuerit felicior.

2. DEINDE ait, doctrinam articuli quarti, *Quod corpus CHRISTI in cælo carnem & ossa habeat, pugnare cum duobus generalibus conciliis, Nicæno secundo & Constantinopolitano, ante*

dans l' Eglise Anglicane on ne peût faire son salut. C' est n' avoir gueres de connoissance de la Confession de foy, que tout le monde Protestant a si hautement approuvée, & qui merite en effect les louanges de tout ce qu' il y a de bons Chretiens. Car on ne pouvoit rien faire de plus sage, que cette Confession, & jamais les Articles de foy n' ont eté recueillés avec un discernement plus juste & plus raisonnable que dans cette excellente piece.

(*e*) Baxt. *Engl. Nonconf.* cap. XXIV.

illud

illud celebrato. [*f*] Quid vero hinc ſequitur? Vt viri boni de hoc articulo dubitent? Tum enim ex eadem ratione de articulo duodetriceſimo dubitauerint, qui transſubſtantiationem negat; nam doctrina contraria in duobus ad minimum eiuſmodi conciliis generalibus *Lateranenſi* & *Tridentino* ſtabilita eſt. Videmus, argumentum quodlibet contra articulos eccleſiæ militare debere, obtentu ſubleuandi homines ſcrupuloſos, etiamſi ſuperſtitioni papiſticæ ianuam aperiat. Enimuero ex eodem fundamento de *Gallicana* etiam confeſſione viris bonis illius iniici poteſt ſcrupulus & quædam dubitatio. Nam articulus decimus quintus dictæ confeſſionis, [*g*] *veritatem & proprietatem humanæ naturæ* Seruatoris noſtri, poſt adſumtionem illius in cælum, probat ex verbis apud *Lucam.* cap. XXIV, 39. *Spiritus carnem & oſſa non habet, vt habere me videtis.* Vnum idemque illis eſt, *non habere carnem & oſſa*, atque *non habere veram humanam naturam.* Vt adeo, ſi negamus, CHRISTVM habere carnem & oſſa in cælo, negare etiam poſſimus humanitatis illius veritatem [*h*]. Eccleſiæ autem *Gallicæ* numquam viſum eſt hiſce ſcrupuloſis hominibus tantopere indulgere, vt eorum in gratiam articulum illum, qui veritatem humanæ naturæ noſtri Seruatoris adſerit, expungeret.

(*f*) Artic. IV. conf. Anglic. in ſyntagm. confeſſ. p. 126. ita habet: Chriſtus vere a mortuis reſurrexit, ſuumque corpus *cum carne oſſibuſque omnibus* ad integritatem humanæ naturæ pertinentibus, recepit, cum quibus in cælum adſcendit ibique reſidet, quoad extremo die ad iudicandos homines reuerſurus ſit.

(*g*) Verba artic. XV. confeſſ. Gallic. in ſyntagm. confeſſionum p. 104. hæc ſunt: Credimus in vna eademque perſona, quæ eſt Ieſus Chriſtus, vere inſeparabiliter duas illas naturas ſic eſſe coniunctas, vt etiam ſint vnitæ: manente tamen vnaquaque illarum naturarum in ſua diſtincta proprietate, ita vt quemadmodum in iſta coniunctione diuina Verbi natura proprietates ſuas retinens, manſit increata, infinita & omnia replens: ſic etiam natura humana manſerit manſuraque ſit in æternum finita, ſuam illam naturalem formam, dimenſionem atque adeo *proprietatem* habens, cui nimirum *veritatem humanæ naturæ* non ademerint reſurrectio & glorificatio, ſiue adſumtio ad dexteram Patris. Itaque ſic Chriſtum conſideramus in ſua deitate, vt ipſum ſua humanitate non ſpoliemus, Matth. I, 23. Luc. I, 35. Io. II, 14. Luc. XXIV, 39. cetera.

(*h*) Vid. Caluin. admonit. vltim. ad Weſtphal. p. 714. Scriptura teſtatur, Chriſtum a reſurrectione corpus retinuiſſe, quod habuerat, neque naturam eius mutatam. &c.

3. ARTICVLVM octauum multis conformistis scrupulum dicit iniecisse, qui clausulam damnatoriam symboli *Athanasiani* omnino recipi & credi [i] iubeat. Cuiusmodi conformistæ illi sint, equidem nescio; ostendi tamen alibi, clausulam illam damnatoriam illis non minus iniecturam fuisse scrupulum in ecclesia *Gallicana*.

4. AIT, IEREMIAM TAYLORIVM, episcopum nostratem, articulum nonum de peccato originali impugnasse. Sed vero sic ipsum etiam dixero impugnasse articulum decimum & vndecimum confessionis *Gallicæ*. Priuati cuiusdam hominis opinio ecclesiæ ad abiiciendam doctrinam suam caussa nulla est. Si vero TAYLORIO iniuriam facit, rationem facti sui reddet.

5. MVLTI dicti *Arminiani*, decimo articulo aduersantur, qui dicunt, sine gratia Dei præueniente ad pietatis opera facienda nihil nos valere [k]. Facete & vrbane agit BAXTERVS, quando *Arminianos* istis bonis viris accenset, quorum scrupulos considerari oporteat. Enimuero nec conuentus theologorum, qui confessionem fidei composuerunt, supremæ curiæ patribus an. MDCXLVI exhibendam, nec ecclesia *Gallicana* vllam istiusmodi scrupulorum rationem habuerunt. Isti enim decreuerunt, *Quod homo per lapsum suum in statum peccati omnes vires voluntatis ad quoduis spirituale bonum, quod ad salutem pertinet, prorsus perdiderit: Vt adeo tanquam naturalis homo ab isto bono penitus auersus & in peccatis mortuus, suis ipsius viribus ad se conuertendum aut hanc ad rem præparandum haud quidquam valeat [l].* De ecclesia autem *Gallica* probaui antea in capite de subscriptione, Quod omnes ministros suos non solum ad subscribendum de-

(i) Artic. IIX. Conf. Anglic. in syntagm. confess. p. 127. Symbola tria, Nicenum, Athanasii & quod vulgo Apostolorum appellatur, omnino recipienda sunt & credenda: nam firmissimis scripturarum testimoniis probari possunt.

(k) Artic. X. Conf. Anglic. ibid. p. 128. Ea est hominis post lapsum Adæ conditio, vt sese naturalibus suis viribus & bonis operibus ad fidem & inuocationem Dei conuertere ac præparare non possit. Quare absque gratia Dei, quæ per Christum est, nos præueniente, vt velimus, & cooperante etiam volumus, ad pietatis opera facienda, quæ Deo grata sunt & accepta, nihil valemus.

(l) Vid. *Advice of the Assembly of Div. to the Parl.* cap. IX. art. III.

cretis

cretis synodi *Dordracenæ* contra *Arminianos* sed etiam ad eadem iureiurando amplectenda impulerit; et ferme centum canones in vna synodo fecerit, vt eadem capita contra illos vindicaret. Vnde igitur fit, vt hoc etiam ecclesiæ *Anglicanæ* ob defectum moderationis imputetur?

6. SED vero multi conformistæ contendunt aduersus hæc verba articuli vndecimi, *Tantum propter meritum Domini ac Servatoris nostri IESV CHRISTI per fidem non propter opera & merita nostra iusti coram Deo reputamur.* Non dubito, quin BAXTERVS erret in his hominibus eisque manifestam faciat iniuriam; numquam enim quiddam de vllis eiusmodi conformistis inaudiui. Si qui vero tales fuerint, æque aduersus doctrinam protestantium de iustificatione in omnibus reliquis ecclesiis contenderint, oportet; et speciatim aduersus articulum quemdam confessionis *Gallicanæ*, qui habet in hanc sententiam [m]: *Credimus, totam nostram iustitiam positam esse in peccatorum nostrorum remissione, quæ sit etiam, vt testatur Dauid, vnica nostra felicitas. Itaque ceteras omnes rationes, quibus homines existimant, se coram DEO posse iustificari, plane repudiamus: omnique virtutum & meritorum opinione abiecta, in sola IESV CHRISTI obedientia prorsus acquiescimus*, cetera.

QVOD ad rationem attinet, quam BAXTERVS adfert probaturus, conformistas huic articulo contradicere; quia dicant, dari subordinatam quamdam iustitiam, de qua loquuntur sacræ scripturæ, IOANNES CALVINVS iam dudum probauit, esse errorem aut potius sophisma in argumentatione. Nam res subordinatæ non pugnant; quemadmodum bene argumentatur contra patres *Tridentinos*. *Libenter sane confitemur*, inquit, *quotidiano bonorum operum profectu crescere debere fideles: bonaque opera, quibus ornati sunt a DEO, interdum iustitiæ titulo insigniri. Verum, quum hæc tota operum dignatio non ex alio fonte manet, quam gratuitæ acceptionis: quam absurdum foret, hanc ab illa*

(m) Artic. XVIII. conf. Gall. in syntagm. confess. p. 104.

labe-

labefactari? Cur non reminiscuntur, quod pueri in scholis didicerunt: non pugnare quod subordinatur? [n]

SI CALVINO res fuisset cum BAXTERO, ipsum vna cum patribus *Tridentinis* ad pueros in scholis remisisset, vt didicisset, iustitiam subordinatam non contradicere confessioni nostræ, quæ nos tantum propter meritum CHRISTI iustos reputari dicit.

7. MVLTOS dicit existimare, quod bona opera ex fide non necessario, vt articulus duodecimus [o] loquatur, sed libere profluant. Si qui vero sic existimant, ignorantiam suam produnt & de verbis contendunt frustra. Nam vocabula *necessario* & *libere* non semper sibi inuicem contradicunt: tametsi articulus vicesimus secundus confessionis *Gallicæ* [p] eadem verba habet.

8. AT multi putant, meritum de congruo credi posse contra articulum decimum tertium [q], & *homines naturalibus seu antecedentibus operibus aptos fieri posse ad recipiendam gratiam: quod* HENRICVS HAMMONDVS *in adnotationibus suis sub nomine probitatis vrgere videtur?* An vero HAMMONDVS vspiam adserit, homines mere naturalibus operibus, sine vlla gratia factis, mereri gratiam? Num agnoscit hoc meritum de congruo? Anne omnem probitatem gratiæ diuinæ semper adscribit? Ipsa illa probitas, de qua loquitur, effectus gratiæ erat in proselytis *iudaicis*, *Cornelio* & aliis religiosis hominibus, *qui Deum metuebant & iustitiam exercebant eique accepti erant;* Act. X, 35. Verum enim vero HAMMONDI auctoritas siue iure siue iniuria, adhibenda

(n) Caluin. antidot. concil. Trident. sess. VI. (tom. VIII. opp. p. 245.)

(o) Artic. XII. conf. Anglic. in syntagm. conf. p. 128. Bona opera, quæ sunt fructus fidei & iustificatos sequuntur, quamquam peccata nostra expiare & diuini iudicii seueritatem ferre non possunt, Deo tamen grata sunt & accepta in Christo, atque ex vera & viua fide *necessario profluunt*, vt plane ex illis æque fides viua cognosci possit atque arbor ex fructu iudicari.

(p) Artic. XXII. Conf. Gallic. ibid. p. 106. - - Tantum abest igitur, vt bene & sancte viuendi studium fides exstinguat, vt etiam illud cieat & inflammet in nobis, vnde *bona opera necessario consequuntur.*

(q) Artic. XIII. conf. Anglic. ibid. Opera, quæ fiunt ante gratiam Christi & Spiritus eius adflatum, cum ex fide Iesu Christi non prodeant, minime Deo grata sunt, neque *gratiam* (vt multi vocant) *de congruo merentur.* Immo quum non sint facta, vt Deus illa fieri voluit & præcepit, peccati rationem habere non dubitamus.

erat

erat ad tuendam caussam *Pelagianorum* & istorum bonorum virorum, qui de gratia DEI & hominis naturalibus viribus ad faciendum rectum bonumque ambigunt.

9. ITERVM ei res est cum HAMMONDO & discipulis eius, qui subscripserint articulo decimo quarto [r], et tamen *pro bonis operibus scripserint super diuina mandata, tanquam ex solo Dei consilio, et voluntarie factis; quod hic articulus arrogantiam & impietatem vocet.* Quod hic articulus damnat, doctrina pontificia est de operibus supererogationis; hoc est eiusmodi opera voluntaria, *quibus declarant homines, non tantum se Deo reddere, quæ tenentur, sed plus in eius gratiam facere, quam debeant, quum aperte CHRISTVS dicat, Quum feceritis omnia, quæcumque præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus.* Si HAMMONDVS vel vllus ex illius discipulis scripsit pro operibus supererogationis contra hunc articulum, non est quod ecclesiam moueant scrupuli illorum: Hæc enim doctrina omnium ecclesiarum protestantium est. Si autem BAXTERVS hoc eis iterum adscribit falso, ipse solus rationem reddere necesse habet.

10. PORRO dicit, articulum decimum quintum [s] negari ab iis, qui infantes baptizatos sine peccato existiment. Num vero scrupulorum horum bonorum virorum ratio ita habenda est, vt ecclesiam oporteat abrogare hunc articulum, qui solius CHRISTI prærogatiuam adserit contra pontificios, vt qui sit vna sola persona in humana nostra natura, quæ semper fuit sine peccato? Hoc certe esset fateri, quod non solum *Maria* virgo nata sit, sed alii etiam infantes omnes nascantur sine peccato originali, et de articulo nono ac simul hoc decimo quinto derogare, more ac in-

(r) Artic. XIV. confess. Anglic. in syntagm. confess. p. 128. Opera, quæ supererogationis appellant, non possunt sine arrogantia & impietate prædicari. Nam illis declarant homines, non tantum, *cetera vid. in textu.*

(s) Artic. XV. conf. Anglic. ibid. Christus in nostræ naturæ veritate per omnia similis factus est nobis, excepto peccato, a quo prorsus erat immunis, tum in carne, tum in spiritu. Venit vt agnus absque macula, qui mundi peccata per immolationem sui semel factam tolleret, & peccatum (vt inquit Ioannes) in eo non erat: sed nos reliqui etiam baptizati, & in Christo regenerati, in multis tamen offendimus omnes. *Et si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.*

ſtituto reliquarum proteſtantium eccleſiarum omnium doctrinæ prorſus contrario.

11. MVLTI defectionem negant a gratia data, contra articulum decimum ſextum? An vero vllus vnquam bonus chriſtianus defectionem a gratia eo ſenſu negauit, quo eam admittit articulus; hoc eſt, lapſum in peccatum mortale poſt baptiſmum? Audiamus ipſa verba articuli: *Non omne peccatum mortale, poſt baptiſmum voluntarie perpetratum, eſt peccatum in SPIRITVM SANCTVM & irremiſſibile. Proinde lapſis a baptiſmo in peccata locus pœnitentiæ non eſt negandus: poſt acceptum SPIRITVM SANCTVM poſſumus a gratia data recedere atque peccare: denuoque per gratiam Dei reſurgere ac reſipiſcere: ideoque illi damnandi ſunt, qui ſe, quamdiu hic viuant, amplius non poſſe peccare adfirmant, aut vere reſipiſcentibus veniæ locum denegant.* [t] Heic *recedere a gratia data* explicatur per *labi in peccatum mortale a baptiſmo,* quod nemo vmquam negauit, exceptis *Cathariſtis* ſiue *Libertinis,* qui fœdiſſima vitia ſua poſt regenerationem peccata eſſe negant; ſi viri docti doctrinam eorum ex vero nobis depingunt. [u] An vero eccleſia recte faceret, ſi horum etiam hominum ſcrupulis faueret?

12. AIT, HAMMONDVM & ſectatores eius videri negare abſolutam electionem in articulo decimo ſeptimo [w] deſcriptam. Frigide hoc dicit, nec audet eis hoc libere & aperte tribuere. Tantum *videntur* negare. Sed vero BAXTERVS illos fortaſſis perperam intellexit, nec negarunt. Si vero id fecerunt, eccleſia nihilo magis neceſſe habet doctrinam ſuam in gratiam eorum mutare, quam eccleſiæ *Belgicæ* & *Gallicanæ* in gratiam *Arminiorum* in ſynodis *Dordracena* & *Carentonienſi* id fecerunt.

13. SVNT vero boni viri, qui ſeruari eos putant, qui ad lu-

(t) Artic. XVI. conf. Anglic. Vid. ſyntagm. confeſſ. p. 129.

(u) Caluin. cont. Libertin. cap. XVIII. tom. VIII. p. 389. a. tot. Io. Rainold. theſes de ſcriptura, th. I. n. IX. p. 69.

(w) Artic. XVII. conf. Anglic. Prædeſtinatio ad vitam eſt æternum Dei propoſitum, quo ante iacta mundi fundamenta ſuo conſilio, nobis quidem occulto, conſtanter decreuit, eos quos in Chriſto elegit ex hominum genere a maledicto & exitio liberare, atque (vt vaſa in honorem efficta) per Chriſtum ad æternam ſalutem adducere. cetera.

men

men naturæ viuunt; et tamen articulus duodeuicesimus *anathema illis denuntiat*, *qui hoc dixerint*. Minus honeste hunc articulum tractat BAXTERVS; caussam enim principalem omittit, ob quam anathema pronuntiatur, quæ est, Quod salus alia ratione, quam in nomine CHRISTI obtineri possit. Verba articuli hæc sunt: *Sunt & illi anathematizandi*, *qui dicere audent*, *vnumquemque in lege aut secta*, *quam profitetur*, *esse seruandum*, *modo iuxta illam & lumen naturæ accurate vixerit*, *quum sacræ litteræ tantum IESV CHRISTI nomen prædicent*, *in quo saluos fieri homines oporteat.* [x]

IAM vero aliud est dicere, vnumquemque in lege aut secta, quam profiteatur, esse seruandum, nulla nominis siue meriti CHRISTI habita ratione; aliud autem dicere, quosdam servari, qui ad lumen naturæ vixerunt; quando ii, qui hoc dicunt, eodem tempore adfirmant, non seruari eos virtute legis naturæ (licet illa vnica sit lex, quam habeant, vt secundum eam ambulent) sed nomine & merito CHRISTI, sine quo nemo seruari possit. Alterum diserte damnatur & anathematizatur in articulo; alterum autem ex quorumdam opinione non item, quia de morte & satisfactione CHRISTI nihil deroget, quippe qui ex infinita Dei misericordia seruator quibusdam esse possit, qui nullam vmquam nisi implicitam notitiam illius habuerint. Altera quidem doctrina *Alcorani* est, ad subseruiendum politicis imperii *Turcici* rationibus inuenta; altera doctrina a christianis illustrioribus per omnia sæcula, a IVSTINO MARTYRE ad HVLDERICVM ZWINGLIVM & ad reformationem vsque comprobata; et ab illis, qui eam amplexi sunt, haud credita est præsenti articulo aduersari; tametsi BAXTERVS eam illi omnino contrariam esse dictitet.

QVOMODOCVNQVE autem res se habet, certum est, ecclesiam *Anglicanam* non tueri aliam doctrinam, quam quæ in diuersis articulis confessionis *Gallicanæ*, speciatim in decimo tertio [y]

(x) Artic. XVIII. confess. Anglic. in syntagm. confess. p. 130.

(y) Artic. XIII. confess. Gallic. ibid. p. 103. Credimus, quicquid ad salutem nostram requiritur, nobis in *vno demum illo Iesu Christo* offerri & communicari, et qui, quum nobis seruandis sit datus, simul etiam sit nobis factus sapientia, iustitia, sanctificatio & redemtio, adeo, vt quicumque ab eo declinat, misericordiæ patris, id est vnico refugio nostro renuntiet.

& decimo ſeptimo [z] traditur, vbi declaratur *vnico ſacrificio Chriſti nos eſſe Deo reconciliatos; nec vllo alio remedio quam morte ipſius a peccatis abſolui poſſe.* Quæ quum ita ſint, ſalus lege naturæ, excluſo nomine CHRISTI, obtineri non poteſt.

14. PROXIMAM exceptionem in gratiam iſtorum eccleſiæ ciuium facit, qui *deſcriptionem eccleſiæ viſibilis, in articulo vndeuiceſimo datam, non probent & eccleſiam Romanam in rebus fidei numquam erraſſe arbitrentur, quod contrarium ſit illis, quæ ibi adfirmentur.* Quænam vero eſt illa deſcriptio eccleſiæ viſibilis, quam illi improbant? Illane, Quod ſit [a] *cœtus fidelium, in quo verbum Dei purum prædicatur & ſacramenta, quoad ea, quæ neceſſario exiguntur, iuxta Chriſti inſtitutum recte adminiſtrantur?* An ſunt ex eccleſiæ membris, qui hanc improbant? Sunt, quia vtique in illa nulla habetur mentio epiſcoporum & regiminis eorum in eccleſia. An vero BAXTERVS facilius illam probaturus erat, ſi mentionem eorum haberet? Minime; ſed cauſſam agit iſtorum eccleſiæ membrorum, qui huic articulo ſubſcribere non poſſint, niſi contra ſuum ipſorum iudicium. Verum iſti eccleſiæ epiſcopalis ciues BAXTERO & aliis ſæpiſſime declararunt, non eſſe iudicio ſuo contrarium, huic articulo ſubſcribere. Nam in omnibus ſuis diſputationibus cum pontificiis non plures, quam has duas notas eccleſiæ requirunt. Statuunt cum IOANNE ANDREWS [b] epiſcopo noſtrate, *Quod licet regimen epiſcopale diuinæ inſtitutionis ſit, non tamen ita abſolute neceſſarium ſit, vt nulla eccleſia, nullum ſacramentum, ſalus nulla ſine eo eſſe poſſit. Cæcus eſt, qui non videt, multas eccleſias ſine illo florere; et mentem ferro duriorem gerat, oportet, qui ſalutem illis* denegat.

(z) Artic. XVII. eiusd. conf. p. 104. Credimus *eo vnico ſacrificio, quod Ieſus Chriſtus in cruce obtulit, nos eſſe Deo reconciliatos*, vt pro iuſtis reputemur coram ipſo, quoniam non poſſumus ipſi eſſe grati, neque adoptionis noſtræ fructu potiri, niſi quatenus peccata nobis ignoſcit. Itaque teſtamur, Ieſum Chriſtum eſſe integram & perfectam noſtram ablutionem, in cuius morte plenam ſatisfactionem nanciſcimur, qua liberemur ab omnibus peccatis, quorum rei ſumus, & *a quibus abſolui alio remedio non poſſumus.*

(a) Artic. XIX. confeſſ. Anglic. ibid. p. 130.

(b) Andrews reſp. ad epiſt. II. Molinæi inter opuſcula.

denegat. Poteſt deeſſe aliquid, quod iuris diuini eſt, in externo eccleſiæ regimine, et tamen ſalus inibi obtineri.

IAM vero hæc conditio eſt eccleſiæ *Gallicæ*, quam modo nominatus ANDREWS, et qui cum eo ſentiunt, concedunt habere omnes neceſſarias & eſſentiales notas veræ eccleſiæ, quamuis regimen epiſcopale in ea numquam inſtitutum ſit.

E contrario eccleſiæ *Gallicæ* argumenta epiſcopalibus theologis aduerſus BAXTERVM alioſque aduerſarios ſubminiſtrant. Dicunt enim, Quod, ſi regimen & poteſtas epiſcopalis regulariter inſtituta ſit in quadam eccleſia, homines adeo neceſſe habeant illi ſeſe ſubiicere, vt qui ſecus faciant, culpam excitati ſchiſmatis in eccleſia ſibi contrahant. Vt adeo licet regimen epiſcopale non ſit nota eſſentialis eccleſiæ, vbi haberi non poteſt; in tantum tamen neceſſarium ſit ad incolumitatem & decentiam alicuius eccleſiæ, vbi legitime inſtitutum eſt & haberi poteſt, vt ſchiſmaticum ſit commutationem vllam tentare aut turbas & lites hac de re concire. Quod ſi tantum concedatur theologis epiſcopalibus, neceſſe non habebunt regimen epiſcopale tamquam tertiam notam eccleſiæ articulo iſti inſerere: Tametſi boni *Browniſtæ* olim contenderunt, diſciplinam tertiam notam effici debuiſſe; cuius tam moleſte tulerunt defectum, vt eccleſiam *Anglicanam* ideo chriſtianorum cœtu excluſerint eiuſque deſeruerint communionem. Et miror ſane, quod BAXTERVS de horum etiam hominum ſcrupulis mentionem facere prætermiſit, quos hoc loco conſiderari commodum fuiſſet.

VERVMENIMVERO oculus BAXTERI tantum intentus erat in ipſos eccleſiæ *Anglicanæ* ciues, quos repræſentare geſtiebat, tamquam huic articulo aduerſantes. Hinc porro dicit, eorum quoſdam negare, eccleſiam *Romanam* erraſſe in fide. Ego quidem de quibuſdam eccleſiæ noſtræ membris audiui, quod pie ſenſerint, ſumma capita religionis chriſtianæ inter eccleſiæ *Romanenſis* corruptelas ſemper fuiſſe conſeruata; ſed de nullo vmquam inaudiui, qui vindicationem illius eatenus ſuſceperit, vt eam nullius erroris in rebus fidei ream eſſe dixerit. Quod ſi qui

 iſtius-

iſtiusmodi homines BAXTERO noti fuiſſent, gratum feciſſet nobis, ſi eos indicaſſet. Fac autem, fuiſſe quosdam, diſſenſus eorum eccleſiæ argumento eſſe non poteſt ad mutandam doctrinam, quæ eadem eſt, quæ in omnibus eccleſiis reformatis defenditur. Interponam heic articulum quemdam confeſſionis *Gallicanæ* & lectori relinquam iudicandum, Annon ille multo aſperius eccleſiam *Romanenſem* ob errores ſuos tractet, quam quidem articulus noſtras. *Palam adfirmamus, vbi verbum Dei non recipitur, nec vlla eſt profeſſio obedientiæ, quæ illi debetur, nec vllus ſacramentorum vſus, ibi, proprie loquendo, non poſſe nos iudicare, vllam eſſe eccleſiam. Papiſticos igitur conuentus damnamus, quod pura Dei veritas ab illis exulet, in quibus etiam ſacramenta fidei corrupta ſunt, adulterata, falſificata, vel penitus etiam abolita, in quibus denique omnes ſuperſtitiones & idolomaniæ vigent. Ac proinde arbitramur, omnes eos, qui ſeſe eiuſmodi actionibus adiungunt et iis communicant, a CHRISTI corpore ſe ipſos ſeparare. Quia tamen in papatu exigua quædam eccleſiæ veſtigia, ac præſertim baptiſmi ſubſtantia remanſit, cuius etiam efficacia ab eo non pendet, a quo adminiſtratur, ſatemur, illic baptizatos ſecundo baptiſmo non egere, quamuis propter admixtas corruptiones nemo baptizandos illic infantes offerre poſſit, quin ſe ipſum polluat.* [*c*]

IOANNES CALVINVS in eamdem ſententiam loquitur. *Sic papiſtis*, inquiens, *detrahimus eccleſiæ nomen, vt tamen illic quasdam manere reliquias eccleſiæ non negemus.* Quam ob cauſſam baptiſmum eorum efficaciam ſuam retinere exiſtimat, etiamſi ab idololatris adminiſtratus & multis ſuperſtitionis maculis pollutus ſit. [*d*]

(c) Artic. XXVIII. confeſſ. Gallic. in ſyntagm. confeſſ. p. 107.

(*d*) Caluin. epiſt. ad Zozimum p. 51. Et epiſt. ad Farell. p. 258.

LIBRI

LIBRI SECVNDI
CAPVT TERTIVM,
Poteſtatem eccleſiæ decernendi ritus & cærimonias, ſecundum viceſimum articulum, agnoſci ab eccleſia *Gallicana.*

VARIAE & multiplices ſunt obiectiones contra hanc articuli viceſimi [*e*] partem, *quod eccleſia poteſtatem habeat decernendi ritus & cærimonias.* 1. Nonnulli dicunt, omnes cærimonias relinquendas eſſe libertati chriſtianæ, adeoque eccleſiam non habere poteſtatem vllas præſcribendi. Ita miniſter *Scoticanus Iacobo* regi declarabat, *velle ſeſe conformare ad regia decreta, in rebus doctrinæ; quod autem ad res cærimoniæ attineat, eas vnicuique hominis libertati relinquendas eſſe* [*f*].

2. ALII vlterius progrediuntur, ex malo quodam principio ſtatuentes, eccleſiam non habere poteſtatem decernendi ritus ac cærimonias, quia nihil fieri oporteat in diuino cultu, de quo non habeamus diſertum Dei mandatum, quod conſilia noſtra ad eccleſiæ dirigat rationes. Quæ omnia tam abſurde dicuntur, vt BAXTERVS ipſe ea concoquere non potuerit: et fatendum omnino eſt, ipſum quam acerrime contra ea ſcripſiſſe. Neque tamen hunc articulum prorſus ſine cenſura prætermittere poteſt. Ait enim, *poteſtas eccleſiæ decernendi cærimonias, quum ſit in hoc articulo interminata, a bonis chriſtianis in dubium vocatur.* Verum iſti boni chriſtiani profecto non fuerunt ex diſcipulis CALVINI, nec diſciplina gubernati eccleſiæ *Gallicanæ*, quæ eamdem poteſtatem ſibi ipſi & reliquis eccleſiis omnibus vindicat, ſine vlla alia limitatione, quam quæ in articulo noſtro memoratur; hoc eſt, vt

(*e*) Artic. XX. eccleſ. Anglic. Eccleſiæ non licet quicquam inſtituere, quod verbo Dei aduerſetur, neque vnum ſcripturæ locum ſic exponere poteſt, vt alteri contradicat. Quare licet eccleſia ſit diuinorum librorum teſtis & conſeruatrix, attamen vt aduerſus eos nihil decernere, ita præter illos nihil credendum de neceſſitate ſalutis debet obtrudere.

(*f*) Vid. Roger. dilucidatio articulor. fid. eccleſ. Anglic. p. 104.

tales

tales cærimoniæ verbo Dei ne aduerſentur, nec hominibus de neceſſitate ſalutis obtrudantur. Mentem ſuam *Galli* hac de re ita declarant [*g*]: *Credimus expedire, vt qui electi ſunt eccleſiæ alicuius præfecti, inter ſe diſpiciant, qua ratione totum corpus commode regi poſſit. Ita tamen, vt ab eo, quod Dominus noſter IESVS CHRISTVS inſtituit, nuſquam deflectant. Hoc autem non impedit, quo minus quædam ſingulis locis peculiaria ſint inſtituta, prout commodum viſum fuerit.* Ita ſane vnaquæque eccleſia per ſe ipſa iudicare poteſt, tum quid expediat, tum quid cum inſtitutis CHRISTI conueniat.

PROXIME ſequens articulus [*h*] ait: *Excludimus humana omnia commenta & leges omnes, quæ cultus Dei prætextu adſtringendis conſcientiis inuehuntur, & eas tantum admittimus, quæ fouendæ concordiæ & vnicuique in obedientia debita retinendo ſubſeruiunt.* Hoc eſt, tales leges, quæ tantum fiunt ad bonum ordinem & vniformitatem ſeruandam, libenter admittunt. Id quod magis perſpicue declarant in alia confeſſione, quæ inter opera exſtat CALVINI: *Fatemur, tum omnes, tum etiam ſingulas eccleſias hoc ius habere, vt leges & ſtatuta ſibi condant, ad politiam communem inter ſuos conſtituendam, quum omnia in domo Dei rite & ordine fieri oporteat; eiuſmodi porro ſtatutis obedientiam deferendam eſſe, modo ne conſcientias adſtringant, neque ſuperſtitio illic adhibeatur: qui hoc detrectent, cerebroſi & peruicaces apud nos habentur.* [*i*]

PRAECLARE & copioſe hac de re CALVINVS diſſerit in *inſtitutionibus* ſuis, quod longum eſſet heic recitare. Seligam modo pauca quædam loca, digna quæ præ aliis notentur [*k*]. *Si eccleſiæ incolumitati bene proſpectum volumus, diligenter omnino curandum eſt, quod Paulus iubet, vt decenter omnia & ſecundum ordinem fiant. At quum in hominum moribus tanta inſit diuerſitas, tanta in animis varietas, tanta in iudiciis ingeniisque pugna: ne-*

(*g*) In artic. XXXII. confeſſ. Gallic. in ſyntagm. confeſſ. p. 108.
(*h*) Artic. XXXIII. ibid.
(*i*) Caluin. tom. VIII. opp. p. 95. a. edit. Amſtel. MDCLXVII.
(*k*) Caluin. inſtit. lib. IV. cap. X. n. 27.

que

que politia ulla satis firma est, nisi certis legibus constituta: nec sine stata quadam forma seruari ritus quispiam potest. Huc ergo quæ conducunt leges, tantum abest, ut damnemus, ut his ablatis dissolui suis neruis ecclesias totasque deformari ac dissipari contendamus. Neque enim haberi potest, quod Paulus exigit, ut decenter omnia & ordine fiant, nisi additis obseruationibus tanquam vinculis quibusdam, ordo ipse & decorum consistat. Id tantum semper in istis obseruationibus excipiendum est, ne aut ad salutem credantur necessariæ, atque ita conscientias religione obstringant: aut ad DEI cultum conferantur, atque ita in illis reponatur pietas.

DEINDE exponit, quid per decorum & ordinem intelligat. *Decori quidem finis est, partim, ut dum adhibentur ritus, qui venerationem rebus sacris concilient, talibus adminiculis ad pietatem excitemur, partim etiam ut modestia & grauitas, quæ in omnibus honestis actionibus spectari debet, illic maxime eluceat. In ordine hoc primum est, ut qui præsunt, regulam ac legem bene regendi nouerint: plebs vero, quæ regitur, ad obedientiam Dei rectamque disciplinam adsuefiat. Deinde ut bene composito ecclesiæ statu paci & tranquillitati consulatur.* Diuersa exempla in vtroque genere suppeditat, & tandem concludit his notatu dignis verbis: *Ita omnes ecclesiasticas constitutiones, quas pro sanctis & salutaribus recipimus, in duo capita referre licet: Alteræ enim ad ritus & cærimonias, alteræ ad disciplinam & pacem respiciunt* [*l*].

NVM quid planius ad sensum articuli nostri dici potest quam hoc? Si leges ecclesiasticæ, de ritibus & cærimoniis factæ, sanctæ & vtiles esse possunt, ecclesia sine dubio potestatem habet eas ferendi.

PROXIME sequenti paragrapho scrupulis respondet eorum, quos *nimis meticulosos* vocat, qui cum *Flacianis* in *Germania* & *Brownistis* nostris in *Anglia* omnes leges, ritus & cærimonias ecclesiasticas, tamquam mere humanas constitutiones, reiiciebant, quod non essent in verbo Dei speciatim præscriptæ. Hisce ita respondet [*m*]: *Hic testari operæ pretium est, eas demum humanas*

(*l*) Ibid. num. 28. 29.
(*m*) Ibid. num. 30.

conſtitutiones me probare, quæ & Dei auctoritate fundatæ & ex ſcriptura deſumtæ adeoque prorſus diuinæ ſunt. Quod illuſtrat exemplo geniculationis ad ſollemnes precationes, per legem *Gallicam* & *Geneuenſem* præſcriptæ. *Quæritur*, inquit, *ſitne humana traditio, quam repudiare vel negligere cuiuis liceat. Dico, ſic eſſe humanam, vt ſimul ſit diuina; Dei eſt, quatenus pars eſt decori illius, cuius cura & obſeruatio nobis per apoſtolum commendatur: hominum autem; quatenus ſpecialiter deſignat, quod in genere fuerat indicatum magis quam expoſitum. Ab hoc vno exemplo æſtimare licet, quid de toto hoc genere ſit ſentiendum: nempe quia Dominus & totam veræ iuſtitiæ ſummam & omnes cultus numinis ſui partes, & quidquid ad ſalutem neceſſarium erat, ſacris ſuis oraculis, tum fideliter complexus eſt, tum perſpicue enarrauit: in his ſolus magiſter eſt audiendus. Quia autem in externa diſciplina & cærimoniis non voluit ſigillatim præſcribere, quid ſequi debeamus (quod iſtud pendere a temporum conditione prouideret, neque iudicaret, vnam ſæculis omnibus formam conuenire) confugere hic oportet ad generales, quas dedit, regulas, vt ad eas exigantur, quæcumque ad ordinem & decorum præcipi neceſſitas eccleſiæ poſtulabit.* Accurata hæc reſponſio eſt ex veris principiis ad eorum obiectiones, qui omnes cærimonias tanquam humanas inuentiones in cultu Dei damnant, quæ in ſacra ſcriptura non ſunt diſerte præſcriptæ. Facile eſſet, plura alia teſtimonia ex epiſtolis CALVINI, ex BEZA, SPANHEMIO, CHAMIERO AMYRALDO, RIVETO, TVRRENTINO aliisque ſubiungere: vti vero quædam ex illis iam ab aliis producta ſunt, ita auctoritates in materia tam plana cumulare neceſſe non habeo. Addo modo monitum, quod *Farello* dedit CALVINVS, & opto, vt omnes, ad quos pertinet, illud ſequantur. *De cærimoniis* [n] *effice apud fratres, ne eadem certent cum vicinis pertinacia. Ita fiet, vt omnia noſtra ſint, nos ab omnibus liberi, ſerui ſimus pacis & concordiæ.* Verba ſunt cedro digna, quorum ad præſcriptum ſi modo omnes homines ſe componere vellent, nulla nobis de cærimoniis in eccleſia foret controuerſia.

(n) Caluin. ep. V. ad Farell. p. 5.

At

Ast eheu conditionem mortalium! Formidabilibus argumentis aduersus leges ecclesiasticas de ritibus & cærimoniis tantopere perterrefacti sunt, vt vix sui compotes maneant, quando eas cum animis suis cogitant. Persuaserunt sibi, esse vsurpationem dominii in conscientias suas, violationem libertatis suæ christianæ, additionem quarumdam rerum ad verbum Dei, inuentionem nouorum sacramentorum & impositionem aliarum necessariarum conditionum salutis, præterquam quas CHRISTVS præscripserit. Ad quæ omnia licet satis fuerit respondere generatim, dicendo, Quod quidquid roboris in vlla harum obiectionum insit, id non minus aduersus ecclesiam *Gallicanam* quam nostram valeat, cuius doctrinam eamdem esse ostendi: tamen quum ista argumenta sint popularia & strepitu ac terrore lucrentur, quod robore & viribus non possunt, distinctius ea considerabo & ostendam, quid ad singula optimi ecclesiæ *Gallicanæ* scriptores responderint.

LIBRI SECVNDI

CAPVT QVARTVM,

Constitutionem rituum & cærimoniarum non esse vsurpationem dominii in hominum conscientias nec diminutionem libertatis christianæ.

FVNDAMENTVM huius obiectionis est tantum falsa, quam homines habent, notio libertatis conscientiæ & libertatis christianæ; quæ non sita est in eo, quod quis liber sit ab obediendo humanis legibus & decretis, siue ecclesiasticis siue ciuilibus (illis enim obedire per conscientiam debemus) sed interna libertas animi est, quæ obstringi non potest ad amplectendas vllas doctrinas vel leges tanquam simpliciter necessarias ad salutem, nisi quæ a solo Deo hunc in finem diserte præscribuntur. Nullus enim rex, nulla ecclesia nouos fidei articulos condere & nobis credendos præscribere, vel leges sub absolutæ & immutabilis necessitatis opinione imponere potest, quasi res mandatæ natura sua non sint mediæ seu indifferentes, sed absolute & vniuersaliter necessariæ, ita, vt nulla humana potestas, quæcumque occasio poposcerit, eas

mutare posit. Hoc enim modo conscientias ligare solius Dei est. Si autem iudicium nostrum finitur esse liberum, quod ad rerum mediarum naturam, tunc non est vsurpatio dominii in conscientias nostras, nec libertatis nostræ christianæ diminutio, etiamsi in externo actu ex iustis rationibus per leges ecclesiasticas vel ciuiles coërceantur. Caritas enim libertatem christianam in quibusdam casibus sine vlla eius diminutione coërcet, atque idem leges iustæ auctoritatis facere possunt in casibus aliis.

ITA has obiectiones diluunt [o] CALVINVS, RIVETVS [p] & SPANHEMIVS [q], quorum auctoritates fusius exhibet IOANNES DVRELLVS. Ego testimonium BEZAE subiicio ex epistola eius ad ecclesias *Gallicas* in *Anglia*, vbi hæc eiusdem argumenti verba habet: *Quum iubeat Dei spiritus, vt & omni humanæ ordinationi (id est ordini politico, cuius custos est magistratus) & præpositis pro animarum nostrarum salute vigilantibus obediamus -- consequitur, eum abuti christianæ libertatis beneficio, qui vel suis magistratibus vel præpositis suis sponte non paret in Domino.* [r]

ITERVM post paullo [s]: *Coërcetur earum rerum mediarum vsus ex constitutione vel politica vel ecclesiastica. Etsi enim conscientias proprie solus Deus ligat, tamen quatenus vel magistratus, qui DEI minister est, iudicat interesse reipublicæ, vt quippiam alioqui per se licitum non fiat: vel ecclesia ordinis & decori adeoque ædificationis rationem habens, leges aliquas de rebus mediis rite condit: eiusmodi leges piis omnibus sunt obseruandæ, & eatenus conscientias ligant, vt nemo sciens & prudens rebellandi animo possit absque peccato vel facere, quæ ita prohibentur, vel omittere, quæ sic præcipiuntur.*

NON existimauit BEZAE, leges ecclesiasticas de ritibus & cærimoniis hominum conscientiis aduersari, quando illis obediendum esse dicit propter conscientiam. Ita quoque FRANCISCVS TVRRE-

(o) Caluin. instit. lib. IV. c. X. n. 31.
(p) Riuet. synops. purior. theol. disput. XXXV. num. XXXIX.
(q) Spanh. thes. de libertate christiana.
(r) Bez. epist. XXIV. p. 151. (p. m. 233.)
(s) Ibid. p. 155. (p. m. 234.)

TINVS

TINVS, celeberrimus quondam professor theologiæ *Geneuensis*, illiusque epitomator LEONHARDVS RIISSENIVS docent, *Legibus humanis*, inquientes, *siue politicis, siue ecclesiasticis debetur obedientia propter conscientium, quæ iubet nos obtemperare Deo, magistratum & ministerium instituenti. - - Licet pastoribus non competat potestas νομοθετικὴ proprie dicta, seu ius condendarum legum, quæ conscientiam obligent; habent tamen potestatem condendorum canonum & constitutionum ecclesiasticarum ad εὐταξίαν & decorum, quæ versantur non circa ipsam doctrinam fidei & cultus, sed circa adiaphora & libera, vt sunt tempus, locus, forma ac norma precum, concionum, administrationis sacramentorum, ieiuniorum, eleemosynarum &c.* [*t*].

OMNES isti quidem dicunt, eiusmodi canones non directe & proxime ligare conscientiam, vti quidem lex diuina virtute internæ cuiusdam propriæ potestatis obligat; sed potestatem eorum obligantem esse ex mandato Dei, nos eis obedire iubentis propter conscientiam. Verum hæc distinctio, prout ab illis explicatur contra pontificios, etsi perperam a nonnullis intellecta, id prorsus confirmat, quod asserui, Quod non sit contra conscientiam & libertatem christianam, obedire decretis ecclesiæ, dummodo nobis non imponantur tanquam immutabilia præcepta Dei aut præscribantur in rebus, ad fidem & ipsam cultus diuini substantiam pertinentibus, quibus sese immiscendi non habent potestatem, sed tantum in rebus mediis & ad circumstantias religionis referendis.

LIBRI SECVNDI
CAPVT QVINTVM,
Decernere ritus & cærimonias, non esse addere aliquid verbo Dei.

HAEC obiectio ex eodem male intellecto principio, ex quo prior illa, profluit, nimirum, Quod scriptura non solum præscripserit, quæ ad essentiam, sed quæ ad circumstantias etiam cultus religiosi spectant, & quod non liceat vllos ritus

(*t*) Riissen. comp. Turretin. p. 228.

vllasue cæremonias adhibere, quæ in ſacris litteris non ſint diſerte præſcriptæ. Cuius principii abſurditas a viris doctis [u] ſatis exploſa eſt, qui oſtenderunt, fieri non poſſe, vt vllus omnino habeatur cultus religioſus, ſi hoc principium vbique admittatur. Quidquid heic demonſtrandum mihi ſumſi, hoc eſt, non eſſe eccleſiæ *Gallicanæ* doctrinam, Quod decernere ritus & cærimonias ſit addere aliquid verbo Dei. Sæpiſſime occaſionem habent *Galli* reformati hac de re diſſerendi in diſputationibus ſuis cum pontificiis, quos hoc argumento vrgent contra traditiones non ſcriptas; vt adeo in cognoſcenda eorum ſententia hac de re falli non poſſimus. DANIEL CHAMIERVS duo vel tria integra capita aduerſus ROBERTVM BELLARMINVM de hac ipſa materia habet, Quod non liceat verbo Dei quiddam addere: At vero ſe hoc tantum intelligere declarat in rebus fidei & morum ad ſalutem neceſſariis. *Si a ſcriptura*, inquit, *nihil detrahendum eidemque nihil eſt addendum, ergo ſcriptura omnia perfecte continet ad ſalutem neceſſaria.* [w]

NON dicit, quod ſcriptura omnes ritus & cærimonias contineat, quas adhibere liceat, & quod vllas alias adhibere ſit addere verbo Dei. Minime. Diſerte potius hoc vllo modo in quæſtione eſſe negat. Vnde quum HOSIVS contenderet, eccleſias reformatas non minus quam papicolas verbo Dei addere, eo quod diuerſos ritus & conſuetudines haberent, in ſacra ſcriptura non obuias; in hunc modum reſpondet [x]: *HOSIVS ſeſe oſtendit hominem harum controuerſiarum nondum capacem, quum diſcedit a dogmatis fidei ad diſciplinæ partes, quas ſemper catholici crediderunt eſſe liberæ obſeruationis.*

EXEMPLI loco morem inducit cantandi pſalmos *Dauidicos*, quo viri & mulieres promiſcue vtantur, quum in eccleſiam conveniant & quidem rythmis *Gallicis*. [y] *At hoc, inquiunt, non habetur in ſcriptura. Inepte. Quaſi vero ageretur de dogmate fidei, quod eſſe perpetuum oporteat: et non de decentia ordinis, quæ*

(u) *Dr.* Sherlock's *Defence of Dr. Stillingfleet* cap. II. p. 34. *Dr.* Whitby *Prot. Reconcil.* part. II.

(w) Cham. panſtrat. tom. I. de canone lib. VIII. cap. VI. n. I.

(x) Ibid. lib. IX. cap. XI. n. III.

(y) Ibid. num. V.

variari

variari possit, pro locis, temporibus, immo etiam personis. - - In ritibus consultissimum est Augustini consilium in epistola centesima aecima nona: "Vna in bis saluberrima regula tenenda est, vt, quae non "sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad "exhortationem vitae melioris, vbicumque institui videmus, vel insti- "tuta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & "imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, vt am- "plius detrimentum sit." Hactenus CHAMIERVS.

Ex quibus manifestum est, crimen addendi aliquid verbo Dei non committi per nouorum rituum & caerimoniarum, in scripturis non praescriptarum, institutionem, sed in nouorum dogmatum fidei & morum propositione, quae Deus tanquam necessaria ad salutem non mandauit. Et ratio, quam de hac differentia reddit CHAMIERVS, solida & vera est. Quia haec a Deo praecise determinata, ista non ita praescripta, sed libertati & sapientiae cuiusque ecclesiae relicta sunt, vt de illis, prout occasio ferat, statuat, secundum generalem illam regulam apostoli: *Fiant omnia decenter & ordine.*

D. ANDREAS RIVETVS quaestionem circa addendas verbo Dei non scriptas traditiones plane eumdem in modum constituit. *Inter nos*, inquit [z], *non agitatur controuersia de rebus, ad εὐταξίαν & ordinem conuentuum ecclesiasticorum pertinentibus, quorum circumstantias omnes fatemur in scripturis non haberi, sed tantum regulas communes, ex quibus, qui praesunt, & quorum est ordinem in ecclesia seruare, possunt, adhibita inuocatione nominis Dei & circumstantiarum consideratione, constituere, quid sit obseruandum & quousque.* Hinc papistas dicit mutare statum quaestionis a rebus fidei ad res caerimoniae, dum accusent protestantes, quod non minus verbo Dei addant per caerimonias suas non scriptas, quam papistae per traditiones suas non scriptas, in rebus fidei. Hoc iure ignorationem elenchi vocat.

IN eamdem sententiam PETRVS MOLINAEVS in responsione ad PERRONIVM, aulae *Romanae* purpuratum, loquens de falso credita potestate ecclesiae adiiciendi ad scripturam, ait, *Non obstante,*

(z) Riuet. exercit. XIII. in Genes. p. 71. (p. 57. edit. Roterod. MDCLI. fol.)

quod

vllasue cæremonias adhibere, quæ in ſacris litteris non ſint diſerte præſcriptæ. Cuius principii abſurditas a viris doctis [u] ſatis exploſa eſt, qui oſtenderunt, fieri non poſſe, vt vllus omnino habeatur cultus religioſus, ſi hoc principium vbique admittatur. Quidquid heic demonſtrandum mihi ſumſi, hoc eſt, non eſſe eccleſiæ *Gallicanæ* doctrinam, Quod decernere ritus & cærimonias ſit addere aliquid verbo Dei. Sæpiſſime occaſionem habent *Galli* reformati hac de re differendi in diſputationibus ſuis cum pontificiis, quos hoc argumento vrgent contra traditiones non ſcriptas; vt adeo in cognoſcenda eorum ſententia hac de re falli non poſſimus. DANIEL CHAMIERVS duo vel tria integra capita aduerſus ROBERTVM BELLARMINVM de hac ipſa materia habet, Quod non liceat verbo Dei quiddam addere: At vero ſe hoc tantum intelligere declarat in rebus fidei & morum ad ſalutem neceſſariis. *Si a ſcriptura*, inquit, *nihil detrahendum eidemque nihil eſt addendum, ergo ſcriptura omnia perfecte continet ad ſalutem neceſſaria.* [w]

NON dicit, quod ſcriptura omnes ritus & cærimonias contineat, quas adhibere liceat, & quod vllas alias adhibere ſit addere verbo Dei. Minime. Diſerte potius hoc vllo modo in quæſtione eſſe negat. Vnde quum HOSIVS contenderet, eccleſias reformatas non minus quam papicolas verbo Dei addere, eo quod diuerſos ritus & conſuetudines haberent, in ſacra ſcriptura non obuias; in hunc modum reſpondet [x]: *HOSIVS ſeſe oſtendit hominem harum controuerſiarum nondum capacem, quum diſcedit a dogmatis fidei ad diſciplinæ partes, quas ſemper catholici crediderunt eſſe liberæ obſeruationis.*

EXEMPLI loco morem inducit cantandi pſalmos *Dauidicos*, quo viri & mulieres promiſcue vtantur, quum in eccleſiam conveniant & quidem rythmis *Gallicis.* [y] *At hoc, inquiunt, non habetur in ſcriptura. Inepte. Quaſi vero ageretur de dogmate fidei, quod eſſe perpetuum oporteat: et non de decentia ordinis, quæ*

(u) *Dr.* Sherlock's *Defence of Dr. Stillingfleet* cap. II. p. 34. *Dr.* Whitby *Prot. Reconcil.* part. II.

(w) Cham. panſtrat. tom. I. de canone lib. VIII. cap. VI. n. I.

(x) Ibid. lib. IX. cap. XI. n. III.

(y) Ibid. num. V.

variari

variari possit, pro locis, temporibus, immo etiam personis. - - In ritibus consultissimum est Augustini consilium in epistola centesima aecima nona: "Vna in his saluberrima regula tenenda est, vt, quæ non "sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad "exhortationem vitæ melioris, vbicumque institui videmus, vel insti-"tuta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & "imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, vt am-"plius detrimentum sit." Hactenus CHAMIERVS.

Ex quibus manifestum est, crimen addendi aliquid verbo Dei non committi per nouorum rituum & cærimoniarum, in scripturis non præscriptarum, institutionem, sed in nouorum dogmatum fidei & morum propositione, quæ Deus tanquam necessaria ad salutem non mandauit. Et ratio, quam de hac differentia reddit CHAMIERVS, solida & vera est. Quia hæc a Deo præcise determinata, ista non ita præscripta, sed libertati & sapientiæ cuiusque ecclesiæ relicta sunt, vt de illis, prout occasio ferat, statuat, secundum generalem illam regulam apostoli: *Fiant omnia decenter & ordine.*

D. ANDREAS RIVETVS quæstionem circa addendas verbo Dei non scriptas traditiones plane eumdem in modum constituit. *Inter nos*, inquit [z], *non agitatur controuersia de rebus, ad εὐταξίαν & ordinem conuentuum ecclesiasticorum pertinentibus, quorum circumstantias omnes fatemur in scripturis non haberi, sed tantum regulas communes, ex quibus, qui præsunt, & quorum est ordinem in ecclesia seruare, possunt, adhibita inuocatione nominis Dei & circumstantiarum consideratione, constituere, quid sit obseruandum & quousque.* Hinc papistas dicit mutare statum quæstionis a rebus fidei ad res cærimoniæ, dum accusent protestantes, quod non minus verbo Dei addant per cærimonias suas non scriptas, quam papistæ per traditiones suas non scriptas, in rebus fidei. Hoc iure ignorationem elenchi vocat.

IN eamdem sententiam PETRVS MOLINAEVS in responsione ad PERRONIVM, aulæ *Romanæ* purpuratum, loquens de falso credita potestate ecclesiæ adiiciendi ad scripturam, ait, *Non obstante,*

(z) Riuet. exercit. XIII. in Genes. p. 71. (p. 57. edit. Roterod. MDCLI. fol.)

quod

quod sint multa ad ecclesiasticam politiam & externum ordinem pertinentia, quæ non reiicimus, etiamsi non sint in scriptura; dummodo nihil contineant bonis moribus contrarium nec iusto sint numerosiora, nec data tanquam necessaria ad salutem, nec doctrinæ fidei, in scripturis comprehensæ, æquiparentur.

SIC iterum in libro inscripto *Buckler of Faith*, seu defensione confessionis *Gallicanæ* aduersus exceptiones ARNOLDI Iesuitæ. Quum dixisset ARNOLDVS, articulum quintum confessionis reiicere omnes obseruationes & consuetudines ecclesiæ sub notione additionum ad verbum Dei; respondet, falsam hanc esse fidei suæ interpretationem. *Falsum est*, inquit, *nos omnes reiicere traditiones; nam præterquam quod scriptura ipsa sit traditio, multa sunt, quæ ad politiam ecclesiasticam & externum ordinem spectant, quæ in scriptura non nominantur. Nos eas tantum traditiones reiicimus, quæ si reciperentur, consequeretur, vt scriptura non omnes doctrinas ad salutem necessarias complectatur.* [b]

HAEC adducta testimonia satis perspicue nobis ostendunt opinionem ecclesiæ *Gallicæ*, Quod per additiones ad verbum Dei non intelligat, vti quidem ii, qui ab ecclesia nostra in *Anglia* dissentiunt, leges vel traditiones ecclesiasticas de indifferentibus ritibus & cærimoniis; sed istiusmodi traditiones, quæ mortalibus alia fidei dogmata, alias vitæ regulas, tanquam necessario requisitas a Deo in ordine ad salutem, obtrudunt.

SVBIVNGAM tantummodo hisce LVDOVICI le BLANC, viri candidi & accurate constituendi controuersias inter protestantes & papistas peritissimi, testimonium. *Vt vitetur omnis ambiguitas*, inquit, [c] *nonnulli ex nostris theologis vtuntur heic distinctione clariori & commodiori. Obseruant enim, distinguendum esse inter ea, in quibus substantia est & quasi corpus religionis christianæ, et quæ ex vi diuinæ institutionis necessaria sunt, non tantum ad fidem, sed etiam ad mores formandos, politiamque ecclesiæ continendam: et alia, quæ sunt tantum huius substantiæ veluti appendices & corporis huius ornamenta, quæque nec ex na-*

(a) Molin. resp. ad Perron. de nouit. papismi lib. I. cap. LI. p. 151.

(b) Molin. *Buckler of Faith* p. 42.

(c) Le Blanc thes. de scripturæ plenitud. part. I. n. VI. VII. p. 56.

tura

tura sua, nec ex diuina institutione necessaria sunt, sed indifferentia, ordinisque tantum & decori gratia in vsum recepta: vt sunt multæ disciplinæ partes, variis canonibus sancitæ, ritus etiam & cærimoniæ variæ tum vniuersales, tum particulares obseruationis liberæ quidem, sed hactenus, vt nemo sua priuata auctoritate illa possit aut debeat contemnere, reiicereue. Res prioris generis adserimus sacra scriptura contineri, non item alias istas, quæ sunt ad ecclesiæ fidem, mores & disciplinam veluti accidentariæ. Multa enim, quæ pertinent ad varias diuini cultus & ecclesiasticæ politiæ circumstantias, fatemur non esse sigillatim in scriptura tradita; sed relicta prudentiæ præpositorum ecclesiæ sub hoc generali præcepto, vt omnia fiant ordine & decenter in ecclesia Dei. Vnde patet, ab ecclesiæ Romanæ doctoribus frustra contra nos in hac controuersia varias instantias peti a ritibus, statutis & cærimoniis quibusdam, quæ in ecclesia antiqua siue iudaica siue christiana olim obseruatæ sunt, et etiamnum apud nos seruantur tam in diuino cultu, quam in politia ecclesiastica, etiamsi nihil de iis in scriptura constitutum sit.

LIBRI SECVNDI
CAPVT SEXTVM,

Ecclesiam *Gallicam* non reiicere cærimonias eo, quod sint significatiuæ, sed eas tanto magis approbare ex hac ipsa ratione.

SVNT, qui ecclesiæ potestatem decernendi ritus & cærimonias concedunt, sed reiiciunt indebitum huius potestatis vsum & exercitium, quo eam putant officii sui limites transilire; 1. Dum præscribat ritus significatiuos seu symbolicos; 2. Dum eorum obseruantiam faciat necessariam ad salutem; 3. Dum imponat illos cum offensione eorum, qui ad eos se conformare non possint, adeoque schisma & dissidium inter suos efficiat. Licet vero istæ obiectiones non pertineant ad articulum vicesimum, qui ecclesiæ legitimam tantum potestatem decernendi ritus & cærimonias vendicat; quia tamen sunt ex maxime vulgaribus popularibusque obiectionibus contra ritus, et nos iam in hoc argu-

mento versamur, examinabo eas ad regulas & principia communiter recepta in ecclesia *Gallicana;* et ecclesiam *Anglicanam* ostendam non esse adeo singularem in tuendis ritibus, nec adeo arrogantem, vti quidam falso eam depingunt.

PRIMO, Nonnulli illam in eo accusant, quod ritus instituat significatiuos; sed vero in hoc ipso eam potius commendant. Et sane obiectio maius pondus haberet, si aliter fieret. Quem enim in finem ecclesia aliqua institueret ritus inutiles nihilque significantes? Vbi vero damnum est, quoad nihil significant nisi quod bonum & vtile est, et diuinum decet atque ornat cultum? CALVINO certe melius se probaturi erant; nam inter alia, quae in licitis ritibus & caerimoniis requirit, hoc est, *vt modestiam nostram & grauitatem in religiosis actionibus exprimant, vt venerationem rebus sacris concilient, vt talibus adminiculis ad pietatem excitemur.* Quod profecto facere non possunt, nisi eos aliquid significare concedamus. Praeterea eamdem in rem haec habet: *Illud nobis decorum erit, quod ita erit ad sacrorum mysteriorum reuerentiam aptum, vt sit idoneum ad pietatem exercitium; vel saltem quod ad ornatum faciat actioni congruentem: neque id ipsum sine fructu, sed vt fideles admoneat, quanta modestia, religione, obseruantia sacra tractare debeant.* [d]

AN vero haec omnia fieri possunt per caerimonias nihil significantes? Pergit ille: [e] *Vt pietatis exercitia sint caerimoniae, ad Christum recta deducant, necesse est.* Vanae autem & nihil significantes caerimoniae hoc facere nequaquam possunt. Significent ergo aliquid, oportet, si ad docendum aptae sint; et hominum animis quidpiam, quod bonum est, insinuent, si exercitia ad pietatem sint & deuotionis adminicula. Deuotio enim internus actus mentis est, nec per externas caerimonias excitari aliter potest, nisi quatenus aliquid symbolici habent, quod monere & excitare symbolo suo possit.

ALIO loco [f] caerimonias symbolicas disertis verbis approbat. *Ne quis calumnietur*, inquit, *nos in rebus externis nimium esse morosos - - hic testatum velim piis lectoribus, me non de caeri-*

(d) Caluin. instit. lib. IV. cap. X. n. XXVIII. XXIX.
(e) Caluin. ibid.
(f) Caluin. de reform. eccles. cap. XVI. p. 278.

moniis

moniis litigare, quæ decoro tantum & ordini ſeruiunt: vel etiam ſymbola ſunt & incitamenta eius, quam Deo deferimus, reuerentiæ.

NON credidit ergo CALVINVS, eſſe hoc noua ſacramenta inſtituere, ſi eccleſia ritibus vtatur ſymbolicis, qui per abſtruſiorem ſignificationem ſuam hominum mentes ſpiritualis cuiusdam officii commoneant, et per externa ſigna mortales ad internam deuotionem inuitent. Si omnes iſtiuſmodi cærimoniæ noua ſacramenta eſſent, eccleſia *Gallicana*, CALVINI regulas hac in re ſequuta, non minus accuſari poſſet de factis nouis ſacramentis, quam alia vlla. Multiplices enim variæque cærimoniæ ſignificatiuæ in liturgia illius & diuini cultus formis reperiuntur. Paucas quasdam in exemplum proponam.

LIBER eorum, qui diſciplina [*g*] vocatur, præcipit, vt *omnes ſine vlla exceptione vlloue perſonarum diſcrimine, durantibus tam publicis quam priuatis precationibus, capita aperiant & ſubmittant genua, eam quidem ob cauſſam, vt his externis ſignis animi ſui ſubmiſſionem & reuerentiam, quam Deo deferant, teſtificentur.* An non hi ritus ſunt ſignificatiui, ſi externa ſigna ſunt, ad teſtificandam & ſignificandam humani animi ſubmiſſionem & deuotionem comparata? Aiunt, *contrariam conſuetudinem magnam arguere irreuerentiam & dare ſuſpicionem ſuperbiæ, atque offendere bonas mentes, ideoque eam reiiciunt.* Significantiam videmus aliam earum eſſe rationem. Nam vt alteram cærimoniam præſcribunt, eo quod reuerentiam & animi ſubmiſſionem ſignificet, ita prohibent alteram, quia irreuerentiam & ſuperbiam arguat aliorumque hominum impediat deuotionem.

IN forma ordinationis in eodem libro deſcripta quatuor cærimoniæ [*h*] ſignificatiuæ præcipiuntur. 1. "Miniſter ordinans " iubetur precari ſtando ſubter pulpitum. 2. Manus imponere " capiti ordinandi. 3. Ordinandus in genua prouolui debet. " 4. Finitis precibus, duos miniſtros, a colloquio vel ſynodo " delegatos, nouo paſtori, præſente & ſpectante populo, dex" tram conſociationis dare oportet. Atque hæc forma vnani" miter obſeruanda dicitur in omnibus eccleſiis."

(*g*) Diſciplin. eccleſ. Gallic. cap. X. artic. I.

(*h*) Ibid. cap. I. artic. VIII.

Heic quidem nobis non commemorant, vt antea, quid istæ cærimoniæ significent; verum singularum significatio tam naturalis & obuia est, vt explicatione haud egeant. Minister, qui ordinat, precatur stans, ad significandum, se agere in nomine Dei eiusque ex auctoritate. Manus imponit capiti ordinandi, ad significandam spiritualium beneficiorum impertitionem. Ordinandus genua submittit, ad significandam animi sui submissionem. Vbi ordinatus est, ministri dextram consociationis ei dant, ad significandum, se eum agnoscere laborum suorum socium & in opere Domini consortem. Sunt hæ æque significantes cærimoniæ atque vlla earum, quæ in ecclesia *Anglicana* adhibentur, vt gestus flectendi genua ad recipiendam sacram eucharistiam, inclinandi corpus ad nomen IESV, signandi signo crucis in baptismo; et quidquid contra hosce ritus ob significantiam suam obiectum fuerit, non minus contra istos valebit. Quid? quod ipse sedendi gestus sit cærimonia significatiua; cuius significantiam certi homines, si lubet, pro argumento adhibere possunt ad probandum, hunc gestum in celebratione eucharistiæ esse omnium conuenientissimum, quia significet requiem nostram in CHRISTO! Sic DIDOCLAVIVS olim in *altari suo Damasceno; Sessio commendatur per significationem mysterii; nimirum requiei nostræ in CHRISTO.* Et auctores admonitionis ad patres supremæ curiæ regni eam dicunt denotare requiem & consummationem cærimoniarum legis in CHRISTO [*i*].

Vix quispiam de hac significatione diuinaturus fuisset, nisi hi rituum expositores eam nobis tradidissent. Vtcumque est, gaudemus & lætamur, non habere illum ritum in *Anglia* deteriorem aliquam significationem. Nam in quibusdam regionibus significationem habet omnino intolerabilem. *Ariani* in *Polonia* sessione vtuntur, ad significandam familiaritatem suam cum CHRISTO, creatura socia. Quam ob caussam a quatuor synodis generalibus *Lithuaniæ* & *Poloniæ*, nimirum a synodo *Sendomiriensi*, *Cracouiensi*, *Petricouiensi* & *Vladislauiensi* interdicta est, quod legi potest in *consensu Poloniæ* & *harmonia confessionum fidei.* Sæpius cogitaui, quod si non esset vlla ratio alia, cur

(*i*) Vid. hi auctores apud L'Estrange in libro *Alliance of divine offices.*

sessio

ſeſſio haud debeat vſurpari, hæc vna ſola res vnumquemque ad eam improbandam ſatis poſſet impellere, quod nusquam adhibita fuerit tanquam neceſſarius geſtus, niſi ab his *Arianis*, qui primi ad exemplum Seruatoris noſtri prouocarunt. Etſi enim in eccleſia *Belgica* vſitata eſt ſeſſio, quæ IOANNE FORBESIO obſeruante [*k*], vna ſola eccleſia ex proteſtantibus eſt, quæ eam adhibet, non tamen ea vtitur, vt geſtu neceſſario ſed vt cærimonia ſacramenti libera, quæ vſurpari vel non vſurpari poſſit, prout eccleſiæ videatur expedire: neque enim *Belgæ* damnant quempiam, qui aliter faciat. Eccleſia etiam *Gallicana* tantum abeſt, vt ſeſſionem neceſſariam eſſe autumet, vt ſimpliciter prohibeat & contrarium geſtum requirat; quemadmodum oſtendam, vbi de hoc capite loquar ſeorſum. In præſenti tantum obſeruo, ſignificantiam cærimoniarum non eſſe idoneam cauſſam repudiandi eas, niſi quidpiam mali ſignificent; tum enim reiiciendæ ſunt. Ita eccleſiæ *Polonicæ* ſeſſionem ad menſam communionis reiiciunt ob cauſſam, quam modo memoraui. Si vero nihil ſignificant, niſi quod bonum rectumque ſit, et adiumenta ſunt ad excitandas mentes noſtras ad pietatem & deuotionem, tum ſignificantia eas commendat; et quisquis de illis hanc ob cauſſam contendit, eum ſe aduerſarium CALVINI & eccleſiæ *Gallicanæ* profiteri oportet. Vti BAXTERVS [*l*] reuera facit, quando in integro quodam capite id agit, vt crucem in baptiſmo humanum ſacramentum effici probet. 1. Quia externum ſignum gratiæ efficiatur. 2. Quia credatur ratio conferendi gratiam. 3. Quia ſit ſignum fœderale, 4. Et ſymbolum ſeu inſigne ordinis profesſi. Præcipua horum pars falſa eſt accuſatio: quoad autem recte ſe habent, pariter contra CALVINVM & vniuerſam eccleſiam *Gallicanam* valebunt. 1. Falſum eſt, quod viſibile ſignum gratiæ efficiatur. 2. Falſum eſt, quod efficiatur fœderale ſignum dedicandi ſe Deo: nam ſignum tantummodo eſt, quo hominibus declaratur, baptizatum recipi in eccleſiam & ex virtute baptiſmi ſui oportere viuere tamquam membrum CHRISTI. Quando-

(*k*) Forbeſ. irenic. lib. II. c. XVI. Quamuis in Belgio quidam ſedeant, non tamen ſeſſionem in hac celebratione iudicant eſſe neceſſariam, ſed ea vtuntur vt cærimonia quadam libera.

(*l*) Baxt. *Engl. Nonconformity* cap. XII.

quidem hoc nihil aliud eſt, quam quod in omnibus ſit ſocietatibus, vt in illas cooptentur membra, adhibitis quibusdam ſollemnibus admiſſionis ritibus, in ſignum, quod eos pro membris ſocietatis reputent; quemadmodum rem explicat EDVARDVS STILLINGFLEETVS. [*m*] 3. Falſum eſt, quod credatur ratio conferendi hominibus gratiam, niſi probare poſſit, eccleſiam applicare per eam merita CHRISTI, ſicut per alia facit ſacramenta. Quatenus autem dicitur eſſe ſymbolum ſeu inſigne profeſſionis noſtræ, quo admiſſio noſtri in eccleſiam crucifixi cuiusdam domini & propoſitum noſtrum in ea profeſſione perſeuerandi ſignificatur; nihilo plus noxæ in ea ineſt, quam in vlla alia cærimonia, quæ noſtrum præſentem ſtatum, voluntatem & intentionem in ea perſiſtendi ſignificat. Conſurrectio ad ſymbolum fidei non minus nouum ſacramentum erit, quam ſignum crucis, ſi hæc vera regula eſſet iudicandi, quid ſit ſacramentum.

VERVM BAXTERVS contendit, crucem eſſe ſacramentum, quia præfatio, libro publicarum precationum præfixa, de cærimoniis dicat, [*n*] *Eccleſiam retinere illas tantum cærimonias, quæ faciant ad decorum, bonum ordinem, diſciplinam, et quæ aptæ ſint ad excitandam ſtupidam hominis mentem ad recordationem officii ſui erga Deum notabili quadam & ſpirituali ſignificatione* (ita legit BAXTERVS pro *ſpeciali* ſignificatione) *qua ædificetur.* Hinc concludit, Quod *crux ſit ſacramentum, quia ſignificet CHRISTVM crucifixum cum beneficiis crucis eius; et gratiam ædificationis, dum ſtupidas mentes noſtras morali rei ratione excitet & ad conſtantiam in profeſſione CHRISTI compellat.*

ITA vero omnes ſignificantes & ædificantes cærimoniæ, non minus quam crux, noua ſacramenta ſint, oportet, maxime ſi ad ſtupidas noſtras mentes ad noſtri erga Deum officii recordationem notabili quadam & ſpeciali ſignificatione excitandas aptæ ſint. Ritus item aperiendi caput & ſubmittendi genua ad preces, in eccleſia *Gallica* vſitatus, ſacramentum erit æque ac vlla cærimonia alia. Spero autem, negaturum eſſe neminem, quod ſint ſpecialis quædam ſignificatio internæ reuerentiæ & humilitatis, et quod ad ſtupidas mentes noſtras ad horum officiorum recorda-

(*m*) Stillingfl. *Unreaſonabl. of Separation* p. 350.
(*n*) Preface of the Common Prayer-Book, about Ceremonies.

cordationem excitandas aliquid valeant. Ita regulæ CALVINI omnes cærimonias in ſacramenta conuertent, quia cærimonias cupit eſſe incitamenta eius, quam Deo deferimus, reuerentiæ & idonea ad pietatem exercitia; tales, quæ ad CHRISTVM recta nos deducant, quæ venerationem rebus ſacris in animis noſtris concilient & ſint adminicula, quibus ad pietatem excitemur, quæ nos admoneant, quanta cum modeſtia, grauitate & obſeruantia religioſas actiones tractare debeamus. Hoc ex ſtilo eccleſiæ eſt ſtupidas mentes noſtras ſignificantibus cærimoniis excitare: at vero ex BAXTERI notione eſt noua ſacramenta facere.

QVASI vero nihil nos de noſtro officio admonere poſſit, quin ſtatim fiat ſacramentum; quum tamen vix quidquam ſit in mundo, quod nobis bonas quaſdam cogitationes via quadam ordinaria ſuggerere et in nos operari non poſſit, perinde atque ea, quæ oculis & mentibus noſtris externe obiiciuntur; aut verba commode dicta, et opportune data monita: quæ tamen noua theologia foret vocare ſacramenta, licet forte eorum quædam id nominis rectius gerere poſſent, quam ſignum crucis, aut vllæ aliæ ſignificatiuæ cærimoniæ eccleſiæ, quas hoc nomine accuſat BAXTERVS. Nihil eſſe poteſt ſacramentum, niſi quod ad ſupernaturalem gratiam via quadam extraordinaria conferendam inſtitutum ſit. Probet iam, quicumque poteſt, eccleſiam vllas cærimonias hunc in finem inſtituiſſe, et fatebor, eam crimine vſurpatæ auctoritatis Dei ſuo merito accuſari: Sin autem oſtendi nequit, eam ritus & cærimonias inſtituiſſe, vt ſignificarent, aut ſignificantia ſua producerent vllos alios quam communes & ordinarios effectus in mentibus noſtris, et via quidem ordinaria & naturali; tales videlicet, quos externa obiecta, decentes circumſtantiæ actionis (quæ ad pietatem adminicula eſſe poſſunt) communiter producunt: homines male agunt, quod mentes ſimpliciores ſauciant & terrent, dum efficiunt, vt tam falſæ criminationi in eccleſiam fidem habeant; quæ res non ſolum ad detrimentum veritatis & pacis apud nos, ſed ad offenſionem etiam ſpectat omnium eccleſiarum reformatarum, et ſpecialius eccleſiæ *Gallicanæ*, cuius principia & conſuetudines oſtendi eaſdem eſſe, quæ ſunt principia & conſuetudines eccleſiæ *Anglicanæ*, & conſequenter eidem criminationi obnoxias.

PAVLLO

PAVLLO longius huic argumento dilucidando & vindicando immoratus ſum, quia criminatio in eccleſiam tam inuidioſa eſt et aduerſarii tam confidenter eam factitant.

LIBRI SECVNDI

CAPVT SEPTIMVM,

Eccleſiam *Gallicanam* ritus & cærimonias ſuas æque neceſſarias facere atque eas facit eccleſia *Anglicana*.

PROXIMA criminatio in eccleſiam noſtram eſt, Quod enormi quadam poteſtate vtatur in ritibus & cærimoniis, quæ res mediæ ſint, efficiendis neceſſariis; quod ſit mutare earum naturam & facere nouas conditiones communionis & æternæ ſalutis. Ad quæ reſpondeo, criminationem in omni ſua parte eſſe falſam. Eccleſia non mutat rerum mediarum naturam, nec eas proprie facit conditiones communionis, vel conditiones ſalutis. Primo, Non facit mutationem in rerum mediarum natura, ſed tantum coërcet earum vſum in externo actu, haud vllam eis imponens neceſſitatem doctrinalem, quæ vna ſola res eſt, quæ earum naturam poteſt mutare. Non dicit, eas eſſe abſolute neceſſarias atque natura ſua immutabiles, nec eas imponit vt neceſſarias omnibus temporibus & locis, nec vllam aliam eccleſiam, præter ſua ipſius membra, ad accipiendas illas pro particularibus mandatis Dei, quæ nemo poſſit mutare, adigit; ſed quidquid exigit, conformitas eſt in actu externo, pacis & vnionis, decori & ordinis ſeruandi cauſſa. Hæc declaratio ab ipſa eccleſia facta legitur in præfatione libri communium precum de cærimoniis. *Hæ cærimoniæ, quæ ſuperſunt, diſciplinæ & ordinis ergo retinentur, quæ ex idoneis rationibus variari poſſunt & mutari, adeoque legi Dei non ſunt æquiparandæ. - - Quæ dum facimus, non damnamus alias nationes, nec quicquam præſcribimus niſi ſoli populo noſtro. Decere enim exiſtimamus, vnamquamque regionem iis vti cærimoniis, quas ad prouehendum Dei honorem ac glo-*

riam

riam omnium optime facere iudicet. [o] Hæc ſane vera omnium eccleſiarum chriſtianarum libertas eſt, conſtituere, quas cærimonias indifferentes membris ſuis vtiles fore arbitrentur. Non eſt autem vlla chriſtianæ libertatis pars, quæ ad particularia alicuius eccleſiæ membra ſpectet, communitatis ſuæ leges, ad ante memoratas regulas de rebus indifferentibus factas, contemnere ac pro nihilo ducere. Nam res natura ſua indifferentes manent. Et tamen eas obſeruari oportet. Neque vero abſurdum eſt dicere, res manere natura ſua indifferentes & liberas, etiamſi externæ obedientiæ neceſſitas nobis imponatur, niſi omnium eccleſiarum fraudetur ſapientia. LVDOVICVS LE BLANC [p] omnium eccleſiarum *Gallicarum* nomine loquitur, quando, *Sunt multæ diſciplinæ partes*, inquit, *variis canonibus ſancitæ, ritus etiam & cærimoniæ variæ, tum vniuerſales, tum particulares, obſeruationis liberæ quidem, ſed hactenus, vt nemo ſua priuata auctoritate illas poſſit aut debeat contemnere reiicereue.* Præcipi igitur poſſunt & tamen manere indifferentes ac liberæ, ſecundum veram notionem rerum indifferentium, quam ibi dat, nimirum Quod, *quæ nec ex natura ſua nec ex inſtitutione diuina neceſſaria ſunt, indifferentia ſint.*

ITA ergo eccleſiæ noſtræ cærimoniæ indifferentes ſunt & liberæ, etiam poſtquam ſunt imperatæ. Numquam enim dicuntur vel ex ſua natura vel ex diuina inſtitutione neceſſariæ: ſed tantum neceſſariæ eatenus, vt ordinis cauſſa obſeruentur. Et vbi hæc diſputata fuerint quam longiſſime, eamdem hanc rationem eccleſiæ *Gallicæ* & ceterarum omnium, quæ de rebus mediis ſeu indifferentibus agunt & loquuntur ſagaciter, eſſe apparet.

ENIMVERO eccleſia *Anglicana* ritus & cærimonias facit neceſſarias conditiones communionis eccleſiaſticæ, adeoque neceſſarias conditiones æternæ ſalutis? Heic iterum rogo: Num eccleſia ex ritibus ſuis peculiaribus vllos tam neceſſariæ obſeruationis facit per doctrinalem quamdam neceſſitatem, vt dicat, Niſi hoſce ritus peculiares obſeruaueritis, non poteſtis ſeruari? Num dicit, Niſi quis cruce ſignetur in baptiſmo, baptiſmus illius non eſt

(o) Preface of the Common-Prayer Book, about Ceremonies.
(p) Le Blanc theſ. de ſcript. plenitud. part. I. n. VI. p. 56.

validus, vt eum membrum CHRISTI & hæredem ſalutis efficiat? Niſi quis recipiat euchariſtiam ſubmiſſis genibus, non poteſt particeps fieri corporis & ſanguinis CHRISTI? Minime. Iniungit tamen haſce cærimonias, nec quisquam more vſitato ſacramentum ſine illis poteſt accipere? Num hoc autem eas efficit novas conditiones communionis ſalutis? Si dixeris efficere, tunc eccleſia *Gallica* & omnes eccleſiæ in orbe terrarum, immo ipſimet aduerſarii accuſari poterunt, quod nouas conditiones ſalutis faciant. Planum aliquem caſum ponam, quem ad omnes eccleſias puto pertinere. Finge, quempiam cupere admitti ad baptiſmum, vel ad communionem huius illiusue eccleſiæ; nonne neceſſe habet ad peculiares iſtius eccleſiæ conſuetudines ſeſe accommodare quod ad tempus, quando, & ad locum, vbi hæc ſacramenta adminiſtranda ſunt? Ad ædem ſacram, non ad riuum quemdam vel ſtagnum conferre ſe debet, vt baptizetur; congregationi in inferiore ædis parte ſe iungere, non in ſuperiorem quemdam locum adſcendere debet, & mane quidem ſtata hora, ſi euchariſtiam cum reliquis velit accipere. Iam poſito, eſſe aliquem adeo vel infirmum vel peruerſum, vt cum eccleſia communicare recuſet, eo quod hoc peculiare tempus, hunc peculiarem locum adminiſtrandis ſacramentis præſcripſerit (quæ ex omnium confeſſione circumſtantiæ ſunt per ſe indifferentes) & dicat, CHRISTVM non inſtituiſſe eiuſmodi conditiones communionis, ſed omnia tempora & loca iuſſiſſe eſſe indifferentia; adeoque ſe cum illis communicare haud poſſe, niſi libertatem ipſi concedant id faciendi, vbi & quando ipſe voluerit. Num hoc iuſtam ei cauſſam criminandi eccleſiam idoneumque argumentum daret ad probandum, eam alias neceſſarias conditiones communionis addere, quia haſce particulares circumſtantias temporis & loci præſcribat, quæ ex ſua natura ſint indifferentes? Neminem cenſeo, niſi delirum aut fanaticum hominem, ſic cogitaturum. Et hæc tamen criminatio eſt, qua in eccleſiam *Anglicanam* vtuntur aduerſarii, quia indifferentes quasdam circumſtantias, ad ſacramentorum adminiſtrationem ſpectantes, inſtituit. Accuſatio eſt, quæ in eos reſilit, qui eam factitant. Et omnes eccleſias proteſtantes conſauciat, maxime vero *Gallicanam*; id quod diſtinctius oſtendendi locus erit, quando de baptiſmo & de com-

communione cœnæ dominicæ agam; vbi planum faciam, quod
[illegible] indifferentes circumstantias, ritus & cærimonias obseruā-
[illegible], neque tamen isti criminationi se credat obnoxiam, quod
[illegible] conditiones communionis faciat. Quidquid hoc loco ad-
huc dicturus sum, eo solùm valet, vt generatim ex vero tamen
ponam quid sit nouas communionis conditiones facere; quod
quum non attendatur, vnica huius obiectionis ratio videtur esse.
Ecclesia igitur quædam rea est nouarum conditionum commu-
nionis, si quid requirat tanquam necessariam conditionem, quod
requirendi auctoritatem ei non dedit CHRISTVS. Atque hoc
fieri potest. 1. Si nouum quemdam fidei articulum credendum
offerat. Vel 2. vitiosam quamdam consuetudinem, tamquam
conditionem communionis. Vel 3. Si quem ritum præscribat
tamquam ex natura sua simpliciter necessarium, qui indifferens
est, & reliquos omnes tanquam vitiosos damnet. Hoc enim re-
vera est corrigere leges CHRISTI & mutare rerum indifferen-
tium naturam; quod nulla ecclesia faciendi habet potestatem.
Neque 4. ei licet cærimonias suas aliis ecclesiis imponere aut
communionem cum illis repudiare, quæ eas recusant recipere.
Nam omnes ecclesiæ libertate gaudent ritus sibi ipsis præscriben-
di, & si qua ecclesia aliis præscribere audet, extra cancellos po-
testatis suæ egreditur nouasque facit communionis conditiones.
Aliter autem res se habet, si ecclesia ritus & cærimonias tantum
suæ ipsius communionis membris præscribit; tum enim nihil fa-
cit, nisi quod faciendi CHRISTVS ei potestatem dedit. Vnde
particulares temporis, loci, vestimenti, gestus, methodi, formæ
aliarumque eiusmodi rerum circumstantias, ordinis & decori, pa-
cis & vnionis caussa præscribere, non potest esse nouas conditio-
nes communionis facere: quia generale mandatum a CHRISTO
habet prouidendi, vt omnia decenter & ordine fiant in mem-
brorum suorum commodum atque ædificationem. Sane pro-
prie loquendo tantum abest, vt eiusmodi præscriptæ circumstan-
tiæ sint nouæ conditiones communionis, vt stricte sumtæ vix aut
ne vix quidem conditiones communionis sint; nisi quis omnes or-
dines & regulas regiminis & disciplinæ ecclesiasticæ conditiones
communionis vocare velit; quia varias particulares circumstan-
tias, vt tempus, locum, gestum & id genus res alias, in sacramen-

 torum

torum administratione præscribunt, quas CHRISTVS non præscripsit, arbitrio ecclesiæ permissas. An vero ecclesia *Anglicana* sola rea est, reliquis ecclesiis omnibus idem impune facientibus?

Si dixeris, ecclesiam *Anglicanam* nolle admittere quempiam in suam communionem, qui ad regulas ipsius se totum fingere & accommodare recuset: Respondeo, 1. Non omnino rem sic se habere; multos enim admittit, qui non in omnibus ad regulas ipsius sese accommodant. 2. Sæpius ecclesia communionem suam non denegat hominibus, sed hi eam ipsi repudiant. Si enim homines tempore & loco, diuino cultui constituto, ad ecclesiam se conferre nolunt, communionem cum illa habere nequeunt; hoc autem non ecclesiæ sed eorum culpa fit, qui recusant ad necessarias eius sese conformare rationes, quas non facit conditiones communionis, sed tantum regulas disciplinæ ad seruandam in religiosis conuentibus vnitatem & vitandam confusionem. 3. In illis casibus, vbi ecclesia expedire credit, communionem illis denegare, qui regulis ipsius morem gerere nolunt, e. g. illis, qui in baptismo signum crucis recusant vel eucharistiam flexis genibus, aut a ministro, qui amiculo lineo indutus est vel communes precationes legit, recipere nolunt; vel dicendum erit, ecclesiam non habere potestatem præscribendi tales regulas; vel si eas præscribendi potestatem habeat, potestatem etiam habere prouidendi, vt custodiantur & obseruentur, aptas pœnas illis infligendo, qui eas contemnunt Neque tamen istæ regulæ, proprie loquendo, sunt conditiones communionis. Nam vt scriptor quidam insigni præditus iudicio [q] recte obseruat, *Duæ sunt distinctæ rationes, ob quas ecclesia quædam communionem suam alicui denegare potest; vel quia conditiones communionis respuit, vel quia legibus & regulis circa cultum diuinum ne se subiiciat, recusat. Quocirca ridiculum est dicere, ecclesiam omne id facere conditionem communionis suæ, cuius ob repudiationem membris suis communionem denegat. Possumus eas, si placet, vocare conditiones particularis communionis suæ, sed in hoc haud grauiorem culpam sibi ecclesia contrahit, quod tales facit conditiones communionis, quam quum facit*

(q) Rich. Sherlock's *Vindication* of the *Rights of the Ecclesiastical Authority* p. 11.

facit leges in regimine & disciplina obseruandas; istæ enim conditiones haud quidquam aliud sunt. Eædem conditiones sunt, quæ in ecclesia *Gallica* per multos canones in libro disciplinæ & synodis eius requiruntur; qua de re postea loco suo dicentur plura.

LIBRI SECVNDI
CAPVT OCTAVVM,

Ecclesiam *Gallicam* non existimare, vniusmodi rituum ac cærimoniarum æquabiliter obseruandarum impositionem caussam esse schismatis; nec leges suas abrogare aut quempiam illis eximere, quia nonnulli iisdem offendantur.

VLTIMA obiectio contra priuilegium instituendi ritus & cærimonias, quod sibi vendicat ecclesia, ab illis formatur, qui de damnis ex impositione rituum oriundis multa verba faciunt, quam caussam dicunt esse schismatis & dissidiorum in ecclesia; quæ sanari possent, si leges de cærimoniis, quæ nunc obtinent, vel abrogarentur, vel saltem eatenus mitigarentur, vt omnes cærimoniæ permitterentur esse indifferentes & obseruationis liberæ iis omnibus, qui aliquam sollicitudinem & scrupulum de illis haberent. Quid veri insit in hoc argumento, quatenus ad caussam refertur ecclesiæ *Anglicanæ*, exquisiuerunt alii [r], qui ostenderunt. 1. Quod quasdam cærimonias in se indifferentes necesse sit præscribi ad seruandum ordinem in religiosis conventibus, vt tempus, locum, cetera; nihil enim nisi confusionem existere posse sine illis. 2. Quod alias præscribi necesse sit decori caussa in cultu diuino; ne publici cultus simulatione publica Deo imponatur contumelia. 3. Quod omnes externas religionis circumstantias libertati relinquere, adeo non sit sanare dissidia, vt verendum sit, ne tanto plura inde dissidia & odia nascantur. 4. Quod aduersariorum opinio, res indifferentes esse illicitas in cultu Dei, non sit idonea & necessaria caussa eas reiiciendi; quia religio nunquam ita denudari possit, quin aliquot indifferentes

(r) Sherlock's *Defence of Dr.* Stillingfleet, cap. II. p. 44. &c.

ritus & consuetudines remansuræ sint, quas hi illi homines sint damnaturi, aut certe in controuersiam disceptationemque vocaturi, quemadmodum a *Quakeris* vituperamur, quod aperto capite preces facimus & peculiares domus diuino cultui dedicamus, cetera. 5. Quod multo maiori emolumento sit rei christianæ, homines a superstitiosis opinionibus (cuiusmodi ea est, res indifferentes esse vitiosas) deducere & vere euangelicam libertatem tueri, quam tales homines, superstitioni eorum indulgendo, in ecclesiam admittere. 6. Quod licet duarum triumue cærimoniarum abrogatio non multum momenti habitura esset ad sanandum schisma, desertio tamen doctrinæ de legitima rerum indifferentium ratione & reiectio omnium cærimoniarum ex isto principio facta, euangelium deprauatura & christianorum conscientias in seruitutem redactura sit. Quas ob rationes ecclesiam dicunt non oportere nec posse consentire ad abiiciendas omnes res indifferentes, de quibus homines disceptare ament; tametsi potestatem habeat ritus & cærimonias mutandi, quemadmodum pro prudentia & caritate sua id expedire iudicet. Quidquid autem hisce rationibus addam, hoc erit, vt eas ipsis principiis & praxi ecclesiæ *Gallicæ* niti, ostendam.

1. Necesse sibi esse ista ecclesia existimat, varias indifferentes circumstantias & cærimonias constituere in diuino cultu, partim ordinis caussa, ad deuitandam confusionem, partim etiam ad seruandam decentiam & dignitatem externi cultus Dei, ne homines obtentu honoris, quem ipsi deferant, eum adficiant contumelia. Quamobrem multas regulas de faciendis precibus, de habendis concionibus, de administrandis sacramentis & rebus sacris aliis præscribit, Quod omnes orare debeant inflexis genibus et capitibus apertis: Quod baptismum non oporteat administrari, nisi in conventibus ecclesiasticis: Quod sacra cœna accipienda sit a stantibus, & quod ministri eam singulis in manus tradere & certa verborum formula in distributione eius vti debeant; cum multis aliis eiusmodi præceptionibus, quæ in liturgia illius & canonibus habentur, maxime vero in libro disciplinæ, qui ducentos amplius canones continet, quorum permulti ad ordinandas res in conuentibus ecclesiasticis & publico diuini cultus exercitio spectant.

2. Tan-

2. Tantum abest, vt eiusmodi impositionem ordinis, rituum & cærimoniarum caussam schismatis & dissidii esse credat ecclesia *Gallica*, vt declaret, vniformitatem & leges, quibus homines ad tuendam eam obstringuntur, optimum esse conseruandæ vnionis remedium viamque scandalorum & offensionum vitandarum tutissimam. Vti e contrario externas religionis circumstantias vniuscuiusque libertati relinquere, ratio sit creandi factiones & discordias, tumultus & confusiones, & aperta via innumera scandala & incommoda inuehendi in ecclesiam. Hinc, vt supra in capite de vniformitate & subscriptione probaui, ab omnibus ministris suis requirit, vt subscriptione & certis in casibus etiam iureiurando promittant, se omnes regulas in canonibus suis, disciplina & liturgia præscriptas, velle obseruare: quod profecto non est, vniuscuiusque arbitrio permittere, vt ritus & consuetudines sequatur, quascunque velit. Non repetam heic istos canones, nisi duos vel tres, qui nobis iudicium & opinionem illius de vniformitatis vtilitate & legum, ad conseruandam vnionem spectantium, commoditate apertius explanant.

Synodvs apud *S. Maxentii* MDCIX celebrata hunc habet canonem [*s*]: *Quum a delegatis ex inferiore Languedocia facti simus certiores, disparem rationem eligendi, examinandi & ordinandi pastores in diuersis prouinciis vsitatam plurima incommoda inuexisse: hæc synodus maxime necessarium esse iudicat, expressum quemdam canonem condere, ab omnibus omnino prouinciis accurate & vniformiter obseruandum.*

Sic iterum alio canone [*t*]: Vt *in posterum omnes ecclesiæ huius regni in cœnæ dominicæ administratione alia ad aliam se conforment sine vlla differentia, quæ scrupulos infirmioribus, qui sacram actionem a circumstantiis eius distinguere nequeunt, creare possunt: vniuersis pastoribus præcipimus, vt obseruata simplicitate ab omnibus nouis & priuatis suis rationibus se abstineant.* Ne vero putemus, hasce priuatas rationes, quas damnant, esse vllas alias, quam quæ ad externas tantum circumstantias & ritus administrationis spectant, canon progreditur ad exponendum, qua-

(*s*) Synod. ap. S. Maxent. cap. III. art. I. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 357.)

(*t*) Ibid. cap. VI. art. XIV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 375.)

les

les ſint, *Cuiuſmodi*, inquiens, *eſt verborum inſtitutionis recitatio inter ordinarias illas & longas preces, huic ſacramento ſpeciatim præſcriptas, quæ poſtea quidem legi oportet. Nec panem & vinum detegant, dum verba legunt inſtitutionis: nec populum ordine adducant ad menſam, vt ibi ſtent aut conſideant, ſed ad eam ſigillatim accedere iubeant, nec calicem tradant fideles, alter alteri, quippe quod cum expreſſa littera canonis cuiuſdam diſciplinæ noſtræ pugnat, qui a paſtoribus eum dari iubet.* cetera.

Haec teſtimonia dilucide demonſtrant, *Gallis* haud viſum eſſe vtiliſſimum, omnes homines priuatis ſuis rationibus in diuini cultus celebratione & adminiſtratione ſacramentorum permittere. Intelligebant, quod ſi hominibus facultas detur agendi ſuo arbitratu & ſua voluntate, diuerſas & ſingulares inituri ſint vias; et quod ea res ſcrupulos in infirmi populi animis ſuſcitatura eosque inductura ſit ad cogitandum, vel non eſſe eamdem actionem; vel vnam viam altera eſſe meliorem; ex quo conſecuturæ ſint dubitationes, vitioſæ æmulationes, ſi non ſectæ & factiones, prælatio item vnius doctoris præ altero, cum multis eiuſmodi ſcandalis & incommodis, quæ hanc rem poſſint comitari. Ad quæ omnia auertenda eccleſia iſta haud meliorem nouit viam, quam vt omnes miniſtros ſuos & populum ad obſeruandam exactam diuini cultus vniformitatem adſtringeret, vt ne quis rixæ locus inter eos eſſet.

Haec ratio erat ſollemnis illius iurisiurandi, ſic dicti iuramenti vnionis, quod in ſynodo *Priuatienſi* MDCXII, [u] deſcriptum & in ſequentibus ſynodis *Tonninienſi*, *Vitriacenſi* & *Aleſienſi* confirmatum legitur in hæc verba: *Nos, quorum nomina heic ſubſcripta ſunt -- experientia edocti, nihil magis neceſſarium eſſe ad conſeruandam pacem & ſalutem eccleſiæ, quam ſanctam vnionem & concordiam tam in doctrina quam in diſciplina & iis omnibus, quæ inde pendent, nec eccleſias diu ſubſiſtere poſſe ſine illa - - - omnium eccleſiarum noſtrarum nomine iurauimus & adſeuerauimus, manſuros nos eſſe inſeparabiliter vnitos in confeſſione fidei eccleſiarum reformatarum huius regni, quæ in ſynodo lecta eſt.* cetera.

Qvod ego in hoc iureiurando maxime obſeruo, ratio eſt,

(u) Synod. Priuat. cap. III. art. I. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 398. 399.)

quæ

quæ de impositione illius redditur, nimirum conseruatio vnionis & concordiæ in ecclesia, ad quam tuendam non sufficere credunt vnanimem consensum in confessione fidei, nisi inuiolabilis eiusdem disciplinæ obseruatio accedat; adeoque iureiurando sancte promittunt, eamdem se accurate obseruaturos, & prouisuros, vt omnes ecclesiæ eamdem regulam in publico diuini cultus exercitio sectentur. Non crediderim, dicturum quempiam, hoc esse omnes indifferentes circumstantias, ritus & cærimonias vniuscuiusque permittere libertati, vt illis vtatur vel non vtatur suo arbitratu.

3. Si qua ecclesia particularis vel homines priuati istis ritibus & cærimoniis grauarentur ab illisque eximi cuperent, legibus, quæ eas imperabant, vel mutatis vel infirmatis suæque ipsorum libertati permissis: precibus illorum raro dabatur locus, nisi in quadam magni momenti caussa, quæ legem mutari aut generalem quamdam exemtionem ab illa dari suaderet. Regula erat in synodo facta *Tonninienſi* MDCXIV [w]: "Vt ipsæ synodi nationa-
" les nihil mutarent in confessione fidei, catechismo, forma pre-
" cationum & disciplina ecclesiastica, nisi prius caussa nomine
" alicuius prouinciæ vel plurium proposita, & res magni momen-
" ti esset." Occasionem habebo posthac de multis rebus particularibus ostendendi, quam sæpe mutationes recusarint, immo ne tolerare quidem voluerint consuetudines regulis & disciplinæ ipsorum contrarias, quantumuis, vt id facerent, non solum a quibusdam separatim, sed nonnunquam ab integris simul ecclesiis importunius appellati. *Diodatus* quidam nouam bibliorum interpretationem in ecclesiam introduci cupiebat, repudiabatur autem petitio eius in synodo *Alenconienſi*. Ecclesia *Montalbanenſis* rogabat, vt vetustum quemdam morem, inter eos obtinentem, quo seniores calicem in sacramenti administratione populo præbere consueuerant, retinere sibi liceret; non poterat autem a synodo *Aleſienſi* veniam impetrare, eo quod regulæ cuidam disciplinæ aduersaretur, et idcirco pastoribus eorum etiam atque etiam mandabant, vt ad institutum ordinem sese accommodarent. Ecclesiæ *Nemaucenſis* & *Monſpelienſis* synodos *Alenconienſem* & *Ca-*

(w) Syn. Tonnin. cap. VIII. art. V. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 24.)

rentonicensem idem priuilegium flagitabant, neque vero responsum aliud ferebant, quam hoc, quod conformare se deberent ad disciplinæ canonem, nisi omnibus pœnis ecclesiasticis multari vellent. Atque ita in multis similibus casibus.

4. Si dixeris, hanc seueritatem non esse adhibitam aduersus eos, qui in dubium venerint de alicuius partis disciplinæ *Gallicanæ* æquitate, sed tantum in illos, qui mutationem aut immunitatem a legibus desiderarint ex aliis quibusdam rationibus; respondeo, rem ita se non habere. Nam liber illorum, qui disciplina inscribitur, multos eiusmodi casus supponit illisque prospicit, et rationem commonstrat, quæ ineunda sit cum hominibus, qui de capite quodam doctrinæ vel disciplinæ vel de forma catechizandi, vel administrandi sacramenta, vel de publicis precibus, vel consecratione matrimonii dissentiant, contentiones excitent vnionemque soluant ecclesiasticam. Regula, quæ ibi præscribitur ad satisfaciendum *Gallis* dissentientibus his in casibus est, " Quod consistorium loci prius operam dare debeat, vt " scrupulos eis suos, sine turba & cum omni lenitate, ex verbo " Dei eximat; si vero contradicentes acquiescere haud velint, " tum argumenta eorum audienda & examinanda esse dicit in colloquio, postea in synodo prouinciali, et extremo in synodo " nationali; cui si obedientiam recusent, nec erroribus suis re- " nuntiare velint, per excommunicationem ab ecclesiæ corpore " abscindi iubentur. [x]

Non possum diffiteri, canonem hunc loqui de hominibus, qui scrupulis reuera conflictantur de doctrina & cærimoniis; ratio tamen, quam ecclesia *Gallica* cum illis iniri iubet, non est, vt ipsa se incuset iniustarum legum a se eis impositarum, et ad errores eorum concedat per minus necessariam legum suarum mutationem aut eiusmodi indulgentiam, quæ maiores turbas & confusiones daret; sed vt modeste eos admoneat & identidem instituat ex verbo Dei, vsque dum vocem illius audire omnino nolint. Tunc eos haud amplius vt filios tractatos, sed communione sua, tamquam inemendabiles disciplinæ ecclesiasticæ temeratores, exclusos cupit.

(x) Discipl. eccles. Gallic. cap. V. artic. XXXI.

Illi

Illi igitur, qui ecclesiam *Anglicanam* condemnant, quod se ad dissentientium ciuium suorum voluntatem non componat eatenus, vt omnia liberae obseruationis esse sinat, quae a certis hominibus in dubium vocantur & illicita esse creduntur, quaeque ad optimarum ecclesiarum protestantium exemplum emendari volunt, bene agent, si considerauerint, annon exemplum, quod ei imitandum proponunt, seueritate & rigore (vti id vocant) eam superet, et loco indulgentiae multo duriorem disciplinam doceat. Liquet ex iis, quae disserui, non aliam potestatem sibi vindicare vel exercere ecclesiam *Anglicanam* in omni hoc rituum & caerimoniarum negotio, quam quae in ecclesia *Gallicana* exercetur; quod satis valet ad defendendum (quatenus id in me recepi) vicesimum ecclesiae nostrae articulum ab exceptionibus BAXTERI & reliquorum omnium, qui clamores satis magnos sine caussa contra illum sustulerunt. Progredior iam ad consideranda ea, quae reliquis articulis opponuntur.

LIBRI SECVNDI

CAPVT NONVM.

Responsio ad obiectiones quasdam, aduersus articulos vicesimum primum, vicesimum tertium & vicesimum quintum factas a BAXTERO.

VICESIMVS primus ecclesiae nostrae articulus tam directe tendit aduersus doctrinas pontificias de conuocatione & infallibilitate conciliorum generalium, vt mirum sit, scriptorem quempiam protestantem quiddam inuenire potuisse, quod illi opponeret. Verba articuli sic habent: [y] *Generalia concilia sine iussu & voluntate principum congregari non possunt, et vbi conuenerint, quia ex hominibus constant, qui non omnes spiritu & verbo Dei reguntur, et errare possunt & interdum errarunt, etiam in his, quae ad normam pietatis pertinent: ideoque, quae ab illis constituuntur, vt ad salutem necessaria, neque robur habent neque auctoritatem, nisi ostendi possint, e sacris litteris esse desumta.* Iam BAXTERVS, *Multi negant*, inquit, *quae heic dicuntur contra* con-

(y) Artic. XXI. conf. eccles. Anglic. in syntagm. confess. p.130.

congregationem conciliorum generalium sine iussu & voluntate principum; et quod concilia errare possint in his, quæ ad normam pietatis pertinent. Quinam vero sunt isti boni viri, quibus de his verbis dubium est? BAXTERVS nullum nominat, sed lectori suo relinquit coniectandum, qui sibi facile persuadebit, non posse eum alios nisi papistas intelligere, siquidem præter papistas, qui vllam huius articuli partem neget, inuenias neminem. Lectorum meorum patientia abuterer, si probare vellem, scriptores *Gallicanos* non esse ex iis, qui hunc articulum negent; Vnum hoc tantummodo obseruabo, Quod ex eadem ratione, ex qua BAXTERVS meminit multos excipere contra hunc articulum, idem illud de proxime sequenti dicere potuisset, quamquam eum non attingit. Iidem enim, qui articulum vicesimum primum negant, negant etiam vicesimum secundum, qui ait: [z] *Doctrina Romanensium de purgatorio, de indulgentiis, de veneratione & adoratione tum imaginum, tum reliquiarum, nec non de inuocatione sanctorum res est futilis, inaniter conficta & nullis scripturarum testimoniis innititur, immo verbo Dei contradicit.* Fatendum est, qui hunc articulum negent, esse longe plurimos. Quid vero inde? Num ecclesiam oportet hunc quoque articulum missum facere, vt scrupulis indulgeat eorum, qui eum negant? Nequaquam. Ipse BAXTERVS id dicere dubitat. Ita vero nec vicesimi primi articuli mentionem hoc respectu facere debebat; siquidem iidem illi, qui generalium conciliorum propugnant infallibilitatem, doctrinas quoque de purgatorio, de indulgentiis, de veneratione & adoratione imaginum & reliquiarum nec non de inuocatione sanctorum propugnant.

DEINDE ait, articulum vicesimum tertium mancum & vitiosum de vocatione ministrorum iis videri, qui continuam nec interruptam successionem canonicam defendant. Neminem nominat, si vero vllos fidos ministros ecclesiæ *Anglicanæ* intelligit, audacter dixerim, magnopere eum falli. Nam qui omnium maxime pro continua successione loquuntur, numquam hunc articulum mancum & vitiosum esse dicunt. Aiunt enim, continuam successionem in ipso articulo contineri, qui de vocatione

(z) Artic. XXII. confess. Anglic. ibid. p. 131.

ordina-

ordinaria ita loquitur : [a] *Illos legitime vocatos & missos existimare debemus, qui per homines, quibus potestas vocandi ministros atque mittendi in vineam Domini publice concessa est in ecclesia, cooptati fuerint & adsciti in hoc opus.* Iam vero homines, qui publicam auctoritatem habent vocandi alios, sunt illi, qui istam auctoritatem prius ante acceperunt ab aliis, qui eam dandi potestatem habuerunt, atque hi istam potestatem itidem acceperunt ab aliis, qui ante illos ad eam dandam fuerunt idonei; atque ita per reliquas retro ætates, vsque dum successionis vestigia in ipsis apostolis contueamur. Atque hoc recte se habet in omni ordinaria & communi ministrorum vocatione, de qua articulus loquitur. Quod ad casus extraordinarios & casus absolutæ necessitatis attinet, neminem noui, qui in illis continuæ successioni ita insistat; eiusmodi enim casus non ingrediuntur ordinariarum regularum ambitum, quæ communibus tantum & ordinariis casibus præscribuntur. Confessio *Gallica*, vbi de vocatione ministrorum ecclesiæ agit, hanc cautionem diserte interponit: [b] *Credimus, nulli fas esse suapte auctoritate inuadere ecclesiæ gubernacula, sed legitima electione, quoad eius fieri potest & quamdiu Dominus eius rei potestatem facit, præeunte, adsciscí vnumquemque oportere. Addimus autem nominatim illam exceptionem, quoniam interdum, (vt nostris etiam temporibus) interrupto ecclesiæ statu necesse fuit nonnullos extra ordinem diuinitus excitari, qui ecclesiæ collapsæ ruinas instaurarent.* Non disquiro iam, num CALVINVS & primi puriorum sacrorum restitutores recte dicantur extra ordinem diuinitus vocati: hoc enim aliquam disceptationem admittere potest. Quod ego autem obseruo, nullam admittit, nimirum illos omnino institisse continuatæ nec interruptæ successioni, præterquam in casibus extraordinariis. [c] Atque hoc satis valet ad defendendum cum sensum articuli ecclesiæ

(a) Artic. XXIII. confess. Anglic. ibid. p. 131.

(b) Confess. eccles. Gallic. artic. XXXI. ibid. p. 108.

(c) Ipse *Caluinus* successionem continuam in casibus ordinariis tantopere defendit, quam quisquam alius; vti ex epistola eius ad regem Poloniarum p. 87. apparet. *Optandum esset, vt valeret continua successio, vt functio ipsa quasi per manus haberetur. - - Quia autem papæ tyrannide abrepta fuit vera ordinationis series, nouo subsidio nunc opus est ad ecclesiæ instaurationem. - - Omni-*

noſtræ (quem dico continuam ſucceſſionem continere,) tum eos omnes, de quibus BAXTERVS iniuſte pronuntiat, quod articulum illum credant mancum eſſe & vitioſum.

ARTICVLVM viceſimum quartum præterit ac relinquit BAXTERVS, tametſi non video, cur pro ſuo agendi modo non æque in illo atque in reliquis reperire potuerit, quod reprehenderet, ad minimum tam iuſte quam caſtigauit viceſimum primum. Licet enim recte dicat, quando ait: *Lingua populo non intellecta publicas in eccleſia preces peragere, aut ſacramenta adminiſtrare, verbo Dei & primitiuæ eccleſiæ conſuetudini plane repugnat:* ſunt tamen multi, qui hoc negant, et id ſatis cauſſæ erat BAXTERO, quare perſtringeret articulum viceſimum primum, quod omnino contra hunc etiam valebit.

VERVMTAMEN articulus viceſimus quintus animaduerſionem eius effugere non potuit. *Magni quidam viri*, inquit, *qui eccleſiæ epiſcopalis membra ſe profitentur, contrarium ſentiunt, confirmationem eſſe omnino ſacramentum euangelicum.* Nomina eorum ſapienter reticet, verens, ne forte illi viri ſe ipſi defendant eumque doctrinam ipſorum male proponere demonſtrent. Fac autem, incuſationem non eſſe falſam, quid hoc ad eccleſiam aut articulos illius? *Quidni?* inquit, *manifeſtum eſt, multos ſubſcriptores articulorum eſſe acres Nonconformiſtas; qui ſi dicant, quod ſentiunt, ipſo facto communione excluduntur.* Ex quibus omnibus, ſi quis ſenſus vel ratio in eo ineſt, quod initio ſtatim dixit, illatio hæc ſit, oportet, Quod illi, qui ſic loquantur vel ſcribant contra articulos, nihilo ſecius viri boni & probi eſſe poſſint, et quod nimis durum ſit in eccleſia, illos hanc ob cauſſam excommunicari. Durities huius excommunicationis, quæ venditatur, alio loco examinabitur, vbi de canonibus eccleſiæ verba facturi ſumus. Heic tantum obſeruo, quomodo BAXTERVS multos ex his bonis viris, quorum in animis ſcrupuli reſideant de articulis confeſſionis noſtræ, depingat, quando eos ſubſcribentes Nonconformiſtas appellat. Quæ appellatio innuit, eos vel

no extraordinarium fuit hoc munus, quod Dominus nobis iniunxit, dum opera noſtra ad colligendas eccleſias vſus eſt. Qui ergo ita præter ſpem hominum inſolito modo repente apparuerunt ſinceræ pietatis vindices, eorum vocatio a communi regula æſtimari non debet. Vid. etiam epiſt. ad N. N. p. 214.

contra

contra conſcientiam ſubſcribere, vel religioni haud habere adverſus ſuammet ſubſcriptionem ſcribere. Neue hoc neue illud quidpiam commendationis habet in vllo homine, nedum in hominibus magnæ exiſtimationis & qui famam probitatis habent. Quantacunque autem probitas eorum fuerit in reſpectibus aliis, eccleſia certe doctrinam ſuam propter ſcrupulos eorum mutandi cauſſam habet nihilo grauiorem, quam quidem eccleſia *Gallica* doctrinam ſuam eumdem in finem mutandi ſe habere exiſtimat, quippe quam eamdem eſſe probaui, quæ in articulis noſtris de ſingulis capitibus traditur, quæ quiſpiam ex iſtis bonis viris in diſceptationem vocat. Atque ita cum BAXTERO de exceptionibus confeci, quas non ſua ipſius ſed aliorum cauſſa a ſe factas eſſe profitetur.

LIBRI SECVNDI

CAPVT DECIMVM,

De aliis quibusdam obiectionibus, contra articulos noſtros ab aliis adverſariis factis.

ANNO MDCLX liber quidam prodiit, a diuerſis diuerſarum prouinciarum *Angliæ* miniſtris compoſitus & inſcriptus, *Rationes oſtendentes neceſſitatem reformandi doctrinam publicam, cultum, ritus ac cærimonias, regimen & diſciplinam eccleſiaſticam* [*d*]: In quo diuerſæ aliæ obiectiones formantur contra articulos illos noſtros, ſub primo capite de reformanda doctrina publica.

CONTRA articulum ſextum obiiciunt, Quod mancus ſit, quia non omnes libros noui fœderis enumeret ſed tantum dicat: *Noui teſtamenti omnes libros, vt vulgo recepti ſunt, recipimus & habemus pro canonicis*, et quod in eodem articulo in hæc verba loquantur, *Sacræ ſcripturæ nomine eos canonicos libros veteris & noui teſtamenti intelligimus, de quorum auctoritate in eccleſia nun-*

(*d*) *Reaſons ſhewing the Neceſſity of Reformation of the Publick Doctrine, Worſhip, Rites and Ceremonies, Church-Government and Diſcipline.*

quam

quam dubitatum est, " Atqui constat, inquiunt, dubitatum esse in
" ecclesia de epistola *S. Iacobi*, secunda *Petri* & diuersis aliis li-
" bris & locis noui testamenti. Vnde articulus mancus est, quia
" non omnes libros noui testamenti enumerat."

IAM VERO quæstio est, Num iste articulus non æque perspicue significet, quinam libri noui testamenti recipiendi sint pro canonicis, ac si particulatim recenserentur: siquidem ait: *Noui testamenti omnes libros, vt vulgo recepti sunt, recipimus & habemus pro canonicis.* Ecquis enim tam ignarus est, qui nesciat, quinam noui testamenti libri vulgo recipiantur in omnibus *Europæ* ecclesiis, pontificiis æque ac protestantibus? Quamobrem eos enumerari necesse haud fuit, quia de illis non fuit dubitatum. *Omnino*, inquiunt, *dubitatum fuit in ecclesia de epistola S. Iacobi, secunda Petri, et diuersis aliis libris & locis noui testamenti.* Enimuero hæc vel per grandem errorem vel per grandem fallaciam ita dicuntur. Si enim ecclesiam catholicam, vel maiorem illius partem, intelligunt, grandis error est dicere, vllas eiusmodi dubitationes fuisse in ecclesia: Si vero quorumdam particularium hominum opiniones intelligunt, fallacia est ad circumveniendum lectorem inuenta, tales opiniones vocare dubitationes in ecclesia; articulus enim non negat, de quorumdam librorum auctoritate dubitatum esse ab hominibus quibusdam particularibus, sed sensus est, numquam generatim de illorum auctoritate dubitatum esse in ecclesia. Hinc confessores nostri satis habuerunt dicere, se eos recipere, vti vulgo recipiantur & semper recepti sint sine vlla dubitatione in ecclesia catholica.

SI articulus hoc nomine mancus dici, aut obiectio locum habere contra eum posset, argumentum multo maioris momenti foret aduersus plerarumque ecclesiarum reformatarum confessiones, quæ nec veteris nec noui testamenti libros enumerant, sed tantum dicunt, se amplecti scripturam canonicam, seu scripta prophetarum & apostolorum; vti habet confessio *Saxonica* artic. I. [*e*] *Heluetica* artic. I. [*f*] *Scotica* ar-

(*e*) Confess. Saxonic. artic. I. in syntagm. confess. fidei part. II. p. 72. Adfirmamus clare coram Deo & vniuersa ecclesia in cælo & in terra, nos vera fide amplecti *omnia scripta prophetarum & apostolorum.*

(*f*) Confess. Heluet. artic. I. in syntagm. confess. p. 87. *Scriptura canonica*, ver-

tic.

tic. XVIII. [g] *Bohemica* artic. I. [h] et *Würtembergica* artic. XXIX. quæ postrema iisdem fere verbis articuli nostri vtitur, ad declarandum, quinam libri veteris & noui testamenti pro scriptura canonica habendi sint, sine vlla huius vel illius enumeratione. *Sacram scripturam vocamus*, inquit, [i] *eos canonicos libros veteris & noui testamenti, de quorum auctoritate in ecclesia nunquam dubitatum est.*

QVID? Confessiones *Gallicana* & *Belgica*, quæ solæ particulatim omnes veteris & noui testamenti libros recensent, non recensent diuersa illa vtriusque testamenti loca, de quibus nonnulli dubitarunt: cuiusmodi sunt caput vltimum *Marci*, initium capitis octaui *Ioannis*, et illa capitis vicesimi secundi *Lucæ* pars, quæ historiam sudoris cruenti nostri Seruatoris exhibet. Quamquam enim homines quidam particulares de his locis dubitarunt, ecclesia tamen non dubitauit; atque nunc communiter pro canonicis & authenticis recipiuntur. Quam ob caussam ecclesia *Gallicana* necesse non habuit hæc loca distincte enumerare, sed tantum dicere, se amplecti euangelia secundum *Marcum*, *Lucam* & *Ioannem* ex communi ecclesiæ consensu. Quidquid ergo ecclesiam *Gallicanam*, id etiam ecclesiam *Anglicanam* ab hac friuola obiectione defendit.

---

bum Dei, Spiritu S. tradita & per *prophetas apostolosque* mundo proposita, omnium perfectissima & antiquissima philosophia, pietatem omnem, omnem vitæ rationem sola perfecte continet.

(g) Confess. Scotic. artic. XVIII. in syntagm. confess. p. 150. Doctrina, quæ in ecclesiis nostris docetur, verbo descripto continetur, videlicet in libris veteris & noui testamenti, de libris enim illis loquimur, *qui a veteribus canonici habiti fuerunt.*

(h) Confess. Bohemic. art. I. ibid. part. II. p. 236. Nostri omnes vnanimi consensu docent, scripturas sacras, *quæ in bibliis ipsis continentur & a patribus receptæ* auctoritateque canonica donatæ sunt, pro inconcusse veris certissimisque habendas.

(i) Confess. Würtemb. art. XXIX. ibid. p. 180.

LIBRI SECVNDI

CAPVT VNDECIMVM.

De obiectionibus contra articulum tricesimum quintum & homilias.

ALIA obiectio eorum ad articulum tricesimum quintum spectat ita habentem: *Tomus secundus homiliarum, quarum singulos titulos* [k] *huic articulo subiunximus, continet piam & salutarem doctrinam & his temporibus necessariam, non minus quam prior tomus homiliarum, quæ editæ sunt tempore Eduardi sexti: itaque eas in ecclesiis per ministros diligenter & clare, vt a populo intelligi possint, recitandas esse iudicauimus.* Iam vero hoc modo, dicunt, homines oportere subscribere falsis doctrinis & adsertionibus, quia falsa quædam contineant istæ homiliæ; et exempli caussa duo potissimum loca nominant [l]. In homilia de *tempore & loco precum* P. II. p. 147. dicitur, "Polygamiam "per specialem quamdam prærogatiuam veteris testamenti in "patribus toleratam esse, non ad satisfaciendum carnalibus cu-"piditatibus suis sed propter πολυτεκνίαν; quod vnusquisque eo-"rum futurum sperauerit Deumque sæpissime orauerit, vt se-"men illud benedictum, quod Deus in mundum ad conteren-"dum caput serpentis se missurum promiserat, e stirpe & fami-"lia sua prodiret & nasceretur." Hoc autem dicunt falsum esse, quia inter omnes constiterit, quanam ex tribu CHRISTVS esset exoriturus.

(k) Nomina homiliarum latine reddita hæc sunt: *De recto vsu ecclesiæ; contra periculum idololatriæ; de instaurandis & mundis seruandis ecclesiis; de bonis operibus; prima de ieiuniis; contra gulam & ebrietatem; de natiuitate Christi; de perpessionibus Christi; de resurrectione Christi; de digna participatione sacramenti corporis & sanguinis Christi; de donis Spiritus sancti; contra nimiam munditiem in vestitu; de precibus; de loco & tempore precum; quod publicæ preces & sacramenta administrari debeant lingua cognita; de reuerentia & æstimatione verbi diuini; de eleemosynis; pro diebus rogationum; de statu matrimonii; de pœnitentia; contra desidiam; contra rebellionem.*

(l) Not. verba, quæ ab auctoribus nostris citantur, non exstare in homilia de *tempore & loco precum*, sed in prima parte homiliæ, quæ inscribitur: *Institutio pro illis, qui certis scripturæ sacræ locis offenduntur.*

A D

AD quæ respondeo. 1. Posito, errorem esse in homilia (sicut non est, sed tantum error in aduersariis) tanti tamen momenti non est, vt liber homiliarum dici nequeat continere piam & salutarem doctrinam, neque adeo legi debeat in ecclesiis. Hoc est, quidquid subscribendo profitemur, non autem, vt auctores aiunt, subscribimus falsis doctrinis & falsis adsertionibus; Id quod ipsi falso adserunt. Nouimus epistolam CLEMENTIS, quæ fabulam de phœnice aue continet, antiquis temporibus lectam esse in multis ecclesiis. Ita quoque lectus est HERMETIS pastor, lectæ sunt EPHREM SYRI & diuersorum aliorum patrum homiliæ, quæ fortassis æque magnos errores continent. Et quod ad institutum nostrum propius accedit, CALVINI conciones maximo cum ecclesiarum *Gallicarum* fructu plurimis in locis, quibus quotidiani pastores deessent, in communi cœtu ex pulpito recitatas esse, auctor est THEODORVS BEZA. [*m*]

IDEM de HENRICI BVLLINGERI decadibus sermonum narrat IO. HENRICVS HOTTINGERVS; quod ab initio reformationis ex publica auctoritate semper lectæ sint in ecclesiis *Belgicis*, quæ non habuerint ministros, qui verbum Dei prædicarent. [*n*]

IAM vero mirum esset, si in duobus istis magnis voluminibus, cuiusmodi sunt decades BVLLINGERI & CALVINI conciones, acuti quidam critici, si ad illas examinandas animum vellent adiicere, non deprehenderent æque graues hallucinationes, vti quidem nostri auctores eas esse existimant, quarum fecerunt

(*m*) Bez. præfat. in conciones Caluin. in librum Iobi. Editæ sunt iam pridem Gallicæ istæ conciones non ipsius certe Caluini voluntate, qui illas sibi velut extorqueri testabatur, sed collegarum ipsius iudicio, & eorum, qui loquentem illum audierant, efflagitatione. Neque vero id temere factum fuisse, res ipsa mox ostendit, maximo cum remotissimarum etiam Gallicarum ecclesiarum fructu, quibus vsque adeo priuatim & publice placuerunt, vt plurimis in locis, quibus quotidiani pastores deerant, *conciones istæ in communi cœtu ex pulpito recitatæ*, pastorum vice fuerint, cetera.

(*n*) Holting. histor. eccles. sæcul. XVI. part. IV. p. 960. Est in Belgii reformati orthodoxis ecclesiis Bullingeri nomen & gratum & celebre cum ob libros ipsius alios, tum ob eum maxime, cui titulum fecit *Decades*, (Belgæ vocant *Huysboeck*), *Qui liber ab initio reformationis semper in Belgio, quam vllus alius, exceptis bibliis, lectus & ecclesiis, vt in cœtibus, in quibus, propter ministri defectum, viua vox audiri non poterit, legeretur, publice commendatus fuit.*

mentionem. Quid tum vero, an ecclesiæ *Gallicæ* & *Belgicæ* dicendæ ſunt ſubſcribere omnibus materiis, quæ in duobus hiſce libris continentur, etiam falſis, quia credunt, eos continere piam & ſalutarem doctrinam, et publica cum auctoritate legendos eſſe in conuentibus? Nullo modo. Ipſe BEZA non fuit tantus CALVINI admirator, vt conciones & commentarios eius omni errore immunes eſſe crediderit. Contrarium diſerte fatetur in epiſtola quadam, vbi tamen catechiſmum illius tanquam erroribus liberum contra *Adrianum*, cuiusdam *Gallicæ* ecclesiæ in *Belgio* paſtorem, defendit. [*o*]

ATQVE ita ſatis reſponſum eſſet ad auctorum noſtrorum obiectiones, ſi locus in homilia, quem citant, reuera errorem contineret.

I. VERVM ENIM VERO error eſt tantum in ipſis auctoribus opponentibus, non in homilia. Non enim loquitur homilia de iſtis patribus, qui ſcire potuerunt, ſemen promiſſum ex tribu *Iuda* proditurum; ſed de *Abrahamo* & *Iacobo*, qui multo tempore vixerunt ante, quam *Iuda* natus aut promiſſio ad hanc tribum adſtricta eſſet, id quod *Iacobo* iam morituro demum factum eſt, qui tum *Schilo* e tribu *Iuda* venturi mentionem fecit. Atque hoc aduerſarii ignorare non potuerunt. Si ergo candide egiſſent cum homilia & lectoribus ſuis, obiectionem ſuam diluiſſent. Tametſi enim patres in reliquis tribubus orare non potuerunt, vt ſemen promiſſum ex ſtirpe & familia ſua naſceretur, poſtquam promiſſio tribui *Iuda* facta eſſe clare intelligebatur; *Abrahamus* tamen & *Iacobus* patriarchæ illud DEVM orare potuerunt, et ſine dubio orarunt; et hoc eſt, quidquid homilia adſerit, vt vnusquisque perſpiciet, qui eam euoluere voluerit.

ALTERA eorum obiectio ad locum quemdam attinet de eleemoſynis p. 160. vbi hæc verba leguntur: *Idem ſpiritus ſanctus in diuerſis ſcripturæ locis docet; Miſericordia & eleemoſyna depurgat peccatum & liberat a morte, nec ſinit immergi tenebris. Boni libaminis vicem habet apud ſupremum Deum beneficentia,*

(*o*) Bez. Epiſt. IV. p. 41. (p. m. 200.) Quis vnquam ex noſtris, vel D. Caluini vel cuiuſcumque alterius ſcripta verbo Dei exæquauit? Quis eo adigendum quemquam putauit, vt in locorum ſcripturæ interpretatione a D. Caluini ſententia non diſcederet?

omnibus

omnibus eam exercentibus. Iam in margine e regione horum verborum citatur *Tob. IV.* Vnde auctores nostri concludunt, homiliam horum duorum errorum ream esse, 1. Quod liber *Tobiæ* accipiatur pro sacra scriptura ; 2. Quod dictatus sit a sancto spiritu.

Ad quæ respondeo *primo*, necesse non esse vel hunc vel illum ei errorem tribui. Etsi enim *Tobiæ* liber ad marginem citatur, priora tamen verba in illo non inueniuntur, sed in libro canonico *Prouerbiorum* cap. XVI, 8. *Benignitate & veritate expurgatur iniquitas.* Et proxime sequentia, *Misericordia a morte liberat*, itidem *Salomoni* adscribi possunt, Prou. X, 2. & XI, 4. vbi ait: *Iustitia eripit a morte, hoc est, Misericordia*, vti vocabulum in fonte *Ebræo* habet & nonnumquam ita redditur.

Qvvm igitur principalis horum dictorum pars in canonicis scripturis reperiatur, rationi congruum est credere, quod homilia ad illas respiciat, quando ait: *Idem spiritus sanctus in diuersis scripturæ locis docet*, Et quamuis *Tobias* & *Ecclesiasticus* in margine citentur eodem tempore, hoc tamen non probat, eos esse scripturas canonicas, a SPIRITV SANCTO inspiratas.

Verum *secundo*, fac homiliam diserte hoc dixisse; tamen idem candor eademque benigna interpretatio, quæ vetustis patribus communiter ab vniuersis scriptoribus protestantibus datur, apparentem duritiem & solœcismum huius locutionis auferet. Quamquam enim patres generatim eamdem opinionem de libris canonicis & apocryphis habuerunt, quam nos habemus, multi tamen eorum in liberis ac popularibus sermonibus suis libros apocryphos sub appellatione sacræ scripturæ & scriptorum canonicorum, a SPIRITV SANCTO inspiratorum, citant. Neque tamen expedire credimus, vel eos damnare vel testimonia illorum papistis dedere, sed sensum commodum, mitis & benignæ cuiusdam interpretationis beneficio, illis adsignamus. Ita Daniel Chamiervs obseruat, Athanasivm in libro de *virginitate Ecclesiasticum* sub titulo θείας γραφῆς, *diuinæ scripturæ;* et Hilarivm in psalmum centesimum tricesimum quintum auctorem libri *Sapientiæ* sub nomine prophetæ citare; *id docet propheta.* Neque tamen credit, patres hosce libros citasse tamquam canonicos & scripta diuinitus inspirata, quia iidem patres alibi eos testentur esse apo-

apocryphos. Hinc *Illud est verius*, inquit, *putasse patres, licere sibi etiam ab apocryphis sumere testimonium veritatis. Et quidem cum praefatione honoris; non ad vivum tamen exacta auctoritate: ideoque non sequi, esse eos libros canonicos, qui nomine scripturae sanctae ac spiritus citantur a patribus.* [p]

ITA quoque ANDREAS RIVETVS eos defendit contra *Guilielmum Bailium* Iesuitam. *Non negamus*, inquit [q], *quosdam ex veteribus, qui vixerunt ante Hieronymum, aut eodem tempore, controuersos libros aliquando citasse vt scripturas sacras & diuinas, immo commendasse tamquam propheticos - - . Sic Tobiae liber Ambrosio [*] habetur prophetia; Liber Baruch Clementi Alexandrino [**] & Theodoreto, scriptura diuina [†]; Cypriano [††] historia Susannae diuina.* Item *Ambrosio [†††]. Sapientiae librum Cyprianus [*], Ecclesiasticum Cyrillus [**] diuinam scripturam appellant. Sed inde non sequi, quod volunt (pontificii). Bellarminus [***] ipse satis ostendit, quum negat Hermae seu Hermetis librum esse canonicum, etsi diuinitus inspiratum putauerit Origenes [†], & ex eodem testimonia proferant, tamquam ex scriptura sacra, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Athanasius, Cassianus,* ceteri. *Neque librum IV. Esdrae inter canonicos recipit, etsi non solum citet eum, Ambrosius [††], sed etiam Esdram esse eius auctorem adserat, & testimonium, ex eo desumtum, scripturam absolute appellet, quinimmo addat, secundum collatam in se reuelationem loquutum. Idem Bellarminus, licet, inquit, ca-*

(p) Chamier. panstrat. tom. I. de canone lib. IV. cap. IV. n. V.
(q) Riuet. cathol. Orthod. tract. I. quaest. XIII. num. VII.
(*) Lib. de Tobia cap. I.
(**) Paedagog. lib. II. cap. III.
(†) In exposit. Bar.
(††) Serm. I. de lapsis.
(†††) De Sp. S. cap. VII.
(*) De habitu virg.
(**) Lib. II. in Iulian.
(***) Lib. I. de verb. Dei cap. XX.
(†) Lib. X. in epist. ad Roman.
(††) Lib. de bono mortis & lib. II.

nones

nones conciliorum & pontificum distinguantur & postponantur scripturæ diuinæ, tamen SVO MODO *sunt & dici possunt scriptura sacra & canonica, quomodo VII. synodus act. III. vocat decreta conciliorum, diuinitus inspiratas constitutiones. Immo Innocentius, cap. cum Marthæ, Extra de celebr. miss. vocat SCRIPTVRAM SACRAM sententiam illam Augustini ex serm. XVII. de verbo Apostoli, Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre. Idem nos dicimus de libris ecclesiasticis, suo modo ἐν πλάτει dictos fuisse a nonnullis patribus sacros & diuinos, nempe quum non accurate loquerentur, sed populariter; idque cum extra huius quæstionis de discrimine sacrorum librorum orbem versarentur; ipsisque cum adversariis res esset, qui non refragabantur. Quo pacto etiam nos inde arcessimus testimonia, quæ γνησίως canonicis succenturiata, rem aliquando possunt illustrare: nec imus inficias, etsi libri illi canonicam auctoritatem non possint adsequi apud eos, qui recte iudicant, maiorem esse nihilo minus eorum auctoritatem, quam aliorum quorumuis ἀκανονίστων, ad quorum differentiam comparate a nonnullis, significatione vocum minus exquisita, sacri & diuini dicti sunt.* Hactenus RIVETVS.

IAM eadem benigna distinctio & interpretatio huic locutioni adhibeatur, quam hi eruditi *Galli* priscis patribus adhibent, & euanescet auctorum nostrorum argumentum. Nam vel pessime sumta non est nisi locutio minus accurata in sermone populari, & condonari potest æque ac illa priscorum patrum dicta; quæ non statim damnamus, tamquam heterodoxa & absurda, sed benignæ & æquæ interpretationis beneficium illis concedimus.

DANIEL CHAMIERVS eodem modo istos excusat patres, qui versionem τῶν LXX factam dicunt inspirante SPIRITV SANCTO. *Respondeo*, inquit, [r] *spiritu sancto inspirari omnes fideles, quoties aliquid agunt boni: vnde dicuntur θεοδίδακτοι, & spiritum Dei habere in se habitantem. Sed eius adflatus varii sunt gradus, inter quos primus & summus ille est, quo sic mouentur ho-*

(r) Chamier. panstrat. tom. I. lib. XIII. cap. IV. n. IV.

mines,

mines, vt immediate & extra ordinem illuminentur, ſicut olim prophetis accidit & apoſtolis, quos extra omnem comparationis aleam doctores habemus a Deo conſtitutos. Poſt hos maxima eſt τῶν χαρισμάτων διαφορὰ, donorum Dei, & vt apoſtolus loquitur, ſpirituum differentia; vt hi plus, illi quidem minus de infinita abundantia acceperint: nemo tamen ita, vt accedat ad illos primos. Et quamuis longe ab iis abſint, nihilominus a SPIRITV SANCTO agi dicuntur. Sic GAVDENTIVS in tractatu de ordinatione ſua de *Ambroſio* tum præſente: *Loquetur* (inquit) *SPIRITV SANCTO, quo plenus eſt, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Hoc inferiore ſenſu concedit, auctores dictæ verſionis *Græcæ* fuiſſe inſpiratos; dicit autem, hinc non ſequi, vt interpretatio eorum diuina ſit & authentica. Et patres iſtos, qui eam ex SPIRITVS SANCTI inſpiratione factam dicunt, de hac inferiore & ordinaria inſpiratione loqui, intelligendos eſſe.

Idem & nos de auctoribus homiliarum adfirmamus, quod poſito, eos *Tobiam* & *Eccleſiaſticum* citaſſe vt diuinitus inſpiratos libros, neceſſario de hoc inferiore inſpirationis genere intelligendi ſint. Eodem videlicet ſenſu, quo de ſe ipſo CALVINVS [s] ait, ſe confidere, in ſcribendo cathechiſmo Dominum ſibi adfuiſſe: Et quo theologi *Galli* in ſynodo *Tonninienſi* in epiſtola ad *Iacobum* regem narrant, *ſe ingenti cum reuerentia & ſubmiſſione bona & ſalutaria conſilia eius recepiſſe, tamquam profecta a SANCTO DEI SPIRITV.* [t]

Neminem fore exiſtimo, qui ſibi perſuadeat, vel CALVINVM ſe pro inſpirato habuiſſe, vel *Gallos Tonninienſes* tanta veneratione in *Iacobum* regem vſos eſſe, vt conſilia eius pro diuinis oraculis acceperint. Vere tamen dicere potuerunt, conſilia eius a ſancto Dei ſpiritu profecta eſſe, communi ſcilicet & ordinaria diuini auxilii ratione; hoc quidem prophetis & apoſtolis tamquam peculiari priuilegio reſeruato, quod extra ordinem & certo ac indubitato modo a SPIRITV SANCTO acti fuerint.

(s) Caluin. epiſt. ad N. p. 263. In quo ſcribendo Dominum mihi adfuiſſe confido.

LIBRI

LIBRI SECVNDI
CAPVT DVODECIMVM.

Obiectiones contra regis *Caroli* primi declarationem, quæ articulos litterali suo ac grammatico sensu accipi iubet, confutatæ, & articuli, decimus sextus, vicesimus quartus & tricesimus septimus ab exceptionibus vindicati.

IDEM auctores vehementer se sollicitos esse testantur de declaratione regis *Caroli* primi, quæ libro articulorum præfixa est: in qua inter alia edicit, "Vt ne quis vel typis ex-" scribendo vel concionando vllum articulum reiiciat, nec suum " ipsius sensum & interpretationem ei addat, sed in litterali suo " ac grammatico sensu illum accipiat." *Hoc modo*, inquiunt, *ministri omnes libertate priuantur vllum ex hisce articulis interpretandi, vt adeo, quum articulus decimus tertius dicit; Non omne peccatum mortale, post baptismum voluntarie perpetratum, est peccatum in SPIRITVM SANCTVM & irremissibile: nulli ministro liceat naturam peccati mortalis aperire, nec dicere, quod omnia peccata sint mortalia, secus ac papistica distinctio peccatorum in mortalia & venialia venditet; nec explicare, quid sit, a gratia data recedere. Sic iterum, quando in articulo vicesimo ecclesia dicitur habere potestatem instituendi ritus & cærimonias & auctoritatem in controuersiis fidei; ministris non est integrum quærere, quid per ecclesiam Anglicanam intelligatur, aut quid ecclesia Anglicana sit; quos ritus & cærimonias possit instituere; aut quatenus auctoritas illius protendatur in controversiis fidei. Quod si aliquid instituat contra verbum Dei, aut locum quemdam scripturæ sic exponat, vt alteri contradicat, aut quidpiam credendum de necessitate salutis obtrudat, nemo audebit id vocare in dubium: sed nos ei in litterali & grammatico sensu suo adsentire & subscribere aut omnibus ecclesiasticis functionibus priuari oportet.*

Et *quum articulus tricesimus quartus de traditionibus & cærimoniis ecclesiasticis agat, auctoritate publica institutis ac probatis, non licet curiosius inquirere, quid per traditiones intelligatur; vtrum traditiones ecclesiæ Romanæ, an alius cuiusdam ecclesiæ; vtrum traditiones a cærimoniis sint distinctæ, an eædem atque illæ; quomodo traditio dici possit institui; aut quid intelligatur per publicam auctoritatem.* Hactenus auctores illi in oratione sua pro reformanda doctrina, *p.3.*

Ad quæ respondeo, 1. Sensum litteralem & grammaticum esse eum, quo omnes ecclesiæ articulos suos communiter velint intellectos; alio autem sensu eos accipere, est aut interpretationem minus naturalem sed coactam planis verbis inferre, aut ea absurda facere. Nota controuersia est inter protestantes & pontificios de sacræ scripturæ sensu litterali & mystico; vbi quæstio non est, an scriptura communiter sensu litterali & quandoque sensu mystico accipi debeat. De hoc enim vtrique consentiunt, quemadmodum vnusquisque facile perspiciet, si sequentes auctores consulere volet. Daniel chamiervs [u] ait: *Sensum litteralem & mysticum agnoscimus. Ita* gvilielmvs whitakervs [w], *Adfirmamus*, inquit, *vnicum esse verum, proprium ac genuinum scripturæ sensum, ex verbis vere intellectis orientem, quem litteralem dicimus.* cetera. Andreas rivetvs sæpe in eamdem sententiam loquitur in libris, in quibus controuersias tractat.

Qvamobrem aduersarii infirmiores sunt, quam vt cum declaratione regia possint contendere, eo quod articulos litterali & grammatico sensu accipi iubet, quippe qui, ex vnanimi omnium scriptorum protestantium iudicio, vnicus sensus est, quo intelligi possunt, vt ratio postulat. [x]

2. Diversae conclusiones, quas inde faciunt, ad vnum omnes absurdæ sunt, Quod hinc ministris haud liceat explicare ista loca in diuersis articulis, quorum mentionem faciunt, quia tantum in

(t) Syn. Tonn. cap. XIX. p. 438. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 64.)
(u) Chamier. tom. I. de sensu scripturæ lib. XV. cap. I.
(w) Whitaker. de scriptur. interpret. quæst. V. cap. II.
(x) Riuet. isagog. ad scriptur. sacr. cap. XIV. Item cathol. orthodox. tract. I. quæst. V. n. II.

littera-

litterali & grammatico ſenſu ſuo accipi debeant. Aeque vere & modeſte dicere poterant, eccleſias proteſtantes miniſtris ſuis interdicere, ne vllum ſcripturæ locum explicent, neue vllum commentarium in ſcripturam ſcribant, quia dicant, ſcripturam ſenſu litterali & grammatico intelligi oportere; quum tamen hoc nihil amplius velit, quam quod verba vero, proprio ac genuino ſuo ſenſu accipi debeant, quo auctor, qui illis vtitur, ea accipere iure credi poteſt; quod tantum abeſt, vt quem ab earum explicatione prohibeat, vt certiſſima regula ac norma ſit, quæ nos moderetur & dirigat, vt ea ex vero ſenſu veraque mente auctoris recte explicemus. Tantopere auctores noſtri tam in præmiſſis ſuis quam in concluſione falluntur!

Obiectio eorum contra articulum triceſimum ſeptimum valde leuis & nugatoria eſt. Non poſſunt adduci, vt eum legant, quemadmodum typis iam exſcriptus eſt & ſenſus illius litteralis habet: *Regia maieſtas* (in textu *Anglico* the *Queen's Maieſty*, hoc eſt, regina) *in hoc Angliæ regno ac ceteris eius dominiis ſummam habet poteſtatem, ad quam omnium ſtatuum huius regni, ſiue illi eccleſiaſtici ſint, ſiue ciuiles, in omnibus cauſſis ſuprema gubernatio pertinet*, cetera. Putant enim, legendum nunc eſſe, *the King's Maieſty*, rex in hoc *Angliæ* regno, cetera; quia *Eliſabetha* regina iam mortua ſit.

Cvr vero iſtorum hominum ſcrupuli ipſos non eo etiam adducunt, vt bibliis ſubſcribere dubitent, & quædam in illis mutari cupiant? Inueniuntur enim in ipſa ſcriptura ſacra eiuſmodi loquutiones, quæ eumdem ſenſum habent. Ita verba Gen. xxxv, 20. *Ea dicitur ſtatua Rachelæ in hanc vſque diem*, non oportebit ſenſu litterali accipi; quia, licet exſiſteret ſtatua, *Moſe* ſcribente, hodie tamen non amplius reperitur. Gen. xlvii, 26. *Sanciuit Ioſeph illud in ſtatutum ad diem vſque hunc de agris Aegypti, vt Pharaoni tenerentur de quinta*, cetera. Si verba tam rigide accipimus, vti quidam auctores noſtri, nec *Pharao* nec lex iſta hodie exſtant: exſtabant autem, quum *Moſes* ſcriberet. Ita *Eliſabetha* regina fuit, quum articuli componerentur; et hoc ſatis eſt ad defendendam illam loquendi formulam, vt ex illis exemplis, quæ ex ſcriptura dedi aliiſque eiuſdem generis ſexcentis, quæ produci poſſent, apparet.

Si vero hæc lectio tam insuperabilem auctoribus nostris scrupulum mouit, qui impediuit, quo minus articulos legerent iisque subscriberent, inuenire potuissent in ægritudinis suæ adleuationem exempla quædam, in quibus hæc mutatio facta est. Nam THOMAE ROGERSII *dilucidatio* horum *articulorum* habet, *the King's Majesty hath the chief Power*, rex summam habet potestatem, cetera. Tametsi, qua auctoritate eam mutationem fecerit, haud sciam, nec propositum mihi sit, id hoc loco inuestigare..

LIBRI SECVNDI

CAPVT DECIMVM TERTIVM,

Triginta nouem articulos non esse mancos sed tam perfectos esse quam confessionem *Gallicam*.

ALIAM adhuc obiectionem iidem auctores faciunt contra articulos in genere; "Quod sint manci atque imperfecti, " quia diuersa superstitionis pontificiæ damnata capita " in illis insint; et quia nihil contineant de creatione, de prouidentia, "de lapsu hominis, de peccato, de pœna peccati, de fœderibus Dei, de " efficaci vocatione, adoptione, sanctificatione, fide, pœnitentia, per- " seuerantia, lege diuina, libertate christiana & libertate conscien- " tiæ, cultu religioso, sabbatho siue die dominico, matrimonio & " diuortio, communione sanctorum, regimine & disciplina eccle- " siastica, resurrectione & extremo iudicio. Quæ omnia scriptu- " ra doceat tamquam necessaria, vti inde appareat, quod eorum "pleraque in symbolo apostolico contineantur" cetera.

ENIM VERO. I. Nonne mirum est, homines in vno eodemque paragrapho tantopere sibi ipsis contradicere? Fatentur, pleraque ex istis capitibus comprehendi symbolo apostolico, & eodem tempore nihil eorum in articulis nostris haberi dicunt; quum tamen articuli symbolum apostolorum per omnes partes recipi & credi, expressis verbis adfirment.

2. NIHILO magis manci & imperfecti sunt, quam articuli confessionis *Gallicæ*, qui non nisi vno plures sunt, & de multis horum capitum tam pauca loquuntur, quam quidem nostri. Neque tamen

tamen vllus ex *Gallis* proteſtantibus eos mancos & imperfectos eſſe, criminatus eſt.

3. Scriptores *Gallicani* articulos noſtros plenam puræ & ſinceræ doctrinæ euangelii profeſſionem eſſe agnoſcunt. Hoc ipſo nomine eos laudat BEZA in epiſtola dedicatoria ad *Eliſabetham* reginam, quam nouo teſtamento ab ſe edito præmiſit.

Stephanvs le moyne tantum abeſt, vt illos mancos & imperfectos pronuntiet, vt dicat, nihil confeſſione *Anglicana* potuiſſe fieri ſapientius, nec vmquam articulos fidei maiori & æquiori cum iudicio collectos eſſe. [*y*]

Qvae quum ita ſint, aduerſarii noſtri nullam idoneam cauſſam habent articulos noſtros hoc illoue reſpectu cauillandi. Queratur licet BAXTERVS, quod ſint ſuperfluentes, querantur hi auctores, quod ſint imperfecti: homines autem ſapientes concludent, vtroſque in errore verſari, eccleſiam vero decentem adhibuiſſe moderationem. Vir quidam eruditus [z] iam pridem contra hos poſteriores auctores probauit, non neceſſe eſſe eccleſiæ noſtræ doctrinam reformari, in libro quodam, quem inſcripſit, *No Neceſſity of Reforming*, hoc eſt, *Nulla neceſſitas reformandi* &c. ad quem lectores, qui eruditionem & antiquitatem recte æſtimant, remitto. Ego ſatis habeo oſtendiſſe, quod mihi propoſui, Quod eccleſiæ noſtræ doctrina in omnibus controuerſis articulis doctrinæ eccleſiæ *Gallicæ* accurate conueniat; et quod, qui vni contradicunt, vel ab ea ſe ſeparant propter doctrinam eius, ex eadem ratione communionem ſuam cum altera etiam ſoluere neceſſe habeant.

(*y*) Le Moyne epiſt. ſupra cap. I. huius libri ſub litt. (*d*) pag. 443. citata.
(z) Is dicitur eſſe Ioannes Pearſonius.

LIBER TERTIVS.

OBIECTIONES CONTRA LITVRGIAM ECCLESIAE ANGLICANAE CONSIDERATAE ET CONFVTATAE EX PRINCIPIIS ET PRAXI ECCLESIAE GALLICANAE.

CAPVT PRIMVM,

Ecclesiam *Gallicam* habere publicam liturgiam seu formam precationum & administrationis sacramentorum, qua omnes ministros in quotidiana officii sui functione vti oporteat.

LITVRGIAE *Gallicæ* tam crebra mentio in diuersis partibus libri disciplinæ & canonum, quem in hac dissertatione iam sæpius citauimus, habetur, vt mihi minus necesse esse existimem, vlla amplius testimonia producere, quibus *Gallos* stabilitam inter se liturgiam habere demonstrem. Vnum autem est, quod non ab re fuerit paullo vberius demonstrare & confirmare, nempe, Quod ministros suos ea constanter vti iusserint, nec vlla ratione ab ea fiuerint discedere.

1. CALVINVS præcipuis reformationis *Anglicæ* auctoribus tempore *Eduardi* regis hoc consilium dedit, nec dubium est, quin id in suamet regione in praxin deducere studuerit, *Quod ad formulam precum & rituum ecclesiasticorum*, inquit, *valde probo, vt certa illa exstet, a qua pastoribus discedere in functione sua non liceat, tam vt consulatur quorundam simplicitati & imperitiæ, quam vt certius ita constet omnium inter se ecclesiarum consensus. Postremo etiam, vt obuiam eatur desultoriæ quorumdam leuitati, qui nouationes quasdam adfectant, vti eo pertinere catechismum ipsum ostendi. Sic igitur statum esse catechismum oportet, statam sacramentorum administrationem, publicam item precum formulam.* [a]

SI non haberemus vllum clarius documentum de praxi ecclesiæ *Gallicæ* in hac materia, sane hæc valida esset præsumtio,

(a) Caluin. epist. ad protector. Angl. p. 41.

cuius-

cuiusmodi eam esse oporteat, vbi consideramus, quæ fuerint CALVINI in reformatione illius partes. Habemus autem hac in re certissima & firmissima testimonia. Liber disciplinæ canone quodam controuersiam extra omnem disputationis aleam ponit, decreto facto in hanc sententiam: *Si quis pastor vel senior vnionem soluerit ecclesiasticam aut contentionem de capite quodam doctrinæ vel disciplinæ, cui subscripsit, vel de formula catechismi, vel de administratione sacramentorum, vel de publicis precibus & benedictione coniugum excitauerit, nec se ad colloquii determinationem conformare voluerit, ministerii sui functionibus arceatur, a synodo prouinciali vel nationali vltra persequendus.* [b] Heic videmus, conformationem ad liturgiam omnesque eius partes non minus quam ad confessionem fidei & disciplinam requiri ad vnionem ecclesiasticam. Atque hoc ex omni particulari officio, quod in ea continetur, demonstrari potest.

PRIMO de ordinariis & publicis precibus non minus inter ipsos quam inter nos conuenit, non alia quam præscripta formula esse vtendum. Neque vnquam ab hac regula in ordinaria functione sua deflectunt, sed tantum preces extraordinarias certis in casibus permittunt, cuiusmodi sunt preces ministri sub publici sermonis initium & preces pro sollemnibus ieiuniis & supplicationibus compositæ. Qui volet, videre hoc potest plene probatum a LVDOVICO CAPPELLO erudito *Gallo* in longa dissertatione de statis precum formulis, vbi ostendit, liturgiam eorum non esse merum directorium, sed præcisam formam in omnibus officiis, quæ constituit, vsurpandam ab omnibus ministris in regno *Galliæ;* et omnibus rationibus, quæ in contrarium adferuntur, respondet. [c]

VT adeo tria argumenta BAXTERI contra subscriptionem, a ministris canone tricesimo septimo requisitam, qua polliceri iubentur, velle se in publicis precibus formulis, in libro communium precum præscriptis, nec vllis aliis vti, tantumdem valeant contra ecclesiam *Gallicam*. I. *Episcopi ipsi*, inquit, *ex mandato regio certis occasionibus ieiuniorum & supplicationum præ-*

(b) Disciplin. eccles. Gallic. cap. V. artic. XXXII.

(c) Capell. thes. Salmur. part. III. dissert. XXXVII.

scribunt,

ſcribunt, imponunt & adhibent alias formulas. Nec nobis licet repugnare. 2. *Publici miniſtri habent & recitant in pulpitis ante ſermones alias formulas: adeoque hanc pactionem ſoluunt ipſi.* 3. *Ad officium ſpectat paſtoris, preces æque ſuis ipſius verbis exprimere atque ſermones ſuos: et omnino vitioſum eſt tantæ parti officii, ad quod conſecramur & ordinamur, deeſſe.* [*d*]

RESPONDEO autem. 1. Ita eccleſia quoque *Gallica* periurii & violatæ promiſſionis rea eſt: Vtitur enim præter ordinarias precum formulas particularibus etiam formulis, ſpeciali occaſioni ieiuniorum & ſupplicationum præſcriptis. Teſtis heic nobis erit CALVINVS, qui in epiſtola quadam ſua [*e*] narrat, quum anno MDXLI. peſtis in *Germania* ſæuiret & altera ex parte bellum, feciſſe ſe, vt ſupplicationes extraordinariæ a magiſtratu *Geneuenſi* decernerentur; et addit, *Precationes, quibus in iis vteremur, conſcripſi.* Habetur etiam alicubi talis formula liturgiæ eius adnexa. [*f*]

CANONES *Gallici* ſæpius eiuſmodi ſollemnium dierum & extraordinariarum ſupplicationum meminerunt, in quibus nouis quibusdam precationibus præter ordinariam ſuam liturgiam, vtantur eccleſiæ. Neque tamen vmquam periurii & violati promiſſi reos ſe eſſe iudicant, quia hi caſus ſunt, qui in ipſo promiſſo creduntur excipi.

2. ALIIS precum formulis in pulpitis vtuntur miniſtri ante ſermones ſuos, vti faciunt miniſtri *Anglicani.* NICOLAVS BERNARDVS [*g*], qui librum edidit inſcriptum *Iudicium Vſſerii*, &c. ait, tam *Belgicas* quam *Gallicas* eccleſias eſſe in hac materia adeo rigidas, vt eamdem ſemper formulam tueantur. Liturgia *Geneuenſis* miniſtris veniam dat eligendi formulam, quam huic ſcopo conuenientiſſimam credant. [*h*]

ITA ſynodus apud *S. Maxentii* miniſtro, qui alterum ordinat, permittit precationem adhibere, a ſe ipſo compoſitam, donec

(*d*) Baxter. *Engl. Nonconform.* cap. VIII. p. 43.
(*e*) Caluin. epiſt. ad N. p. 263. a.
(*f*) Caluin. tom. VIII. opp. p. 31.
(*g*) Bernard. *Biſhop* Uſhers *Judgment* p. 315.
(*h*) Caluin. tom. VIII. p. 29. Precationis formulam ad id aptam miniſter ſibi pro arbitrio deligit.

ad preces consecrationis deueniat, atque tum forma præscripta nec vlla alia vti iubetur. Vide paullo post in hoc ipso capite.

QVISQVIS volumen aliquod ex sermonibus CALVINI volet euoluere, sub finem cuiuslibet concionis breuem aliquam precationem inueniet, suis ipsius verbis conceptam, longitudine vnam ex nostris collectis fere æquantem & materiæ sermonis sui accommodatam, cuiusmodi precationem constanter fecit, præter longiores illas preces, in liturgia præscriptas & post concionem recitandas.

3. ECCLESIA *Gallica* non credidit, hoc simpliciter ad officium spectare pastoris, preces suis ipsius verbis exprimere; immo ne quidem sermones suos, vti BAXTERVS adfirmat, qui hac in re seipsum damnat, quia an. MDLXI. nouam liturgiam episcopis exhibuit, quæ precationes pastoribus præscribit non minus quam vetus illa liturgia. Neque coniectura iudicare possum, quibus BAXTERVS hanc faciendo obiectionem gratificari voluerit, nisi forte illis, qui omnium statarum formularum vsum vt illicitum generatim reiiciunt. Si enim ad officium ministri ecclesiæ spectat, suis ipsius verbis preces fundere, tum peccat omnino, si formulam adhibeat præscriptam. Quod si sic est, omnes ministri protestantes vituperandi sunt, tam in *Gallicana* quam in reliquis protestantibus ecclesiis vniuersis: nam non semper suis ipsorum verbis faciunt preces, sed formulis præscriptis vtuntur. Neque vero ita sibi contradicunt damnantue se ipsi, statuendo cum BAXTERO, ad officium pertinere pastoris, vt preces suis verbis exprimat, sed in plerisque casibus satius esse existimant, ecclesiam communi consensu verba precum præscribere; et in nonnullis casibus præstare etiam conciones ad populum dictitare, vbi pastores rudes & indocti sunt, quemadmodum sub initium reformationis multi in *Anglia*, *Gallia*, *Belgio* aliisque regionibus fuerunt; ad quorum infirmitatem subleuandam concionum CALVINI, decadum BVLLINGERI, nostrarumque homiliarum lectio in ecclesiis permissa fuit. Verum hac de re supra loquutus sum. Pergo iam ad statas formas in aliis officiis.

CONFORMATIO ad rubricam & canones, qui rationem præscribunt administrandæ sacræ eucharistiæ, seuere exigitur a syn-

odo apud *S. Maxentii* ſub pœna cenſuræ eccleſiaſticæ. [*i*] *Vt inpoſterum omnes eccleſiæ huius regni in cœna dominica admini-ſtratione alia ad aliam ſeſe conforment, ſine vlla differentia, - - vniuerſis paſtoribus præcipimus, vt obſeruata ſimplicitate ab omnibus nouis & priuatis ſuis rationibus ſe abſtineant, cuiuſmodi eſt verborum inſtitutionis recitatio inter ordinarias illas & longas preces, huic ſacramento ſpeciatim præſcriptas.* cetera. Deinde diuerſis aliis ritibus memoratis & iniunctis hac ſanctione concludunt: *Quare ſynodi & colloquia diligenter attendant illis, qui ſecus fecerint, eosque per congruas cenſuras ad officium reducant.*

Expressam heic habemus mentionem non ſolum formulæ precum faciendarum, ſed etiam quo ordine & quibus ritibus ac cærimoniis integra adminiſtratio peragi debeat; qua de re dicturus ſum fuſius, vbi ad conſiderandas particulares obiectiones deuenero, quæ contra rationem celebrandi ſacram euchariſticam, in noſtra eccleſia obtinentem, formantur. In præſenti ſatis habeo obſeruaſſe, quod hæc ſynodus ſtatæ formæ vſum in adminiſtranda communione tam præciſe iniungat, quam vllus canon, regula vel rubrica vlla in eccleſia *Anglicana.*

Eadem accurata regulæ & præſcriptæ formæ obſeruatio in alterius ſacramenti, baptiſmi, adminiſtratione requiritur, cuius rei hoc vnum duntaxat exemplum dabo ex canone quodam ſynodi *Vitriacenſis* MDLXXXIII. [*k*] Quum quæſtio proponeretur, " Num in infantium, extra matrimonium in adulterio " vel inceſtu natorum, baptiſmo vſitata precum formula adhi- " benda ſit, in qua habeantur hæc verba: *Natus ex patre & ma-* " *tre, quos tu vocaſti in eccleſiam tuam, Domine?*" Synodus iudicabat, non eſſe hac de re mouendam controuerſiam propter rationes, quas illic adſignant. Vnde concludo, quod ſi nullam mutationem fieri voluerunt in vſitata baptiſmi forma in tam ſingulari & extraordinario caſu, multo minus eam permiſſuri fuerint occaſione quadam vulgari & ordinaria.

Quemadmodum formæ ſuæ in baptiſmo infantium præciſe inhærent, ita ſimiliter hoc faciunt in baptiſmo adultorum.

(*i*) Synod. ap. S. Maxent. cap. VI. artic. XIV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 375.)
(*k*) Synod. Vitriac. I. cap. III. artic. VII. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 158.)

Synodus *Carentonicensis* tertia an. MDCXLV. peculiarem formam composuit pro baptismo eorum, qui ex paganismo, iudaismo, muhamedismo & anabaptismo conuerterentur, quæ actis synodi illius inserta est; [*l*] vbi longa precatio, particulares interrogationes & responsiones pro vnoquoque istiusmodi homine habentur, comprehendentes pristinorum cuiusuis errorum renuntiationem, cetera. "Quæ forma a synodo ista iube-" tur adhiberi, vbi Deo placuerit proselytos quosdam ecclesiæ" adiungere.

Qvod ad formam & rationem catechizandi attinet, vsum catechismi CALVINI iniungunt, nec cuipiam vel in minimis ab eo deflectere permittunt. Semel atque iterum in synodis *Montalbanensi* & *Salmuriensi* quæstionem propositam legimus: *Annon catechismum Caluini expediret permutari?* Decretum autem est, "Retinendum eum esse sine vlla mutatione, nec mi-" nistris permittendum, vt alium quempiam exponant. [*m*]

Synodvs *Vapincensis* an. MDCIII. idem decretum renouauit, addito canone de ratione eum exponendi. [*n*] "Quod illi, qui" loco catechismi textum aliquem ex scriptura sacra proponant," vt catechismum ei accommodent, adhortandi sint, vt ne quid" noui inuehant, sed ad præscriptum ordinem se conforment."

Et in synodo *Iuliodunensi* MDCLIX [*o*] statutum est, "Quod in" ecclesiis, in quibus singulis diebus dominicis duo haberentur" sermones, secundus conuertendus sit in expositionem cate-" chismi per modum loci communis." Tam accurate non solum formulam & verba alicuius catechismi, sed ipsam etiam illius explicandi rationem præscripserunt.

Non minorem accurationem adhibent in obseruanda exacta regula & forma in ministrorum ordinatione. Synodus apud *S. Maxentii* pastoribus permittit, vt preces suismet verbis concipiant ante consecrationem, vbi autem ad eam deueniunt, hæc aut similia verba facere iubentur: *Oramus Te, Deus, vt hunc*

(*l*) Synod. Carenton. III. cap. IX. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 654. seq.)
(*m*) Synod. Montalb. cap. IV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 179.) Synod. Salmur. cap. IV. artic. II. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 200.)
(*n*) Synod. Vapinc. cap. III. art. V. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 260.)
(*o*) Syn. Iuliodun. cap. VIII. artic. II. (Ap. *Aymon,* tom. II. p. 747.)

ſeruum tuum, ſecundum ordinem in eccleſia tua ſtabilitum rite electum, donis ac gratiis ſpiritus tui ſancti ornes, - - in nominis tui gloriam, eccleſiæ tuæ ædificationem & ſalutem eius, quem his precibus noſtris officio miniſtri euangelici iam dedicamus & conſecramus. "Et ad hæc verba paſtor orans ſtabit manumque ſuam "imponet ordinati miniſtri capiti, qui in genua prouoluetur ad "pedem pulpiti. Finitis precibus paſtor nouus ſurget & duo "miniſtri, a ſynodo vel colloquio delegati, dextram conſocia-"tionis ei dabunt, præſente & ſpectante populo. Atque hæc "forma & hic canon vnanimiter obſeruabitur per omnes pro-"vincias. [p]

Heic non ſolum formulam habemus verborum ſed ipſas etiam cærimonias, cum ante tum poſt conſecrationem adhibendas. Et ne quis ab illis diſcedat, hic canon libro diſciplinæ inſeri iubetur, in quo nunc exſtat [q] et omnes iureiurando promittunt, eum ſe obſeruaturos.

In officio circa matrimonia regulas præſcribunt exacte obſeruandas, quarum quaſdam ex libro diſciplinæ huc tranſcribam, qui integrum caput habet, quod triginta duos canones eo referendos complectitur.

Vnvs aliquis canon [r] ſic habet: *Matrimonia publice celebrabuntur in religioſis conuentibus fidelium per miniſterium paſtorum, non aliorum.* Qui canon etiam habetur in ſynodo *Montalbanenſi* MDXCIV. [ſ]

Alivs quidam canon ait: *Expedit ad bonum ordinem eccleſiæ, non celebrari matrimonia iſtis diebus, quibus ſacra cœna adminiſtratur. Neque hic canon negligetur, niſi grauibus de cauſſis, quas conſiſtorium examinabit. Nec vlla matrimonia diebus publicarum precum & ieiuniorum celebrabuntur.* [t]

Synodvs *Iuliodunenſis* an. MDCLIX [u] horas canonicas etiam præſcribit: *Hæc congregatio,* inquiens, *omnibus miniſtris in-*

(p) Syn. ap. S. Maxent. cap. III. artic. IV. (Ap. *Aym.* tom. I. p. 388.)
(q) Diſcipl. eccleſ. Gall. cap. I. artic. VIII.
(r) Ibid. cap. XIII. can. XXIII.
(ſ) Synod. Montalb. c. III. art. XIX. (Ap. *Aymon.* non exſtat.)
(t) Diſcipl. eccleſ. Gall. cap. XIII. can. XXIV.
(u) Syn. Iuliodun. cap. X. artic. V. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 774.)

ter-

terdicit, ne quos in ecclesiis suis matrimonio iungant, nisi horis consuetis & eiusmodi sollemnitati praestitutis. Et datur heic singulis synodis prouincialibus potestas faciendi canones de tempore & loco celebrandi matrimonia.

SYNODVS *Virtuelensis* MDLXVII. [w] sanciuit, *Licere nuptias celebrari quouis hebdomadis die & quocunque tempore, etiam diebus operariis pro arbitrio partium, dummodo concio habeatur isto die, idque hora nona matutina ante concionem; qui vero tardius venerint, illis re infecta domum reuertendum esse.*

ALIVS canon [x] in libro disciplinae iubet *matrimonia consistorio prius proponi cum idonea promissorum testificatione.*

ITERVM alius [y] ait: *Ecclesiae non sinent quospiam matrimonia inire, nisi eius rei amplam habeant cognitionem eamque approbent.*

ADHVC alius [z]: *Si alterutra pars eorum, qui coniugium inire volunt, excommunicata fuerit, in nulla ecclesia ad nuptias celebrandas admittantur, nisi pars rea poenitentiam egerit de datis scandalis.*

RVRSVS alius [a] statuit: *Sponsalium publicatio fiet iis in locis, vbi vtraque pars domicilium habet: Quod, si nuptias alibi celebrare voluerint, ter factae publicationis sponsalium testimonium eo secum portent.*

ALIVS denique [b] sic habet: *Sponsalium publicatio per tres dies dominicos fiet iis in locis, vbi verbum DEI praedicatur, et aliis in locis, quando communes preces recitantur.*

IAM istae regulae magna ex parte eaedem sunt, quae in ecclesia nostra praescribuntur, aut certe canones nostros & rubricas excusant, matrimonia ad certa tempora & loca, ad horas canonicas & legitimi alicuius ministri benedictionem, ad sponsalium publicationem & testimonium, & id genus alia restringentes.

IPSVM officium circa nuptias in liturgia eorum praescribitur, quod fieri debeat cum certis precibus & benedictionibus,

(w) Syn. Vertuel. cap. X. decret. VI. (Ap. *Aym.* tom. I. p. 91.)
(x) Discipl. eccl. Gall. cap. XIII. can. XV.
(y) Ibid. can. XIX.
(z) Ibid. can. XXI.
(a) Ibid. can. XVI.
(b) Ibid. can. XVII.

corporis etiam donatione; quod idem est, atque illa locutio in officio nostro *Corpore meo tibi seruio.* Annulus quidem non adhibetur, vt apud nos & in aliis quibusdam ecclesiis protestantibus. Iam vero BAXTERVS dicit, vetustam illam obiectionem negligi; delegatos enim ex collegio *Sionitico* MDCLXI. nihil habuisse, quod contradicerent. [c] Vt adeo mihi amplius non sit dispiciendum, quomodo ex regulis & consuetudine ecclesiæ *Gallicanæ* ritum illum vindicem.

ADHVC formula quædam præscripta habetur in ecclesia *Gallica*, quæ non præscripta est in nostra sed arbitrio relicta episcopi, nempe formula excommunicationis, decreta a synodo *Alesiensi*, an. MDCXX [d] et a sequente synodo *Carentoniensi* [e], relata inter canones disciplinæ ecclesiasticæ [f] quo ipso facta est communis formula, ad quam adhibendam ministri omnium ecclesiarum in *Galliæ* regno iureiurando obligantur.

AD funebre officium quod attinet, fateor nullum eos habere sibi præscriptum; obseruandum tamen est, non esse eis liberum adhibere, quodcunque libeat, sed prorsus interdictum, ne quo omnino vtantur. Ita enim canones eorum diserte præcipiunt: *Nullæ in ex equiis fiant preces, nulli sermones, nullæ publicæ eleemosynæ, vt omni superstitioni occurratur,* inquit liber disciplinæ [g]. Idem decretum occurrit in synodis *Aurelianensi* MDLXII [h], *Figeacensi* MDLXXIX [i] et *Salmuriensi* MDXCVI [k] Quarum in vltima a delegatis ex *Normannia* proponebatur, vt abrogata hac consuetudine adhortationes fieri permitterentur in exsequiis. Enimuero synodus decernebat, *nihil in illo articulo esse mutandum.*

(c) Baxt. *Engl. Nonconform.* c. II.
(d) Synod. Alef. cap. X. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 181.)
(e) Synod. Carenton. I. cap. IX. n. XI. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 247.)
(f) Discipl. eccl. Gall. cap. V. art. XVII.
(g) Ibid. cap. X. art. V.
(h) Synod. Aurel. cap. II. n. XV. Ap. *Aymon.* tom. I. p. 26. *Les ministres ne feront aucunes prieres à l'entrorement des morts, pour obvier à toute superstition.*
(i) Synod. Figeac. cap. III. n. XXV. (Ap. *Aym.* tom. I. p. 143. n. XXIV.)
(k) Syn. Salmur. cap. III. artic. XIV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 198. n. XV.)

VT

VT adeo ad negatiuam conformitatem hoc in capite æque adſtricti eſſent, atque ad poſitiuam conformitatem in reliquis. Nec cum formula nec ſine formula preces in exſequiis fieri, aut orationem funebrem haberi ad populum licebat.

VT ſummatim dicam, ſatis ſuperque liquet, nihil non apud *Gallos* fieri oportuiſſe ad regulam & præſcriptum ordinem. Vbi formas præſcriptas habebant, eas obſeruare debebant; vbi faciendum quidquam erat, nec vlla formula præſcripta ſuppetebat, liberum illis erat, vti nobis eſt, formulam ſibi ipſis facere. Vbi autem aliquid interdictum erat, vti preces & ſermones in exſequiis, non audebant vllum verbum vel cum formula vel ſine formula loqui, vtpote iureiurando ad ſequendas regulas diſciplinæ per vniuerſum regnum obſtricti. Neque vllum diſcrimen inter eccleſiam *Gallicam* & noſtram in omni hac materia video, niſi quod illa a filiis ſuis plerumque rigidius exigat, vt ad regulas & leges ſuas ſeſe conforment.

HACTENVS generalem vtriuſque eccleſiæ conuenientiam conſideraui in hoc capite, in quo vtraque ſtatam liturgiam habet, ad quam omnes miniſtros in praxi ſua ſe conformare oportet. Sed vero hoc non ſufficit ad vindicandam liturgiam *Anglicanam*, niſi particulares exceptiones, quæ contra illam fiunt, refellamus. Quare iam diſpiciam, quam opinionem eccleſia *Gallica* ſpeciatim de noſtra liturgia & communione ſemper habuerit, & oſtendam, quod præcipuæ obiectiones, ab aduerſariis contra illam oblatæ, ex principiis & praxi eccleſiæ *Gallicanæ* depelli poſſint.

LIBRI

LIBRI TERTII

CAPVT SECVNDVM,

Ecclesiam *Gallicam* admittere communionem cum ecclesia *Anglica* eosque damnare, qui propter liturgiam & publicum cultum ab illa se separant.

SI opinionem ecclesiæ *Gallicæ* inde a principio reformationis ad hanc vsque ætatem examinamus, semper eam deprehendimus statuisse, licere cum ecclesia *Anglica* in liturgia sua communicare, & separationem ab illa, tanquam nefarium schisma, damnasse. Quum IOANNES KNOXVS & GVILIEMVS WHITTINGHAMVS, abalienati exules *Francfordiæ* commorantes, datis ad CALVINVM litteris de liturgia *Anglicana* ei exposuissent, hanc eis responsionem misit: *In Anglicana liturgia*, *qualem describitis*, *multas video fuisse tolerabiles ineptias. His duobus verbis exprimo*, *non fuisse eam puritatem*, *quæ optanda fuerat: quum tamen primo statim die corrigi non poterant vitia*, *quum nulla subesset manifesta impietas*, *ferenda ad tempus fuisse.* Et paullo post subiungit; *Vos vltra modum rigidos esse nolim.* [*l*]

IAM vero, vti IOANNES SPRINTVS in libro, qui inscribitur *Cassander Anglicus*, pridem obseruauit, hæc responsio data est a CALVINO ad descriptionem, quam de liturgia *Anglicana* KNOXVS & WHITTINGHAMVS illi miserunt, quæ probabiliter non fuit ex optimis: CALVINVS tamen eatenus eam approbavit, vt nihil intolerabilis impietatis in ea sit, quod separationem aliquam excusare possit vel defendere. Ea quidem libertate vtitur, vt in illa fæcis papisticæ reliquias esse dicat, non vult tamen eos ideo communionem soluere, sed exspectare vlteriorem emendationem.

BEZA in eadem fuit sententia, quando scripsit ad offensos fratres in *Anglia*, per omnia sacra eos obtestans, vt ne propter indifferentes ritus ac cærimonias, illis tumquidem iniunctas, eccle-

(*l*) Caluin. epist. CC. ad Anglos Francof. p. 98.

siæ

ſiæ communionem deſererent. Locum produxi ſupra [*m*] ex epiſtola eius duodecima, neque adeo neceſſe eſt, eum heic repeti.

ADDAM vero, quæ primæ ſeparationis in *Anglia*, a liturgiæ improbatoribus tum cœptæ, occaſione ad *Edmundum Grindallum* epiſcopum *Londinenſem* ſcripſit idem BEZA: *Non ſine acerbiſſimo dolore*, inquit, *intelleximus, vſque eo vexari eccleſias, vt nonnulli iam ſeorſim ſuos cœtus habeant.* [*n*]

NEMO ſine dubio tanto cum adfectu contra ſeparatos conventus ſcripturus fuiſſet ad epiſcopum quemdam *Anglicanum*, qui communionem cum eccleſia *Anglicana* in liturgia ſua illicitam & ſeparationem ab ea neceſſariam eſſe ſtatuiſſet.

ENIMVERO adhuc maius teſtimonium ex ore BEZAE habemus. Anno MDLXIV annis aliquot poſt, quam *Eliſabetha* regina reformationem abſoluiſſet, BEZA nouum teſtamentum cum adnotationibus ſuis illi dedicauit, vbi inter alia ſic ſcribit: *Tibi debet Anglia verum Dei cultum nunc tandem a ſordidiſſimis illis antichriſtianiſmi ſordibus repurgatum. Hoc illud eſt, quod Te merito ſupra omnes horum temporum reges, ipſis etiam e cælo conſentientibus angelis, attollit. Aliis enim, quod placet, non licet: qui quidem carnis prudentia potius quam Dei ſapientia in conſilium adhibita, peſſime tum ſibi ipſis tum populis ſuis conſulunt: alii, qui plurimi & potentiſſimi ſunt, apertum cum pietate bellum gerunt: nonnulli, qui pauci ſunt, religionem quidem profitentur, ſed quomodo tandem inſtitutam & quam multis adhuc næuis deformatam, præſertim ſi diſciplinam eccleſiaſticam ſpectes? Idololatriam damnant aliqui, nec tamen idola profligant. Miſſam papiſticam eiiciunt nonnulli, ſed vt ſuam introducant. Transſubſtantiatio ab omnibus ſummo conſenſu repudiatur, ſed ita, vt non deſint quidam, qui nihilo ineptius delirium tanquam chriſtianæ religionis arcem tueantur. At Tibi, Regina,* (pergit paucis interiectis) *tuisque populis, quod haud ſcio, an cuiquam noſtra ætate regno, per*

(*m*) Bez. ep. XII. p. 105. Vid. ſupra lib. I. cap. V. ſub litt. (*b*) p. 434.
(*n*) Id. ep. XXII. ad Grindal.

te datum est, puræ videlicet ac sinceræ euangelii doctrinæ professio, ad quam si (vt boni omnes sperant & fidelissimi quique tuarum regionum episcopi iam pridem desiderant) plenam quoque ecclesiasticæ disciplinæ instaurationem adiunxeris, sane non video, quid amplius vel Anglia ipsa possit a te flagitare, vel tua maiestas in ipsam conferre. [o]

NVLLAM heic videmus e domesticis illis superstitionis, idololatriæ, antichristianismi, papatus incusationibus contra liturgiam oblatis: sed hæc agnoscitur esse purus cultus Dei, a sordidissimis antichristianismi sordibus repurgatus. Nostra etiam doctrina articulis comprehensa laudatur tanquam perfectum systema puræ ac sinceræ doctrinæ euangelii, immunis ab istis erroribus & vitiis, quibus aliæ quædam ecclesiæ infectæ fuerint. Et quod ad disciplinam attinet, eam heic non ita deficere, vt ecclesiam deformatam reddat, quemadmodum alias quasdam ob defectum eius esse dicit; tantum optat, vt plenius & perfectius instauretur: id quod ipsa ecclesia in officio comminationis optat & vouet. Iam vero BEZA vel nimium blanditur reginæ, vel mirifice probat ecclesiæ *Anglicæ* innocentiam. Neque enim video, quid vllus ex propriis filiis ecclesiæ, si plurimum operæ studiique in ea re posuisset, in laudem & commendationem illius potuisset dicere præclarius.

SI ab his ad recentioris æui auctores descendimus, quibus maior fuit quam illis opportunitas liturgiam *Anglicanam* penitus pernoscendi, tam ampla testimonia de ea, quam de ecclesia *Anglicana* ipsa, data inueniemus.

ISAACVS CASAVBONVS, vir nulli doctrina & ecclesiasticæ antiquitatis cognitione secundus, ecclesiam *Anglicanam*, prout ab *Elisabetha* regina & *Iacobo rege* reformata erat, eam esse dicit, "vt ad florentis quondam ecclesiæ formam nulla hodie propius accedat, inter vel excessu vel defectu peccantes mediam viam sequuta. Qua moderatione hoc eam adsecutam esse adfirmat, vt illi ipsi, qui suam ei felicitatem inuideant, sæpe tamen ex aliarum comparatione illam cogantur laudare." [p]

(o) Id. epist. dedic. in nou. testam.

(p) Casaub. præfat. exercitat. in Baronium. Vid. etiam Morton *of Episcopacy* p. 4.

CIR-

CIRCA idem tempus ANDREAS RIVETVS, tum ſcriba ſynodi nationalis *Tonninii* celebratæ, totius ſynodi nomine epiſtolam ſummæ venerationis plenam exarauit ad *Iacobum* regem, in qua non ſolum ei peculiarem titulum *ſtellæ micantis in cælo eccleſiæ DEI* tribuunt, cum eiuſdem generis quibuſdam elogiis aliis; ſed narrant etiam, cupere ſe ardentiſſime initam cum eccleſiis regni eius amicam ſocietatem colere. Quæ omnia falſa & ridicula fuiſſent, ſi liturgiam vel communionem eccleſiæ *Anglicanæ* duxiſſent illicitam. [q]

LVDOVICVS LE BLANC [r] vir acri præditus iudicio, qui liturgiam *Anglicanam* bene perſpectam habuit, occaſionem, etſi tantum particulari quodam reſpectu, citandi eam nactus, ſic de ea loquitur, vt illam generatim comprobare, nec vllam eius partem ſuperſtitioſam & illicitam habere intelligatur. Alioquin eam honorifica *celebris liturgiæ Anglicanæ* appellatione non dignaturus, multo minus auctoritate eius vſurus fuiſſet ad conciliandam libris apocryphis aliquam venerationem (vti eum feciſſe poſtea oſtendam), ſi illam tam imperfectum opus habuiſſet, vti quidem nonnulli habent.

NON ſubiungo heic teſtimonia trium celeberrimorum theologorum N. DE L' ANGLE, STEPHANI LE MOYNE & IOANNIS LE CLAVDE, quippe quorum integræ epiſtolæ de hac materia legi poſſunt ſub finem libri *Stillingfleetiani*, qui inſcribitur *Vnreaſonableneſs of Separation.* Multa etiam alia prætereo a IOANNE DVRELLO iam adducta; veniam mihi tantum expeto vnum teſtimonium recitandi ex LVDOVICO CAPPELLO, theologiæ quondam profeſſore in academia *Salmurienſi*, qui in theſibus ſuis de liturgiis, liturgiæ *Anglicanæ* inter reliquas, a primis reformatoribus in qualibet natione collectas, hoc teſtimonium perhibet. *Vbi ante CXL annos*, inquit, *facta eſt a Romana eccleſia diſceſſio & populus chriſtianus e Babylone egrediens, ſubduxit ſe pontificiæ tyrannidi, a reformationis, quæ tum facta eſt, auctoribus repurgata*

(q) Vid. ſyn. Tonnin. cap. XIX. p. 438. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 63. ſeqq.

(r) Le Blanc theſ. de libris canon. & apocryph. p. 175. Atque etiam in Magna Britannia ex his libris (apocryphis) in cultu publico & ordinario ſolet aliquid prælegi, vt patet ex *celebri illa liturgia Anglicana*, cuius vſus obtinet in illo regno.

est liturgia sacra ab omni illa superstitione & idololatria papistica, eaque omnia sublata sunt, quæ nimium onerosa & operosa erant, vel parum aut nihil omnino ad ædificationem ecclesiæ faciebant, atque sic tum passim variæ a variis reformationis auctoribus conditæ & præscriptæ S. liturgiæ formulæ simplices & puræ, in Germania, Gallia, Anglia, Scotia, Belgio, &c. quam minimum fieri potuit ab antiquis formulis primitiuæ ecclesiæ abscedentes, quibus hactenus reformati, quique in sua gente & districtu, feliciter & cum fructu vsi sunt. Donec tandem nuperrime exorti sunt in Anglia morosi, scrupulosi & delicatuli nimium (ne superstitiosos plane dicam) homines, quibus ecclesiæ suæ hactenus vsurpata liturgia visa est multis, sed leuissimis nulliusque pene momenti de caussis, non improbanda solum, verum etiam plane abroganda & penitus vna cum toto episcoporum hierarchico regimine abolenda & oblitteranda, in cuius locum directorium suum, quod vocant, substituerunt, quod nullam verbis conceptis formulam certam continet, sed argumenta duntaxat rerum, quæ in precibus, sacramentorum administratione, aliarumque cærimoniarum & rituum vsurpatione, dici, fieri, peti a Deo & populo proponi debent. Ceterum liberum cuique pastori relinquitur, quibus libitum fuerit, verbis ea exponere. Quibus & hoc alii furiosi & insani addunt, non licere vlla verbis præscriptis concepta formula, in precibus tum publicis in conuentu sacro tum priuatis domi, vti, adeoque nec pio vlli salua conscientia illis interesse. [s]

Hoc factum vocat; et pergit postea ad disputandum de iure, quid de statis formulis in omnibus diuini cultus partibus fieri debeat, liceat, vel possit, omnibusque obiectionibus, quæ contra huiusmodi formularum præscriptiones communiter offeruntur, respondet; quæ lectori relinquo pro arbitratu suo euoluenda & perlegenda, progressurus iam ad considerandas exceptiones, quæ contra liturgiam nostram speciatim fiunt, faciendo exordium a negotio adsensus & consensus, quod nonnulli omnium scrupulorum suorum fundamentum constituunt.

(s) Cappell. thes. Salmuriens. part. III. disput. XLVII. de liturgia p. 658.

LIBRI

LIBRI TERTII
CAPVT TERTIVM,
Ecclesiam *Gallicam* adsensum & consensum ad liturgiæ suæ vsum tam præcise requirere quam quidem ecclesia *Anglica* cum requirat.

VT hoc planum faciam, necesse mihi erit ostendere, primum, quid ecclesia *Anglicana* per adsensum & consensum intelligat. Hic enim quod nimium vrgetur & paullo rigidior illi sensus datur, præcipuam occasionem videtur subministrare offerendi contra liturgiam obiectiones. Iam vero obseruandum est, adsensum & consensum vocabula esse eiusdem significationis, quemadmodum GVILIELMVS FALKNERVS multis exemplis, ex legibus regni nostri senatoriis petitis, demonstravit, nec quidquam amplius denotare (si ad res in praxin deducendas, ordinandas vel vsurpandas applicentur) quam declarationem, Quod legitime adhiberi & in praxin deduci possint. Sic sincerum adsensum & consensum præbemus omnibus, quæ in libro communium precum &c. præscripta continentur, hoc est, quod concedamus, esse librum, in quo nihil habeatur sanctis Dei statutis contrarium; sed esse eiusmodi, vt legitime & pie in omnibus officiis inibi præscriptis adhiberi possit, & vt tali nos eo vsuros esse in ecclesiæ ædificationem. Eadem ratione adsensum & consensum nostrum testamur libro homiliarum. Quod (vti articulus tricesimus quintus [t] reddit) *contineat piam & salutarem doctrinam & his temporibus necessariam, & quod idcirco homilias illas in ecclesiis per ministros diligenter & clare, vt a populo intelligi possint, recitari oporteat.* Iam supposito, in hac illaue homilia quosdam minoris momenti errores inueniri; e. g. erroneam citationem auctoris cuiusdam, infirmam consequentiam in argumentatione, iniustam loci cuiusdam scripturæ applicationem vel dubiam interpretationem, vel parachronismum aliquem in capite historico, aut simile quidpiam; Hi quidem errores sunt, quibus

(t) Confess. Anglic. in syntagm. confessionum p. 134.

in rigore ſuo nemo tanquam veritatibus adſenſum ſuum declarare poteſt, (ſi hoc proprie & præciſe per adſenſum intelligatur) poſſumus autem ſincerum adſenſum & conſenſum horum librorum vſui præbere, non obſtantibus vllis eiuſmodi, qui in illis continentur, erroribus. Neque enim tanti momenti ſunt, vt libros illicitos & inutiles efficiant, tamquam qui falſam doctrinam contineant, fidei & bonis moribus pernicioſam, aut ad deprauandas hominum mentes & impediendam ædificationem eorum ſpectantem. Si in omnibus eſſentialibus partibus ſani & ad homines in chriſtiana fide ac pietate erudiendos ædificandosque apti ſunt, omnia habent, quæ præciſe requiruntur, vt quis adſentire & conſentire ad publicum eorum vſum poſſit. Sic recte iudicat FALKNERVS, quando ait: *Illi ipſi homines, qui quaſdam res vel quoſdam dicendi modos præſcriptos, ſiue in phraſibus communionem precationum, ſiue in decernendis vel interpretandis pſalmis aut aliis ſcripturis, opinantur non eſſe deſiderio & captui ſuo conuenientes (dummodo a vitio immunes ſint & in natura ſua tales, vt totum ad dirigenda pietatis exercitia maneat vtile) illi ipſi, inquam, tuto & ſaluo officio chriſtiano, hanc adſenſus ſui declarationem poſſunt edere, reſpectu habito ad alias magni momenti rationes, ſubmittendi videlicet ſe auctoritati, conſulendi paci, ordini, vnitati & ædificationi eccleſiæ in vnito veri cultus religioſi exercitio. Perinde ac viri iſti docti, qui vltimam noſtram bibliorum verſionem iudicauerunt non ſatis apte expreſſiſſe quorumdam difficiliorum locorum ſenſum, nihilominus tamen & ſincere conſentire ad diligentem illius vſum & alios ſerio ad eum exhortari poſſunt, vtpote probe ſcientes, piis & modeſtis lectoribus ad vtiliter diſcendam euangelii doctrinam deique voluntatem plurimum prodeſſe.* [u]

IDEM ego de homiliis dico. Poteſt quiſpiam tuto & ſaluo officio chriſtiano conſentire ad vſum earum, quamuis leues quidam errores illis contineantur. Vnum tantum exemplum dabo. In parte ſecunda *homiliæ contra periculum idololatriæ pag. 35* dicitur, duo concilia *Illiberritanum* & *Francfordienſe* eodem tempore celebrata eſſe, & *Felicem* hæreſis *Felicianæ* auctorem concilio *Illiberritano* præſediſſe. Iam omnes hiſtoriæ eccle-

(u) Falkner. libert. eccleſ. p. 94.

ſiaſticæ

siasticæ gnari norunt, per errorem hoc dici, & esse parachronismum quingentorum ferme annorum. Quid vero? Annon quispiam, hoc non obstante, homiliis adsensum & consensum suum præbere potest? Si quidem adsensus & consensus hoc significaret, Quod homilias ab omnibus omnino erroribus immunes esse crederemus, non video, quo pacto quispiam illis innocenter posset adsentire. Hic enim error est tam manifestus, vt negari nequeat, nec vllus homo errori veritatis testimonium honeste dare potest, cuiuscumque demum generis fuerit. Si autem adsensus & consensus accipitur, vti accipi debet, pro declaratione quadam, quod credamus, librum homiliarum esse librum, qui contineat sanam & salutarem doctrinam, adeoque in ecclesiis ad ædificationem populi legendum, tum adsensus & consensus ad vsum illius dari potest, hoc vel aliis similis naturæ erroribus non obstantibus. Hoc enim non est adfirmare, hos errores esse veritates, (quemadmodum nonnulli vocabulum adsensus tam rigide accipiunt dicuntque, nos credere, quod non credimus) sed tantum librum esse vtilem, qui cum omnibus defectibus suis pie vsurpari & legi possit.

Fingamus igitur, esse quosdam tam euidentes errores, quam is est, cuius modo memini, in liturgia ipsa; (quamquam fateor, quæcunque obiectiones contra eam factæ fuerint, me nosse nullum) cur tamen, hoc non obstante, adsensum & consensum suum ad vsum illius declarare quispiam haud posset? Siquidem scopus istius declarationis is tantum est, vt dicat, se credere, librum illum & quodlibet officium in eo esse eiusmodi, vt quis legitime & sine peccato vti illo possit, & vt ad talem sese velle conformare eoque vti. Id quod fieri potest, licet demonstrari possit, leues quosdam errores in eo contineri, cuiusmodi nonnulli in regulis deprehendi dictitant, quæ de supputando tempore celebrandi pascha & de interpretandis psalmis, præcipiunt. Hoc enim non obstante consentire aliquis potest ad legendos psalmos & celebrandum pascha cum ecclesia, per hanc vel illam regulam; id quod tantum ab eo requiritur. Sed hac de re aliquanto post.

Ostendendum mihi nunc est, ecclesiam *Gallicanam* adsensum & consensum ad liturgiam suam & formulam administrationis

tionis ſacramentorum, ceter. non minus præciſe requirere quam eccleſiam *Anglicanam*. Cui rei probandæ mihi neceſſe non eſt diutius immorari, quandoquidem id iam iterum ac ſæpius feci, vbi de liturgia eorum & libro diſciplinæ diſſerui, cui eos oſtendi non ſolum ſubſcripſiſſe, ſed iure etiam iurando promiſiſſe, ſe eam adhibituros eſſe atque obſeruaturos; quæ ſolemniſſima adſentiendi & conſentiendi ratio eſt. Heic duo tantum lectorem monebo. 1. Quod liturgiam ſuam non habeant pro mero quodam directorio, quod argumenta tantum rerum præſcribat, & liberum relinquat cuique, quibus velit, formulis vti; ſed quod ad eam conſentiant, tanquam præciſam regulam, obſeruandam & ſequendam ſine vlla variatione in omnibus, quæ iniungat. LVDOVICVS enim CAPPELLVS hoc diſcrimen inter liturgiam & directorium ſtatuit; quod liturgia certam conceptis verbis formulam in precibus & ſacramentorum adminiſtratione aliisque ritibus & cærimoniis vſurpandam præſcribat; quum directorium argumenta duntaxat contineat rerum, quæ dici aut fieri debeant, & liberum cuique paſtori relinquat, quibus libitum fuerit, verbis ea exprimere. Et dicit, formulam precum, quæ apud ipſos in *Gallia* obtineat, liturgiam eſſe hoc ſenſu proprio, tanquam diſtinctam a directorio, contra quod ipſe diſputat & pugnat. [w] 2. Non ſinunt Nonconformiſtas manere in miniſterio ſine cenſura eccleſiaſtica, multo minus tales, qui rixas & contentiones de vllo doctrinæ vel diſciplinæ capite, vel de formula catechiſandi, vel adminiſtrandi ſacramenta, vel de aliis huiuſmodi rebus ſuſcitant. Si vero vnionem eccleſiaſticam ſoluant, a muneris ſui functionibus a quodam colloquio prohibendi & a ſynodo prouinciali vel nationali vltra perſequendi ſunt. Hæc euidentia argumenta ſunt, eos adſenſum & conſenſum ad liturgiam ſuam tantopere requirere, quam quidem in eccleſia *Anglicana* requiritur.

QVARE prætermiſſis omnibus, quæ hanc in rem porro adferri poterant, probationibus, progredior ad examinandas particulares exceptiones, quæ contra illum adſenſum & conſenſum offeruntur.

(w) Cappell. theſ. Salmur. part. III. diſput. XLVII. de liturg p. 658. citat. capit. vltim. ſub litt. (s) p. 516.

LIBRI

LIBRI TERTII

CAPVT QVARTVM,

Ecclesiam *Gallicam* adsensum & consensum requirere ad vsum versionis bibliorum, quam fatetur continere aliquot errores.

VNA quædam ratio, cur nonnulli subscriptionem liturgiæ denegarint, est, quod adsensum & consensum præberi iubeat vetustæ cuidam psalmorum versioni, quæ diuersos errores contineat. Non disquiram heic, vtrum sint veri nominis errores, an vero tales esse solum venditentur, id quod iam ab aliis factum est, in primis a GVIL. FALKNERO in præstantissimo libro, qui inscriptus est; *Libertas ecclesiastica:* Sed dico, fac, esse istos errores veri nominis errores in versione, liturgiæ tamen subscribi & adsensus ac consensus isti versioni dari potest, his erroribus non obstantibus. Quando enim huic versioni seu interpretationi adsensum & consensum præbemus, hac re non declaramus, esse eam vel optimam versionem, vel simpliciter immunem ab erroribus, sed tantum eiusmodi, vt pie vsurpari & publice legi possit in ecclesia. Et nisi hoc velit adsensus & consensus, haud novi vllam bibliorum versionem, cui adsentire quispiam possit, vsque dum habeamus versionem ab eodem SPIRITV profectam, qui initio archetypum dictauit; quam scio nullam ecclesiam sibi vmquam arrogasse, nisi forte ecclesiam *Romanensem.*

QVOD ad versionem attinet, quæ in ecclesia reformata *Gallica* vsurpatur, omnes norunt, longe illam abesse ab eo, vt accurata & perfecta sit: nihilo minus tamen ministri canone & iureiurando prohibentur vlla alia in ecclesiis suis vti. Recentior quidam auctor CAROLVS LE CENE in libro suo, *Project d' une Nouvelle Version Françoise de la Bible. Roterd. MDCXCVI* tot loca perperam reddita inuenit, vt integrum volumen conscripserit. Neque synodi *Gallicanæ* negant, fieri posse, vt accuratior interpretatio conficiatur; tamen numquam aures præbere volebant iis, qui aliam in communem ecclesiarum vsum intro-

ducendam proponebant. Synodus *Montalbanensis* MDXCV [x] expressum canonem hanc in rem habet: *Libertas reseruabitur ecclesiæ reddendi sacrorum bibliorum versionem magis magisque perfectam; & ecclesiæ nostræ ad primitiuæ ecclesiæ exemplum admonentur, vt vltimam versionem, per pastores & professores ecclesiæ Geneuensis factam, recipiant & in publicis legant conuentibus.*

Est hæc illa interpretatio anno MDLXXXVIII composita, quam celeberrimus IOANNES DIODATVS multis annis post recognouit & emendauit, scriptaque longa ad synodum *Alenconiensem* epistola patribus illic congregatis persuadere sategit, vt nouam hanc versionem sua firmarent auctoritate. Enimuero, non obstantibus omnibus eius argumentis, inter quæ cognitionem vrgebat antea memoratæ synodi *Montalbanensis* & consentaneum multorum præcipuorum & celebrium virorum iudicium, synodus aurem ei noluit præbere, sed vetustam versionem in omnibus ecclesiis porro vsurpari iussit. [y]

Ita quoque postea, quum in vltima synodo *Iuliodunensi* an. MDCLIX proponeretur, " Quod nonnulli pastores textum " sermonum suorum legerent in interpretatione diuersa ab illa, " quæ communis vsus esset in ecclesiis *Gallicis*: synodus de- " cernebat, nullis in posterum liberum fore vlla alia inter- " pretatione vti, præter eam, quæ communiter vsurpetur, si- " ve sacras scripturas prælegant, siue textus inde depromant, " vt ex iis sermonum suorum faciant argumentum." [z]

Iam dicat, quisquis volet, annon heic adsensus & consensus ad vetustam quamdam versionem tantopere requiratur, quantopere eam requirat ecclesia *Anglicana*.

(x) Synod. Montalb. cap. IV. artic. III. (Ap. *Aymon*. tom. I. p. 179.)

(y) Vid. epist. Diodati in syn. Alencon. cap. XXX. tom. II. p. 413. (Ap. *Aymon*. non habetur.

(z) Synod. Iuliodun. cap. X. n. I. (Ap. *Aymon*. tom. II. p. 773.)

LI-

LIBRI TERTII
CAPVT QVINTVM,

Ecclesiam *Gallicam* non damnare vsum librorum apocryphorum in illis ecclesiis, in quibus publice leguntur, licet eos in suis conuentibus ecclesiasticis legi vetet.

DE proximo argumento, quod nonnulli contra subscriptionem attulerunt, Quod ecclesia nostra libros apocryphos certis diebus prælegi iubeat, libenter fateor, non habere ecclesiam *Gallicam* eiusmodi regulam, sed contrarium præcipere. Synodus enim *Montalbanensis* MDXCIV [*a*] ecclesias admonendas esse dicit, vt lectoribus suis & diaconis præcipiant, vt ne publice legant libros apocryphos, sed tantum canonicos. Neque vero hoc interdicunt, tanquam absolute illicitum, neque eas ecclesias damnant, quæ illos legi iubent, sed sua tantum libertate vtuntur in eo præscribendo, quod in sua ecclesia credunt expedire; parati innuere secreto, quod credant esse licitum, eos legi in illis ecclesiis, quæ illos legendos præscripserint. Quod vt probem, obseruare tantum necesse habeo, quod semper se paratos testati sint ad subscribendum confessioni *Belgicæ*, et reuera ei subscripserint in synodo *Vitriacensi* an. MDLXXXIII. [*b*] Iam vero vnus ex confessionis *Belgicæ* articulis est, *Quod apocryphi legi quidem in ecclesia possint, et fas sit ex illis eatenus etiam sumere documenta, quatenus cum libris canonicis consonant: at non vltra.* [*c*] Quod ipsum exacte quoque docet ecclesia *Anglicana*. Vt adeo ex eadem ratione, qua ecclesia *Gallica* confessioni *Belgicæ* subscribit, sine dubio subscriptura & adsensura esset regulæ ecclesiæ *Anglicanæ* in hoc capite æque ac in vllo alio.

NONNVLLI ex optimis scriptoribus *Gallicanis* honorifice loquuntur de liturgia *Anglicana* eamdem ob rationem, ob quam

(*a*) Syn. Montalb. cap. IV. artic. XI. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 180. n. XII.)
(*b*) Syn. Vitriac. I. cap. II. artic. II. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 158. n. III.)
(*c*) Confess. Belgic. in syntagm. confess. art. VI. p. 164.)

alii eam repudiant. Hisce adnumerare licebit LVDOVICI LE BLANC, viri celeberrimi, testimonium: *Quemadmodum*, inquientis [*d*], *prisca christianorum ecclesia, quamuis eos libros diuinis aequari noluerit, maximo eos in honore & pretio habuit & dignos iudicauit, qui non tantum priuatim, sed publice praelegerentur, tanquam ad aedificationem morum vtilissimi, sic nos quoque eis hodie non negamus honorificum locum in ecclesia DEI & priuilegium quoddam supra omnem scriptorum ecclesiasticorum sortem. Cuius rei argumentum est, quod eos in eodem cum libris vere sacris & canonicis volumine compingere solemus & in homiliis saepe citare non dedignamur. Atque etiam in Magna Britannia ex his libris in cultu publico & ordinario solet aliquid praelegi, vt patet ex celebri illa liturgia Anglicana, cuius vsus obtinet in illo regno.* Haec sane non dicuntur tanquam ab eo, qui liturgiae *Anglicanae* subscribere non potest, quia lectionem librorum apocryphorum praescribit.

DANIEL CHAMIERVS non quidem tam diserte ecclesiae *Anglicae* meminit, tecte tamen laudat illius praxin, dum praxin laudat ecclesiae primitiuae, quae eadem fuit. RVFFINVS enim ait, patres nonnunquam libros in tria genera distinxisse, in canonicos, ecclesiasticos & apocryphos; ecclesiasticos quidem legi in ecclesia voluisse, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Tertium genus, quos apocryphos vocant, non erant illi, quos nos hoc nomine appellamus, sed alii noxii libri, eosque patres ecclesiae legi noluisse adfirmat dictus RVFFINVS. Iam CHAMIERVS de triplice hoc librorum ordine, cuius meminit RVFFINVS, loquens, *Haec distinctio* [*e*], inquit, *vtilis est sine dubio mihique valde placet.*

ACCEDIT, quod viri quidam prudentes in ea sint opinione, libros apocryphos non ita praecise praescribi, quin ministri auctoritatem habeant & libertatem lectiones ex illis sumtas cum aliis ex nouo testamento, ad aedificationem magis facientibus, commutandi. Nam admonitio ad ministros, secundo homiliarum tomo praemissa, ait: *Quum fieri possit, vt vnum vel alterum caput veteris testamenti in ordinem incidat legendum diebus dominicis*

(*d*) Le Blanc disput. de libris canon. & apocryph. p. 175.
(*e*) Chamier. panstrat. tom. I. libr. IV. cap. I. n. X.

vel

vel festis, quod satius sit cum alio quodam noui testamenti capite, plus aedificationis praebente, permutari, recte facient ministri, si eiusmodi capita ante diligenter considerabunt, vnde prudentia & diligentia eorum in officio, cui praesunt, appareat, populusque caussam habeat Deum pro illis collaudandi, cetera.

HAMONDVS LESTRANGIVS dare hoc existimat probabilem occasionem coniectandi, quod ecclesia nostra hac monitione veniam indulgere velit lectiones apocryphas diebus sacris declinandi, vt historia sanctorum certis capitibus noui testamenti perficiatur; siquidem tam canonici quam apocryphi libri communi veteris testamenti nomine veniant. [*f*]

NEQVE BAXTERVS ipse huius admonitionis in libro homiliarum ignarus fuit. Nam in ea, quam an. MDCLXI. edidit, liturgia ad illam remittit, hanc mutationem fieri cupiens in calendario & interponi tanquam rubricam in nouo libro communium precum, [*g*] "Quod post psalmum, isti diei praescriptum, mini-" "ster legere debeat caput ex veteri testamento, quod conueni-" "entissimum iudicauerit; aut cum libertate, quae in admonitio-" "ne, secundo homiliarum tomo praemissa, conceditur." Vt adeo, si animum induxisset paullo propius accedere ad ecclesiam, libertatem inuenire potuisset commutandi quamcunque lectionem veteris testamenti cum alia quadam, plus aedificationis habente ex nouo. Vbi autem animum adiecit ad disputandum contra ecclesiam, nullam huius libertatis mentionem inuenimus, sed terribile quoddam argumentum contra rubricam formatum, eo quod vtiles quasdam lectiones ex apocryphis praescribat, tametsi satis superque distinctis a scripturis canonicis. Nam articulus sextus manifestum discrimen facit inter vtrosque. Et si quis minister populum suum tam rudem & ignarum deprehendat, vt, quid per apocryphos libros intelligatur nesciant, erudire ea de re illos poterit, vbi articulum eis praelegit. Quamquam BAXTERVS tam audax fuit, vt diceret, nonnullos precum communium lectores canone prohiberi, quo minus hoc ipsum verbum populo interpretentur. [*h*]

(*f*) L'Estrange *Allyance of divine offices* cap. I. p. 25.
(*g*) Baxter's *Reformation of Liturgy* p. 35.
(*h*) Baxt. *Engl. Nonconform.* cap. XVII.

IAM qui hac de re queritur, is existimet oportet, non expedire, homines quotidie coire ad adorandum Deum publice. Quomodo enim aliter inexcusabilem moram & impedimentum officiis nostris inferre posset quotidiana communium precum lectio? Si quis dixerit, non faciendas esse publicas preces sine sermone, neminem vero aptum esse ad sermonem habendum singulis hebdomadis diebus: Respondeo, 1. Quod preces communes reuera numquam legantur sine sermone: lectiones enim ex verbo Dei ad docendum aptæ sunt, si debite attendantur. At 2. si per sermonem intelligatur oratio, ab ipso ministro elaborata vsitatæ longitudinis & formæ, falsa est & temeraria incusatio ecclesiæ Dei, dicere, non esse faciendas publicas preces sine sermone. Omnes enim ecclesiæ id permittunt, maximopere vrgent & commendant. In primis ecclesia *Gallica* diuersos habet canones, qui hunc ritum supponunt & auctoritate firmant. Quando synodus *Castrensis* [*k*] statuit, baptismum administrari posse die quodam, vbi publicæ preces fiant sine sermone; nonne hoc innuit, preces publicas fieri licere sine sermone?

SYNODVS *Vitriacensis* secunda MDCXVII prudentiæ consistoriorum relinquit, vt diebus festis ecclesiæ *Romanæ* populum ad audiendam concionem, aut ad coniungendum se in publicis precibus congregari iubeant, prout omnium optime expedire existiment. [*l*] Nonne hæc synodus precum communium lectionem, quæ fit sine sermone, approbat & confirmat, quando prudentiæ consistoriorum permittit, vt eam præscribant, si ipsis videatur expedire?

3. LECTIO communium precum, et sermonis ab ipso ministro compositi, per singulos hebdomadis dies recitatio: res sunt diuersissimæ. Hæc fieri nequit sine elaboratione & consumtione temporis, quum e contrario illa formula sit in subsidium ministri iam composita, nec plus temporis requirat, quam quod ad ipsum actum lectionis necessarium est. Sunt etiam nonnulli ea cogitandi & agendi sollertia, vt per singulos hebdomadis dies æque concionari ac publicas preces legere possint. Ita CALVINVS facere

(*k*) Synod. Castrens. cap. XXVI. n. XV. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 376. num. III.)
(*l*) Syn. Vitriac. II. cap. IX. artic. III. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 108.)

solitus

ſolitus eſt, vt in vita eius narrat BEZA, neque tamen id aliis eius negotiis impedimentum intulit. Verumtamen ex eiuſmodi exemplis non expedit fieri regulam; quia non omnes vnoquoque hebdomadis die concionari poſſunt (neque methodus CALVINI vmquam denuo inualuit, quæ erat, per quadrantem horam exponere portionem aliquam ſcripturæ) etſi enim multi, non omnes tamen, eadem ingenii celeritate præditi ſunt; quum contra nemini deſit facultas legendi quotidie communes preces, ſi cœtum habere poſſit, qui ipſi ſe adiungat; ſin minus, eccleſia ipſum ſupplere hunc defectum voluit, dum hoc mane & veſperi ab eo in familia ſua fieri iuſſit, niſi morbo, vel grauiore quadam cauſſa impediatur. Vlterius hæc regula non poteſt credi eſſe extendenda: quia, quum ſint preces communes & ſaltem diuerſæ earum partes, vt abſolutio, ceteræ, congregationem aliquam ſupponant, non poſſunt eſſe norma religioſæ adorationis in muſeis miniſtrorum. Neque quotidianus earum vſus in eccleſia vel familia tam ſeuere iniungitur, quin iuſta quædam cauſſa omiſſionem earum poſſit excuſare. Quæ vero iuſtæ cauſſæ ſint, vnusquisque, habita rerum ſuarum ratione, per ſe prudenter & pie iudicet oportet. Hæc poſterior rubrica morbi tantum meminit, in prioribus autem rubricis ſic legitur, *niſi vel concionando, ſtudendo theologiæ, aut alia quadam vrgente cauſſa impediantur.* [m]

LIBRI TERTII
CAPVT SEPTIMVM,

De eo, quod ſuperpellicei aliarumque veſtium vſus ad functiones ſacras neceſſarius ſtatuatur.

IN rubrica ante ordinem, precibus matutinis præſcriptum, „ ſancitur iſta ornamenta eccleſiæ & miniſtrorum eius omni- „ bus miniſterii ſui temporibus retinenda eſſe & adhibenda, „ quæ in eccleſia *Anglicana* auctoritate ſupremæ curiæ, anno ſe- „ cundo regni *Eduardi* ſexti in vſu fuerint."

(m) Vid. L'Eſtrange *Allyance of divine offices* cap. I. p. 50. & editiones libri communium precum ante ann. MDCLXI.

CONTRA

CONTRA hanc ſanctionem tria excipit BAXTERVS. 1. *Neſcimus,* inquit, *quid tum in vſu fuerit adeoque conſentire non poſſumus ad id, quod ignoramus.* 2. *Narrant nobis, albam & multa alia ornamenta eo tempore in vſu fuiſſe, quæ poſtea abrogata ſunt, neque nos ad ea reſtituenda conſentire poſſumus ſine melioribus rationibus, quam quas audimus. Et canon, qui hodie enarrat ornamenta, quæ credimus illis eſſe addita, contradicit.* 3. *Paucos offendimus Conformiſtas, qui norunt, quid tunc temporis in vſu fuerit; immo videmus, omnes eos, qui huic regulæ ſubſcribunt & conſentiunt, iis tamen non vti*, cetera.

IN his omnibus vnum tantum verbum eſt, quod vere dicitur, nimirum BAXTERVM reuera neſciuiſſe (vti quidem fatetur) quod & poterat & debebat noſſe ante, quam obiectiones contra rubricam formaret. Vt oſtendam, obiectiones eius niti mera ignorantia & errore, & vt eos omnes condoceam, qui eodem laborant præiudicio, interponam heic veterem rubricam, vti fuit anno *Eduardi* regis ſecundo, verba etiam canonis quinquageſimi octaui, ad quem BAXTERVS reſpicit, & ingenuo cuique lectori copiam dabo faciendi periculum, an vllam contradictionem inter illam & iſtum inuenire poſſit.

VERBA veteris rubricæ hæc ſunt: *Miniſtri in eccleſiis parochialibus & ſacellis recitantes preces matutinas & pſalmum veſpertinum, baptizantes & exſequias cohoneſtantes, vtuntor ſuperpelliceo, et in omnibus eccleſiis cathedralibus & collegiatis archidiaconi, decani, præfecti, magiſtri præbendati & ſocii, ſi ſint graduati, in choro præter ſuperpellicea ſua epomidas* [*] *gerunto, ad diuerſos gradus, quos in alterutra academia huius regni adſumſerint, pertinentes. In omnibus autem aliis locis miniſtris liberum eſto, ſuperpelliceo vti vel non vti. Decet etiam graduatos, vbi ad populum concionantur, eiuſmodi epomidibus vti, quæ ad diuerſos gradus eorum pertinent.*

HAEC omnia ad miniſtros priuatos ſpectant in hac rubrica, reliqua ad ſolos epiſcopos referenda ſunt: *Tempore, quo miniſtrant, præter* [**] *exomium ſuum ſuperpelliceo ſeu alba, tra-*

(*) In Anglico eſt *Hoods.*
(**) *a Cope or Veſtment.*

bea siue palla induti sunto, baculumque suum pastorale habento manu comprehensum aut a præfectis sacello portari & teneri iubento.

Hoc igitur fuit, quod BAXTERVM in errorem induxit. Inaudiuerat quiddam de albis aliisque ornamentis, tempore *Eduardi* regis vsurpatis, infeliciter autem pallam episcopalem priuato cuique adsignat; quum tamen haud alia ornamenta ad eos pertineant, nisi epomis & superpelliceum, hoc quidem iniunctum, illa vero permissa & commendata.

AVDIAMVS nunc canonem quinquagesimum octauum. *Quilibet minister, prælegens publicas preces, aut administrans sacramenta aliosue ritus ecclesiæ cum honesto decoroque superpelliceo procedat. Ministri autem, gradum academicum adepti, in superpelliceis isto tempore gerant tales epomides, quæ ex præscripto academiarum gradibus eorum conueniant.*

VBI iam est contradictio inter hunc canonem & rubricas? Omnes loquuntur de superpelliceis & epomidibus, non de vllis aliis ornamentis, quæ ad priuatos ministros pertineant. Nosse hoc potuisset BAXTERVS, si vel veterem rubricam consuluisset, vel HAMONDVM LESTRANGIVM, qui veterem cum noua comparat. Enimuero non id egit, vt in sensum rubricarum inquireret, sed vt exceptiones reperiret contra rubricas.

CONSTITVTA sic controuersia de eo, quænam ornamenta vsurpanda sint, proxima quæstio est, An liceat ea vsurpari in publico cultu Dei? Atqui heic inter se dissident aduersarii. Alii ea absolute illicita, superstitiosa, papistica & antichristiana pronuntiant. Alios hoc facere pudet, qui dicunt, se non opponere se eorum vsui, sed tantum impositioni & eiectioni hominum ex ministerio, qui iis vti non audeant. [n]

COMPAREMVS iam scriptores ecclesiæ *Gallicanæ* cum his vtriusque generis aduersariis. Primum obseruo, CALVINVM non aduersatum esse vestitui cuidam scholastico, nec statutis eum iniungentibus. Ipse enim processit cum toga, siue longa palla, qui mos erat ministrorum *Geneuensium;* quo nomine semel tantum per omnem vitam reprehensus est, idque a stolida femina, quæ declamitabat aduersus longas vestes, vtpote quibus indecenter

(n) Ita Baxter. *Engl. Nonconf.* cap. III. & XXXIII.

vteren-

vterentur clerici cum magno ecclesiæ offendiculo, & a quibus dignosci possent falsi prophetæ. Probare id voluit ex euangelio, *Quid sibi vult*, inquiens, *locus ille euangelii, Venient ad vos in longis vestibus?* Respondit CALVINVS, se nescire, vbi esset illa sententia, nisi forte inueniretur in euangelio *Manichæorum*. Quum sentiret femina se vrgeri, conquesta est de CALVINI eiusque fratrum tyrannide, quod non cuiuis liceret quiduis garrire. Atque ita cessauit disputatio. *Hæc vulnera*, inquit CALVINVS, *quod insanabilia videntur, intacta relinquo, donec manum Dominus admoueat.* [o]

HOMINES, in quibus tam exiguus est sensus & intelligentia, vt existiment, cum toga seu veste longa discriminis & decori caussa procedere esse contra regulas euangelii, ex CALVINI opinione non sunt ii, quibuscum disputemus, sed potius miserandi & precis nostræ indigi, & si in obstinatione sententiæ persistant, misericordiæ Dei relinquendi, qui eos, vbi & quando volet, conuincat.

QVID autem, si homines communionem nostram deserere velint, eo quod vtamur toga vel superpelliceo; aut, vbi hæ res iniunguntur, earum vsum omnino recusant? Quod ad togam, CALVINVS occasionem habuit hanc quæstionem resoluendi in re quadam peculiari, quæ *Geneuæ* accidit, ipso gubernacula tractante vniuersitatis; quam in alia epistola ad *Farellum* his verbis narrat, *Scis*, inquiens, *leges illas esse latas, vt scholastico habitu* [p] *contenti gladios deponant* (studiosi ad sacram cœnam accedentes). *Eas vt eludant* (*Galli* quidam) *eiurant professionem litterarum. Sed quia apparet manifesta contumacia, eam statui nullo modo ferre. Malo enim abeant omnes, quam vt heic maneant cum disciplinæ iactura.* Hoc, mea quidem sententia, est cuiusdam vestis vsum tam vehementer vrgere, quam in ecclesia *Anglicana* nunquam fieri obserues. Nihil refert, vtrum sit toga vel superpelliceum, an aliud vestimenti genus; ratio enim pro vno non minus quam pro altero genere valebit, quoad lex illud præscripserit.

(o) Caluin. epist. ad Farell. p. 98.
(p) Caluin. epist. ad Farell. p. 259.

CALVINVS superpelliceum siue albam episcopalem non habuit in rebus illicitis. Scribens enim ad BVLLINGERVM de IOANNE HOPPERO, episcopo *Glocestriensi*, *Sicuti in recusanda vnctione*, inquit, *eius constantiam laudo, ita de pileo & veste linea maluissem (vt illa etiam non probem) non vsque adeo ipsum pugnare: idque nuper suadebam.* [q]

THEODORVS BEZA idem iudicauit, quando ad offensos fratres in *Anglia* scripsit, qui apud eum de superpelliceo & aliis quibusdam rebus mediis, quas sibi imponi dicebant, questi erant. *Istae caerimoniae*, inquit, *quum non sint ex earum rerum genere, quae per se impiae sunt, non videntur nobis tanti momenti, vt propterea vel pastoribus deserendum potius sit ministerium, quam vt vestes illas adsumant, vel gregibus omittendum publicum pabulum potius, quam vt ita vestitos pastores audiant.* [r]

PETRVS MARTYR amico cuidam in *Anglia*, quem scrupulus pungebat de superpelliceo, scripsit in haec verba: *Optarim omnia quam simplicissime fieri, quum tamen cogito, si inter Saxonas & nostras ecclesias quoad dogmata pax obtineri posset, propter huiuscemodi vestes haudquaquam separationem futuram.* [s]

IN alia epistola ad HOPPERVM fusius demonstrat, vestes huiusmodi esse licitas, & ad omnia argumenta, quibus HOPPERVS earum vsum impium & illicitum esse probare studuerat, respondet. *Non eo me adducunt*, inquit [t], *rationes abs te allatae, vt statuam, vsum huiusmodi vestium exitiosum esse, aut natura sua verbo Dei contrarium, quem omnino* ἀδιάφορον *arbitror. - - Licet retinendum vestium in sacris discrimen haud putem, impium nihilo minus esse nequaquam dicerem, ita vt quoscunque viderem illum vsurpare, damnare audeam. Certe si persuasum id haberem, numquam cum ecclesia heic in Anglia communicassem, in qua discrimen huiusmodi adhuc est conseruatum. Nam licet, vt dixi, parum illud approbem, attamen video quandoque in his indifferentibus non-*

(q) Caluin. ep. ad Hopper. p. 60.
(r) Bez. ep. XII. ad fratr. Anglos.
(s) Martyr. epist. XLI. ad amic. p. 1127.
(t) Martyr epist. IV. ad Hopper.

nulla

nulla quamuis molesta sint & onerosa, quoad non aliter liceat, ferenda esse, ne, si pro illis acerbius quam oportet contendatur, id & progressui euangelii sit impedimento & quae natura sua sunt indifferentia, nostra vehementi contentione doceantur impia. - - Si illa, quae indifferentia sunt, vt impia praedicemus, adeo fere omnium animi a nobis alienantur, vt doctrinae solidae atque concionibus necessariis attentos & patientes auditores amplius non se praebeant. Si pergamus haec indifferentia quasi perniciosa & impia dissuadere, permultas ecclesias non ab euangelio alienas damnamus, & innumeras, quae antiquitus vt laudatissimae celebrantur, nimis acerbe taxamus. Non me latet, ecclesiarum auctoritatem siue praesentium siue praeteritarum non eo debere valere, vt illis verbi DEI veritas prematur, nam ea, etsi fractus orbis illabatur, inconcussa & immota permanere debet, sed propter ἀδιάφορα id minime faciendum esse contendo, vel vt damnentur, vel vt de eis minus honeste loquamur.

His dictis respondet ad rationes HOPPERI; vbi ostendit, 1. Non omnem rituum iudaicorum imitationem esse illicitam. 2. Haec discrimina vestium non esse inuenta antichristi, quia appareat, priusquam esset papae tyrannis, nonnulla fuisse in ecclesia. 3. Omnia humana inuenta non illico damnanda esse, alioquin humanum inuentum esse, vt mane potius quam a prandio communicemus. 4. Vsum superpellicei habere posse aliquam honestam iustamque significationem, a scripturis non alienam. *Ministri ecclesiae*, inquit, *sunt angeli & nuntii Dei, vt Malachias testatur; Et angeli semper fere albis apparuerunt vestibus induti. Quomodo priuabimus ecclesiam hac libertate, vt non possit suis actionibus & ritibus aliquid significare, modo id fiat non statuendo cultum Dei, modeste atque paucis, vt populus CHRISTI caerimoniis non oneretur & ne meliora impediantur. Dicas, praestent se angelos, non id significent. Audio. At idem potuisset Paulo respondere, quando statuebat ad Corinthos, vt mulier esset operto capite & vir aperto. Rationem quippe significationis tantum*

tum vrget. Nam quispiam illi ex ecclesia Corinthia respondere potuisset; praestet se vir caput mulieris, & mulier subiectam viro se factis & vita demonstret, non id signis declarare contendant. At vidit apostolus, & hoc vtiliter fieri, vt non tantum recte viuamus sed etiam verbis & signis de officio admoneamur. cetera. Addit 5. *Neque illico tyrannidem induci arbitror, si quid ecclesia indifferens suscipiat agendum & a multis constanter seruetur. Hodie sic administramus eucharistiam tempore matutino, vt a prandio nolimus in sacro coetu synaxin habere. At quis dicet, hoc esse tyrannicum, quod voluntate atque consensu pari omnes facimus?* [u]

HAEC verba PETRI MARTYRIS non solum superpellicei vsum vindicant, sed illius etiam impositionem liberant a tyrannide, quo nomine eam BAXTERVS & alii tam confidenter arguunt. Atque id tanto magis notari meretur, quia verba sunt viri, qui suo quidem iudicio illud seponendum statuebat, tantum vero moderationis discretionisque adhibebat, vt de eo non contendere induceret animum. Deus eamdem mentem omnibus mortalibus inspiret, & nullus amplius contentioni de superpelliceo locus futurus est!

PETRVS MOLINAEVS tantum abfuit, vt scrupulis de vllo habitus genere indulserit, vt respectu habito ad eos, qui heic eo tum offensi essent, dicere solitus sit, "Si regina, *Galliarum* gubernatrix, potestatem sibi daret concionandi coram ipsa, se id vel in toga monachi facturum": quemadmodum MOLINAEVS filius, qui vitam huius parentis sui scripsit, se ex ipso eius ore audisse narrat. [w] Et ego quidem credo, paucos fore *Gallos*, qui non laeto animo licentiam concionandi & libertatem religionis in solo patrio multo durioribus conditionibus accepturi sint, quam quibus vsus superpellicei in *Anglia* nostra imponitur.

(u) Mart. epist. IV. ad Hopper. p. 1086.

(w) Vita Molinaei ante librum, qui inscribitur *Nouitas papismi.*

LIBRI

LIBRI TERTII
CAPVT OCTAVVM,

De regulis computandi diem *paschae:* Quod posito, eas sibi inuicem contradicere, ad vsum tamen libri communium precum vnusquisque honeste adsentire & consentire possit.

NIHIL est, quod a BAXTERO in omnibus libris saepius repetatur, quam haec obiectio de regula ecclesiastica computandi festum diem paschae. *Kalendarium*, inquit, *veram suppeditat regulam computandi festum diem paschae; est autem isti addita alia regula, ad quam semper computari debeat, quae saepissime falsa est, vti omnes fasti docent. Hoc est, quod sit semper prima dies dominica post primum plenilunium, quod proxime post vicesimum primum diem Martis incidit.* [x]

NON examinabo in praesenti, vtrum regula, contra quam excipit BAXTERVS tamquam falsam, falsa sit, an non sit. Constat inter omnes, qui rationem computandi & astronomiam intelligunt, generatim eam esse veram, nec omnes fastos ostendere illius falsitatem. Fac autem, eam semper fallere; quid hoc ad adsensum & consensum attinet, quo vsum liturgiae comprobare iubemur? Supra ostendi, per adsensum & consensum non intelligi, quod quilibet titulus & dictio quaelibet in libro quodam sit sine vlla exceptione vera, sed quod non contineat errores repugnantes contra verbum Dei, qui efficiant, vt in cultu Dei vsurpari non possit; quae scriptorum *Anglicanorum* [y] hac de re sententia est. Iam posito, hanc regulam esse falsam; cur nihilo minus consentiamus ad vsum liturgiae? Maxime si consideremus, hanc, quae venditatur, falsitatem non nisi nouissime detectam esse, neque nos cogi dicere, esse eam veram regulam, nec vllo modo ad vsum eius restringi: quia aliam regulam habemus ex omnium confessione veram & prorsus consentaneam consilio ecclesiae, quae est, vt

(x) Baxter. *English Nonconformity* cap. XV.
(y) Vid. supra cap. *de adsensu & consensu*, nec non Sherlock's *Defence of Dr.* Stillingfleet p. 105.

vnam

vnam tantum sollemnitatem paschalem singulis annis, non plures, celebremus, tametsi BAXTERVS, duas nobis celebrandas esse dicat. Si eiusmodi errores adsensum et consensum impedire posse existimantur, vix vllum humanum scriptum inuenias, cui quis honeste adsentiri possit. Ecclesia *Gallicana* non habet nostras regulas computandi diem festum paschæ, sed stilum nouum *Gregorii* papæ sequitur, & vndecim dies, immo integrum nonnunquam mensem aut quinque hebdomadas ante nos istam sollemnitatem celebrat, nisi auctor meus [z] me fallat. Iam vero multi excellentes chronologi, IOSEPHVS SCALIGER, SETHVS CALVISIVS, MICHAEL MOESTLINVS & DAVID ORIGANVS probare annisi sunt, nouum illud Kalendarium multos continere errores; et regula in computando tempore celebrandi sollemnitatem paschæ præscripta non minus falsa videbitur quam nostra, quæ regula fuit concilii *Nicæni*. Annon autem ecclesia *Gallicana* ad vsum huius kalendarii consentire & paschæ diem ex præscripto eius celebrare poterit, non obstantibus eiusmodi erroribus? Quem finem hæresium & schismatum habituri sumus, si tales res scrupulos in hominum animis excitaturæ eorumque adsensum & consensum ad pii cuiusdam & diuino cultui accommodati libri vsum impeditaræ sunt? Iam supra demonstraui, ecclesiam *Gallicam* a ministris suis requirere adsensum & consensum ad vsum versionis bibliorum, in qua confitetur deprehendi quosdam errores. Licet non omnes ac singulæ voculæ ad sacros fontes accurate & exacte redditæ sint, (neque adeo hoc sensu eam tanquam accuratam interpretationem, adsensione sua comprobare possint, vbi rem aliter se habere sciunt) illorum tamen quilibet ad istam versionem tanquam legitimam nec verbo Dei contrariam adsentire & consentire, adeoque illa nec vlla alia in ministerio suo vti debet. Quidni nos æque innocenter ad vsum liturgiæ, falsam regulam computandi sollemnitatem paschæ habentis, consentire possimus, atque ecclesia *Gallica* ad vsum versionis bibliorum consentit, quam nonnullas res continere profitetur, ad archetypum minus recte translatas? Si hoc in ministris *Anglicanis* est adsentiri paruo mendacio, vt modeste vocat BAXTERVS, non video, quomodo ecclesia *Gal-*

(z) Meggerlin. commentar. chronologic. cap. X. p. 91.

licana

licana eamdem imputationem possit effugere. Non regeram convicianti conuicia, nec mendacii eum incusabo, sed libertatem mihi tantum sumo dicendi, ipsum & reliquos omnes, qui ita incusant ecclesiam *Anglicanam*, errore duci in caussa adsensus & consensus, nec satis intelligere illius constitutionem. Neque ipsimet facti sui rationem reddere possunt, quod ad legenda biblia consentiant, ex suis ipsorum principiis & hypothesi. Nam omnium optima versio, cuius ad vsum illi aeque ac nos consentiunt, multis optimae notae criticis creditur habere loca quaedam perperam reddita (maioris quidem momenti, quam regula est de supputando festo die paschae) quae accuratiore interpretatione indigeant. Vnum tantum exemplum producam, quod detexit D. EDVARDVS POCOCKIVS, vir, qui toto orbe propter modestiam non minus quam doctrinam suam, in omnibus scriptis eius conspicuam, magno honore & nomine est. Locus quem intelligo, est *Mich.* VII. vbi praesens versio habet, *Thou Bethlehem Ephratha, though thou be little among the thousands of Juda.* (h. e. *Tu Bethlehema Ephrathae, licet sis parua in millibus Iudaea;*) quum vir ille doctus prorsus aliter eum reddi debere ostendat, nimirum ita: *Thou Bethlehem Ephratha art very great among the thousands of Iudah* (h. e. *Tu Bethlehema Ephratae es omnino magna in millibus Iudaea.*) Nam, vti obseruat, vocabulum *Hebraeum* צעיר *Tsaïr*, significat *paruum* & *magnum*. Et quemadmodum in quibusdam locis, vbi sensus sic requirit, reddi debet per *paruum;* ita hoc loco vertendum est *magna* scil. *Bethlema*. Ita enim *Matthaeus* hoc dictum citat: *Et tu Bethlehema terra Iudae, nequaquam minima*, hoc est, omnino magna *es inter duces Iudae*, *Matth.* II, 6. Quae res ostendit, Euangelistam vocabulum צעיר Tsaïr, in *Micha* intellexisse significare magnum, & propterea iam sic vertendum erat: quemadmodum viri docti, postquam id a POCOCKIO detectum est, generatim consentiunt. [a]

IAM si regula aduersariorum recte se habet, Quod nemo sine paruo mendacio adsentire & consentire possit ad libri vsum,

(a) Vid. Pocock. not. miscell. in port. Mos. cap. II. p. 17. & comment. eius in Mich. cap. V, 2. It. Henrici Hammond. adnotat. in Matth. II, 6. Io. Henrici Hottinger. smegma orientale: nec non Io. Frischmuth. dissertat. de Mich. & Matth. citata a Carolo le Cene in scripto: *Project d'une nouvelle version* p. 166.

qui vel minimum errorem continet; quomodo hi, qui rationibus POCOCKII conuicti persuasum habent, locum ante memoratum perperam in linguam nostram conuersum esse, præsenti interpretationi adsentire & consentire possunt? Annon oportet, vt nec ecclesia, nec ab ea dissentientes aduersarii bibliis vtantur in suis conventibus ante, quam versionem habeant omni errorum genere prorsus liberam? Vbi vero eiusmodi minime fallacem versionem offendemus? Num dissentientes, quocumque nomine appellentur, eiusmodi interpretationem adgredi audebunt? An vero omnes & singulos ministros a legendis bibliis in sacris conuentibus liberos pronuntiabunt, donec id fecerint? Si in præsenti versione parui quidem errores insunt, cur non contra illam æque repugnant atque contra liturgiam? Cur non statim nouam adornant hominumque censuris, si eam confecerunt, exhibent & vnicuique, qui errorem quemdam in illa inuenerit, libertatem relinquunt ei adsentiendi vel non adsentiendi, ea vtendi vel non vtendi, prout ipsi libuerit? Nemo est, quin sentiat, quam periculosas & absurdas consequentias habitura esset eiusmodi libertas. Et tamen ratio contra præsentem bibliorum interpretationem æque valet atque contra liturgiam, eo quod errorem in regulis suis de computanda sollemnitate paschali habere creditur. Si nihil aliud homines conuincere potest, hoc posse spero, quod periculosum sit adsensum & consensum tantopere intendere, nisi ad minimum eo delabi velint, quod nec ipsis bibliis adsentire eatenus possint, vt ea in ecclesia in vlla humana interpretatione legi iubeant.

LIBRI TERTII

CAPVT NONVM.

De confessione & absolutione, vti obtinet in liturgia ecclesiæ *Anglicanæ;* et de ritu inflectendi genua & standi in diuino cultu.

VENIMVS iam ad diuersas partes liturgiæ; vbi primo nobis se offert generalis confessio a tota congregatione, ministro verbis præeunte, flexis genibus recitanda. Sunt, qui contra breuitatem huius confessionis excipiunt; quæ si virium

est,

eſt, confeſſio in liturgia CALVINI, quæ in vniuerſa eccleſia *Gallica* vſurpatur, hoc nomine itidem reprehendenda eſt, quam eorum cauſſa, qui eam nunquam audiuerunt, ex operibus CALVINI huc tranſcribere non ab re fuerit. *Domine Deus, Pater æterne & omnipotens, agnoſcimus & ingenue profitemur apud ſanctam maieſtatem tuam, nos miſeros peccatores eſſe, conceptos & natos in iniquitate & prauitate: ad nequitiam procliues, ad omne autem bonum opus inutiles, noſque, vt vitioſi ſumus, nullum transgrediendi ſancta tua mandata finem facere. Quo fit, vt exitium a iuſto iudicio tuo nobis arceſſamus. Attamen, Domine, anxie gemimus, quod te offenderimus, ac nos vitiaque noſtra damnamus, cum vera pœnitentia, optantes vt gratia tua noſtræ ſuccurrat miſeriæ. Tua igitur nos miſericordia dignare DEVS & PATER clementiſſime ac ſumme miſericors, in nomine filii tui IESV CHRISTI, Domini noſtri, & vitia noſtra delens, omnes ſordes abluens, indies dona SANCTI tui SPIRITVS nobis adauge; vt corde intimo iniquitatem noſtram agnoſcentes, magis ac magis nobis diſpliceamus, atque ita ad veram pœnitentiam ſtimulemur: hic autem nos cum omnibus peccatis mortificans, fructus iuſtitiæ & innocentiæ tibi gratos producat: per illum ipſum IESVM CHRISTVM, Dominum noſtrum.* [*b*]

SIC eſt, vniuerſam congregationem non oportet hanc confeſſionem miniſtri præeuntis verba imitando recitare, vti apud nos fit, ſed mentibus tantum ſuis ipſum proſequi. Diſcrimen autem in hac circumſtantia tam leuis momenti eſt, vt illi ad diſputandum valde procliues ſint, oporteat, qui hac de re controverſiam excitare amant.

QVOD ad geſtum flectendi genua attinet, is in eccleſia *Gallica* omni populo, ſine vllo perſonarum diſcrimine, præciſe iniungitur. *Corrigetur irreuerentia*, inquit liber diſciplinæ, *quæ in multis obſeruatur, qui nec in publicis nec in priuatis precibus caput aperiunt, nec genua flectunt, quæ res pietati aduerſatur, et ſuſpicionem dat ſuperbiæ, bonasque mentes offendit. Quare paſtores, ſeniores & capita familiarum admonentur, prouideant diligenter, vt durantibus precibus omnes ſine vlla exceptione & per-*

(*b*) Caluin. formul. prec. tom. VIII. p. 29.

ſonarum diſcrimine his externis ſignis animi ſui ſubmiſſionem & reverentiam, quam DEO deferunt, teſtificentur, niſi vel morbo vel alia quadam re impediantur, quo minus id poſſint facere. [c]

IAM comparemus hoc cum rubrica noſtra & canone decimo octauo, qui ait: *Nemo caput ſuum in eccleſia vel ſacello tempore diuini cultus operiat, niſi quadam infirmitate laboret. Et omnes omnium ordinum homines tum præſentes, reuerenter ſubmittant genua, quando generalis confeſſio, litania & preces leguntur.* [d] Si quis eccleſiam noſtram propter has regulas decentiæ reprehenderit, is ſe multo ſeuerius per diſciplinam eccleſiæ *Gallicæ* damnatum videbit.

DE abſolutione, fateor, liturgia CALVINI non continet eiusmodi formulam. Ipſemet autem dicit, eſſe eam initio a ſe omiſſam & in liturgia ſua deſiderari; voluiſſe ſe poſtea hunc defectum ſupplere & emendare, non autem potuiſſe. Ingenue hoc fatetur in epiſtola quadam ſua: *Confeſſioni publicæ*, inquiens, *adiungere inſignem aliquam promiſſionem, quæ peccatores ad ſpem veniæ & reconciliationis erigat, nemo noſtrum eſt, qui non agnoſcat vtiliſſimum eſſe. Atque ab initio hunc morem inducere volui: ſed quum offenſionem quidam ex nouitate metuerent, nimium facilis fui ad cedendum. Ita res omiſſa eſt. Nunc vero non eſſet opportunum, heic quidquam mutare: quia antequam ad finem confeſſionis ventum fuerit, magna pars incipit ſurgere. Quo magis optamus, dum nobis integrum eſt, ad vtrumque adſueſieri.* [e]

IMMO VERO non poſſum facere, quin id hoc loco obiter de CALVINO vere prædicem, non fuiſſe eum priuatæ abſolutioni, prout in eccleſia *Anglicana* obtinet, inimicum. Nam in reſponſione quadam ad IOACHIMVM WESTPHALVM mentem ſuam de illa ſic declarat: *Priuata abſolutio, quam ſit vtilis, negare mihi propoſitum non eſt, ſed quemadmodum pluribus ſcriptorum meorum locis eius vſum, modo liber ſit & ſuperſtitione purus, commendo: ita lege obſtringi conſcientias neque fas eſt neque etiam expedit.* [f]

(c) Diſciplin. eccleſ. Gallic. cap. X. artic. I.
(d) Can. XVIII. eccleſ. Anglic.
(e) Caluin. epiſt. de quibuſdam eccleſ. ritib. p. 206.
(f) Caluin. defenſ. II. ad Weſtphal. tom. VIII. p. 678.

HA-

HABEMVS heic iudicium CALVINI plene & integre pro vtilitate tam publicæ quam priuatæ abſolutionis. Fatetur, eſſe defectum in ſua liturgia, quod careat publica abſolutione. Eccleſia autem *Gallica* hunc defectum quodammodo, et quoad fieri licebat, ſupplere ſtuduit ita, vt pacem congregationum ſuarum ne vocaret in diſcrimen. Synodus enim *Pariſienſis* ſecunda MDLXV hunc fecit canonem: *Eccleſiæ, in quas iam inductus eſt mos diebus, vbi ſacra cœna diſtribuitur, vel ſingulis etiam dominicis poſt peccatorum confeſſionem pronuntiandi abſolutionem generalem, ita facere pergent: in illis autem locis, vbi hæc conſuetudo nondum obtinet, ſynodus monet, ne admittatur propter periculoſas, quæ inde oriri poſſint, conſequentias.* [g]

REM approbant & vt continuetur, vbi iam in vſu eſt, monent, periculoſum autem eſſe exiſtimant, mutationem offerre, vbi non ſit introducta; verentes, ne rei nouitas offenſionem importet vel occaſionem turbarum. Ex quibus apparet, non optione ſed neceſſitate factum eſſe, vt CALVINVS & eccleſia *Gallica* publicam abſolutionem liturgiæ ſuæ inſerere omiſerint. Non improbant rem, ſed opportuna occaſione, quam eccleſia *Anglicana* habuit, eam introducendi fuerunt deſtituti.

QVOD ad ritum ſurgendi ad abſolutionem & alias quasdam precationes, miniſtris in rubrica iniunctum, attinet; eamdem conſuetudinem obſeruo in quibusdam caſibus præſcriptam eſſe in eccleſia *Gallicana*. Nam in formula ordinationis, quam ſynodus apud *S. Maxentii* habita præſcripſit, miniſter ordinans diſertis verbis iubetur ſurgere, vbi ad preces conſecrationis pertingat, easque ſtando recitare. Id quod eas etiam eccleſias, quæ abſolutione vtuntur, eodem geſtu facere & ſymbolum quoque fidei recitare, probabile eſt. Nihil certi autem de his adfirmare poſſum, quia expreſſum canonem vel rubricam non inuenio, quo geſtu recitari debeant.

(g) Synod. Pariſ. II. cap. IX. art. XVII. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 67.)

LIBRI TERTII
CAPVT DECIMVM.

Ecclesiam *Gallicam* orationem dominicam pro formula precandi habere, eaque vt tali sæpius vti in publico Dei cultu.

DVO communiter contra orationis dominicæ vsum in ecclesia nostra dicuntur. 1. Quod ea vtamur vt formula. 2. Quod sæpius eam repetamus in diuino cultu. Ad primam obiectionem copiose respondet CHAMIERVS: Quod seruator noster suis eam discipulis dederit tanquam formulam, quod ea vsi sint tanquam formula in quotidianis suis precibus, quod & vniuersa fecerit ecclesia primitiua, id quod TERTVLLIANI, CYPRIANI & AVGVSTINI probat testimoniis. Atque hinc occasionem capit contra *Gerardum*, aduersarium suum pontificium, probandi, *Mariam* virginem non fuisse ἀναμάρτητον seu peccati expertem, quia cum apostolis vsa sit oratione dominica. *Consentaneum est*, inquit, *Virginem recte immo optime esse precatam DEVM. Est autem certum, nullam esse meliorem rationem precandi Deum, quam quæ a CHRISTO est tradita.* CYPRIANVS *de oratione:* " *Quæ potest esse magis spiritualis oratio, quam quæ* " *vere a CHRISTO nobis data est, a quo nobis & SPIRITVS* " *SANCTVS missus est? Quæ vera magis apud PATREM* " *precatio, quam quæ a FILIO, qui est veritas, de eius ore pro-* " *lata est*"? *Secundo constat, Mariam orasse cum reliquis discipulis, teste Luca, Act. I, 14.* " *Hi omnes concorditer perdurabant* " *in oratione & deprecatione cum vxoribus & Maria matre IE-* " *SV & cum ipsius fratribus*". *Si orabant vna, ergo communis omnibus fuit formula. Tertia, quia* AVGVSTINVS *de peccatorum meritis & remissione libr. II cap. XXIV ait,* " *Non tantum* " *vniuersaliter fidelibus omnibus, verum etiam singulis esse oratio-* " *nem dominicam necessariam, quam tradidit discipulis suis*". [b] Hæc sunt argumenta CHAMIERI, ad probandum, *Mariam* æque ac reliquos omnes oratione dominica vti debuisse.

(b) Cham. panstrat. tom. III. de peccat. origin. lib. V. cap. XII. n. X.

CON-

CONTRA hæc pontificius aduerfarius eius opponebat. 1. Non probari e fcripturis, *Mariam* vfam oratione dominica: immo neque ex yllo veterum fcriptorum nominatim de *Maria* conftare. 2. Orationem dominicam compofitam in rudiorum & imperitorum gratiam, qui orare nefciant. At Virginem ab infantia edoctam fuiffe a Deo habuiffeque fuas orandi formulas. Ad quæ refpondet CHAMIERVS: 1. *Falfum fumit GERARDVS. Nam ex fcripturis concluditur id ipfum, Difcipuli orarunt dicentes: Pater nofter; Ea propofitio maior conftat euangeliftis teftibus. At Maria orauit cum difcipulis: id ipfum conftat ex Actis. Ergo conclufio, Maria orauit dicens: Pater nofter, probata eft ex fcripturis.* Ad fecundum refpondet, *Orationem dominicam compofitam effe in rudiorum gratiam, intelligendum, vel quomodo totum verbum DEI inftitutum eft, vt erudiat imperitos, Pfalm. XIX. nempe ita, vt imperitos erudiat & prouectis fit non tantum vtile fed & neceffarium: vel vt elementa litterarum ita rudioribus accommodentur, vt prouectioribus fint inutilia. Illo modo conceditur, hanc orationem fuiffe ab initio compofitam, fed ifto negatur.* [i]

TANTVM abeft, vt doctus ille *Gallus* de oratione dominica, tanquam formula, tam contemtim fenferit, vti nonnulli apud nos fentiunt, vt cum AVGVSTINO & reliquis prifcæ ecclefiæ patribus, eam tamquam formulam, cum in conuentibus ecclefiafticis, tum a fingulis priuatis chriftianis adhibendam effe crediderit.

ANDREAS RIVETVS in eadem fuit opinione. Nam inter alia argumenta, quibus ftatas formulas & licitas & vtiles effe probare nititur, hoc vrget, Quod CHRISTVS difcipulos fuos formam orandi docuerit. *Quæri folet*, inquit, *vtrum conceptis precationum formulis, publice aut priuatim vti liceat. Nos fi modo cum debita animi attentione pronuntientur, non tantum licitas, fed & valde vtiles effe contendimus; quia nouas κατὰ τὸ πρέπον concipere cuiuis chriftiano datum non eft, et attentio auditorum in magnis conuentibus per vfitatas formulas non parum iuuatur. Vnde & Deus ipfe benedictionum formam facerdotibus in veteri teftamento præfcripfit, Num. VI, 24. Immo CHRISTVS in cruce pendens deprecationis forma a Dauide tanquam typo antea obferuata*

(i) Chamier. ibid. n. XII. XIII.

vfus

vsus est Matth. XXVII, 46. et discipuli CHRISTI Luc. XI, 2. rogauerunt CHRISTVM, vt doceret ipsos precari, prout Ioannes docuerat discipulos suos, quibus a CHRISTO responsum est: Quum precamini dicite: Pater noster, qui es in cælis, cetera. Ex quibus verborum circumstantiis manifestum est, precationem hanc CHRISTI non esse tantum recte precandi normam, sed insuper quoque vitæ precandi formam: sicuti quoque tota vetusta ecclesia id semper extra controuersiam statuit. [k]

QVAE de antiqua ecclesia viri illi obseruant, tam recte se habent, vt probare ausim, per integros mille & quingentos annos vsum orationis dominicæ a nullis improbatum fuisse, nisi a *Pelagianis*. Neque hi vsum eius penitus reiecerunt, neque eam improbarunt tanquam formulam, sed ex alia ratione; quia vni cuidam ex præcipuis dogmatibus eorum contradicebat, quod erat, Esse quosdam homines in hoc mundo tam perfectos, vt necesse non habeant veniam peccatorum sibi ipsis, sed tantum aliis, a Deo petere. Cuius dogmatis respectu optare potuissent, vt orationis dominicæ vsus prorsus cessaret; quia autem adeo vniuersaliter in tota ecclesia catholica obtinebat, hanc rem desperabant; adeoque ea vti pergebant contenti falsa, quam petitioni quintæ adfingebant, explicatione; Quod non sibi sed aliis remissionem peccatorum orarent: quemadmodum ex concilio *Mileuitano* [l] & codice *Africano* [m] apparet, vbi errores eorum damnantur.

SPERO, fore hodie neminem, qui ex eodem principio orationis dominicæ vsum improbet: Verumtamen reiectio eius, ex quocunque demum principio fiat, magnus error est, et talis quidem, qui ab vniuersa ecclesia catholica, et speciatim ab ecclesia reformata *Gallicana*, damnatur.

SI dixeris, ecclesiam nostram vsum eius iniungere iusto crebriorem, et hoc esse, quod tam multos offendat: Respondeo. 1. Posito, non esse id tam commodum, quam quidem optarint, tamen non omnia incommoda liturgiam illicitam, nec separationem ab ea iustam efficiunt, quemadmodum ex principiis eccle-

(k) Riuet. synops. pur. theol. disput. XXXVI. n. XXXIII. vbi simul Batauorum, & Gallicanorum theologorum habetur iudicium.

(l) Concil. Mileuit. cap. VII.

(m) Cod. Afric. can. CXVI & CXVII.

siæ

siæ *Gallicanæ* demonstrabo. 2. Ecclesia nostra vsum illius raro sæpius quam semel aut bis in vllo particulari officio præscribit; et toties plerumque fit in ecclesia *Gallicana*. Ordinaria precatio eorum tam ante quam post concionem, mane æque ac vesperi, oratione dominica concluditur. Ita quoque precatio in baptismo infantium, precatio item in baptismo adultorum a synodo *Carentoniensi* vltima præscripta, vbi dicunt, esse eam ab ipso CHRISTO commendatam, vbi nos Deum inuocare iusserit, dicendo, *Pater noster, qui es in cælis.* cetera. [n]

Vt adeo, si diuersa officia vsurpanda esse supponamus, necesse sit sequi, vt oratio dominica sæpe repetatur. Præterea IOANNES DVRELLVS obseruauit, ministros cum in *Belgio* tum in *Gallia* eam plerumque ter recitare, dum in suggestu consistant. [o]

In liturgia CALVINI, apud *Geneuates* vsitata, in quolibet fere officio occurrit. Verbi gratia, 1. in ipsius ministri precatione ante concionem recitari potest, si ei lubeat. 2. In longa precatione, post concionem adhibenda, paraphrasis quædam [p] eius habetur, qua illa concluditur. 3. In formula extraordinariarum supplicationum pro diebus festis ad verbum interposita est in media precatione post concionem. 4. Vsurpatur etiam ad concludendam precationem consecrationis in baptismo infantium. [q]

Atqve ita discrimen inter ecclesiam *Gallicam* & *Anglicam* hac in re tam exiguum est, vt, qui vni contradicit, ei necesse sit et alteram damnare. Quod si factum fuerit, nunquam vindicabit morem eorum, qui negant, orationem dominicam esse formam eiusque vsum plane repudiant. LVDOVICVS CAPPELLVS eos non meliore loco habet quam furiosos, quos zelus suus contra

(n) Synod. Carenton. III. cap. IX. p. 459. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 660.)

(o) Durell. *Conform. of Reform. Churches p.* 37.

(p) *Ex fide digna narratione audiui*, Carentonii, *loco paraphrasis, ministros solere orationem illam recitare, tantum vt formulam.*

(q) Caluin. formul. prec. ecclesi. tom. VIII.

ſtatas formulas ad eiuſmodi immoderatam agendi rationem abripuit. *Quis illorum furorem ferat*, inquit, *ac non potius exſecretur, qui iactant ſe vel nunquam, vel per multos annos orationem dominicam non recitaſſe, eoque nomine Deo ſe gratias multas habere gloriantur. Quaſi vero CHRISTVS apoſtolos ſuos eam orationem docuerit, vt nunquam ea recitaretur, ſed dumtaxat vt ea compendioſe complecteretur ea omnia, quæ nobis ſunt a Deo petenda. Putantne ergo, apoſtolos illam nunquam recitaſſe, ſed preces ſuas dumtaxat ad illius normam & exemplar aliis verbis conceptas, ad Deum fudiſſe? Quid ergo eſt, quod omnes eccleſiaſtici ſcriptores & primitiuæ eccleſiæ doctores dicunt, apoſtolos ſola orationis dominicæ recitatione panem & vinum eucharistiæ conſecraſſe, quod & ab vniuerſa eccleſia chriſtiana ad eorum exemplum poſtmodum factum eſt? Quid? quod quum omnia, quæ nobis ſunt neceſſaria, non poſſumus ſigillatim & particulatim precibus noſtris ordinariis explicare (longum enim & infinitum illud eſſet) conſentaneum & plane neceſſarium eſt, vt eas oratione iſta concludamus, vt, quæ in illis omiſſa ſunt, breuiter & ſummatim συλλήβδην a Deo poſtulemus, quo ſpectat formula illa a reformatis vſurpata ante illius orationis recitationem; " Hæc & alia quæ noſti, Domine, " nobis eſſe neceſſaria, a te poſtulamus in nomine CHRISTI, ea " orationis formula, quam ipſe nos docuit, Pater noſter,"* cetera. [r]

Haec verba & neceſſarium vſum orationis dominicæ et crebrum vſum illius vindicant; hoc eſt, quoties petitiones facimus noſtris ipſorum verbis, vel ſi officium noſtrum in diuerſas partes diuidimus, oratione dominica vti licet in ſingulis partibus; et hoc eccleſiæ *Gallicæ* & forte omnium reliquarum eccleſiarum proteſtantium conſuetudini eſt conſentaneum.

(r) Cappell. diſput. XXXVIII. de liturg. n. XII. XIII. inter theſ. Salmur. part. III.

LIBRI

LIBRI TERTII

CAPVT VNDECIMVM.

De vſu ſymboli apoſtolorum in eccleſia *Gallica.*

DE hoc ſymbolo res quatuor obſeruo in praxi eccleſiæ *Gallicæ.* 1. Quod ei dent nomen *ſymboli apoſtolici*, ſicut nos in liturgia noſtra. Ita vocatur in confeſſione ipſorum art. V. nec non in liturgia & catechiſmo, vbicumque de eo loquuntur. 2. Congruunt cum eccleſia noſtra de huius nominis ratione. *Eam* (formulam confeſſionis) *vulgo ſymbolum apoſtolicum vocant*, inquit catechiſmus eorum, *quod ab initio eccleſiæ recepta ſemper fuerit inter omnes pios: et quod vel ab ore apoſtolorum excepta fuerit, vel ex eorum ſcriptis fideliter collecta.* [s]

VT adeo eccleſiæ *Anglicanæ* vel *Gallicanæ*, quando ſymbolum apoſtolicum vocant, propoſitum non fuerit homines ſenſu ſtrictiſſimo obſtringere, vt illud ab ipſis apoſtolis compoſitum crederent, ſed vt tanquam orthodoxam & primitiuam formulam fidei acciperent, vel ab ipſis apoſtolis traditam vel ex eorum ſcriptis a proximis ſucceſſoribus illorum collectam. Liberum eſt, vtram opinionem quis amplecti velit, quia earum neutra de fide ipſa derogat.

3. OBSERVO, quod eccleſia *Gallica* eo vtatur in iisdem ſacris officiis, in quibus eccleſia *Anglica* illud adhibet; vt in formula baptiſmi infantium a CALVINO compoſita; in formula baptiſmi adultorum, a ſynodo *Carentonienſi* præſcripta & in vſitata formula precum publicarum in die dominica. Verba liturgiæ eorum poſt precationem matutinam ſic habent: *Poſt hæc recitatur apoſtolorum ſymbolum.*

HEIC tamen obſeruare licet, & *Gallicanam* & *Anglicanam* eccleſiam in hoc vltimo capite a conſuetudine vetuſtæ eccleſiæ differre. Vetuſta enim eccleſia per ſexcentos circiter annos ſymbolum illud in publico Dei cultu non vſurpauit, niſi in inſtitutione catechetica, & quidem tanquam formulam profeſſionis fidei in

(s) Caluin. catech. tom. VIII. p. 12.

baptiſmo; quemadmodum HAMONDVS LESTRANGIVS & GERARDVS IOANNES VOSSIVS aliique viri docti oſtenderunt. Vnde ſequitur, antiquæ eccleſiæ morem in rebus mediis nec *Gallicæ* nec *Anglicæ* eccleſiæ fuiſſe regulam, ſed vtramque poteſtate & libertate ſua vſam eſſe in præſcribendis eiuſmodi rebus, quas maxime expedire & ad ædificationem facere crederent. Et propterea hunc morem recitandi ſymbolum, tanquam partem liturgiæ publicæ, vtut nouum, ſi cum aliis ritibus comparetur, quum creditus ſit vtiliſſimus & plenus ædificationis, omnes eccleſiæ proteſtantes in liturgiis ſuis retinendum duxerunt. Ipſe etiam BAXTERVS tantum abeſt, vt vſui illius ſeſe opponat, vt in emendatione, quam adgreſſus eſt, liturgiæ *Anglicanæ* tria ſymbola vniuerſa legi iubeat: *Proxime vnum ex ſymbolis recitetur a miniſtro, dicente; In huius ſanctæ fidei chriſtianæ profeſſione heic congregati ſumus. Credo in Deum patrem*, cetera. *Credo in vnum Deum.* cetera. *Interdum etiam ſymbolum Athanaſianum.* [r]

4. REVERTOR autem ad eccleſiam *Gallicanam*, vbi poſtremo obſeruo, quod licet non iubeat populum ſurgere & in recitatione ſymboli cum miniſtro ſe coniungere, tamen huic ritui non contradicat. Sæpius enim ſtandi geſtum tempore diuini cultus permittunt. Vt in formula ordinationis, quemadmodum iam oſtendi ſupra, miniſter ordinans precari iubetur ſtando ad pedem pulpiti. Et infra oſtendam, omnem populum accedere debere & communionem recipere ſtando ante menſam euchariſticam. Ex iis etiam, qui conſuetudines eorum ſatis cognitas habent & perſpectas, didici, ſolere eos ſurgere canentes vltimum pſalmi CXVIII verſiculum, & precantes ſub finem decem præceptorum. Et quod ad ſurgendi ritum in recitatione ſymboli, multos ex populo ferunt eo vti, & omnibus eo vti licere, ſi placeat, quamvis nonnulli genibus nixi permanere malint. Miniſtrum enim, qui in precibus ſuis manus complicet, (vt qui geſtus illi officio accommodatus eſt) vbi ad recitandum ſymbolum veniat, manus explicare eaque geſtus mutatione innuere, liberum illis eſſe ſurgere, ſi libeat.

(r) Vid. Baxt. *Petition for Peace and Reformation of the Liturgy* p. 26.

LIBRI

LIBRI TERTII
CAPVT DVODECIMVM.
Ecclesiam *Gallicam* symbolum *Athanasianum* approbare illudque adsensu & consensu approbandum iniungere.

VNA quidem ratio, cur nonnulli articulis & liturgiæ subscribere dubitant, est, quod symbolum *Athanasianum* credi & vsurpari iubeant. Articulus octauus [u] omnino id recipiendum esse dicit & credendum, quia firmissimis scripturarum testimoniis probari possit. Et rubrica in liturgia certis diebus lectionem eius commendat. Iam vero negant, posse se subscriptione sua ad illud recipiendum & vsurpandum consentire propter clausulas damnatorias in eo comprehensas. [w]

HÆC autem obiectio æque valebit contra morem subscribendi confessioni *Gallicæ*. Articulus enim quintus in hæc verba habet [x]: *Quamobrem tria illa symbola, nempe Apostolicum, Nicænum & Athanasianum idcirco approbamus, quod sint verbo Dei scripto consentanea.* Num articulus *Anglicanus* quidquam amplius dicit, quam hic *Gallicanus?* Annon etiam in ecclesia legere licet, quod verbo Dei consentaneum est, si rubrica nostra id præcipiat?

ITERVM heic obseruandum mihi est, quod iam supra probaui vberius, nullum ministrum ordinari potuisse in *Gallia* ante, quam huic confessioni fidei subscripsisset, cuius ex articulis vnus quidam est ille de symbolo *Athanasiano.* Vt adeo eos, qui ex hac ratione se ad ecclesiæ nostræ consuetudines conformare dubitant, in ecclesia etiam *Gallica* Nonconformistas agere oportuisset.

SI qui porro articulis vel liturgia ecclesiæ nostræ offendun-

(u) Artic. VIII. confess. Anglic. p. 127. Symbola tria, Nicænum, Athanasii, & quod vulgo Apostolorum appellatur, omnino recipienda sunt & credenda: nam firmissimis scripturarum testimoniis probari possunt.

(w) Baxt. *Engl. Nonconformity* cap. XL.

(x) Syntagm. confession. p. 100. in fin.

tur, quia hoc ſymbolum appellet ſymbolum *Athanaſii;* illi velim conſiderent, eccleſiæ non eſſe propoſitum hoc ipſo quidquam determinare, vt homines ad recipiendum illud, tanquam ſymbolum ab ipſo *Athanaſio* conſcriptum, inducat, ſed nomen dumtaxat ei dare, quo ab aliis ſymbolis poſſit diſtingui; vti fit in omnibus reliquis confeſſionibus. *Gallica* enim id vocat *ſymbolum Athanaſianum* art. V. [y] *Heluetica, ſymbolum Athanaſii* art. XI. [z] Ita quoque *Belgica* art. IX *ſymbolum Athanaſii* [a]. Et *Saxonica*, *ſymbolum Athanaſianum* art. I. [b] Quidquid autem vlla harum confeſſionum in hac appellatione ſpectat, hoc tantummodo eſt, vt homines id habeant pro orthodoxo ſymbolo, non, vt ATHANASIVM auctorem eius eſſe credant. Quæ res quum pure hiſtorica ſit, doctorum virorum diſquiſitioni relinquitur, vt de ea ita vel ſecus decernant, prout rationibus ducuntur. Quamobrem licet IOANNES ANDREWS & ANDREAS RIVETVS ab ATHANASIO compoſitum eſſe credant, crimen tamen non eſt vel in IACOBO VSSERIO, vel in IOANNE PEARSONIO, vel in HAMONDO LESTRANGIO, vel in GVILIELMO CAVEO, quod ab illis diſſentiant & cuidam multo recentiori auctori *Latino* tribuant. Ad eccleſiam nihil attinet hæc controuerſia, quoad ſymbolum ipſum orthodoxum eſſe agnoſcitur. Et de hoc omnes vno ore conſentiunt.

IMMO VERO & hoc addam oportet, ipſum BAXTERVM aliquando cum eccleſia de huius ſymboli vſu conſenſiſſe, tametſi in poſterioribus libris ſuis animus eius in illud valde exaſperatus fuit. Nam in ſcripto, quod ſub titulo *Petition for Peace and Reformation of the Liturgy* edidit, ſymbolum *Athanaſii* loco alius interdum legi iubet. Certum eſt, eo tempore, quum nouæ liturgiæ formam componeret epiſcopis exhibendam, eum non habuiſſe vllam obiectionem contra ſententiam, quam continet, damnatoriam. Quod ſi ea conſideraſſet, quæ GVILIELMVS FALKNERVS [c] & alii quidam ad eam defendendam recte dixerunt, numquam commiſiſſet, vt iniuſtos ſcrupulos contra illam mouendo *Socinianis* ſuffunderet frigidam.

(y) Confeſſ. Gallic. in ſyntagm. confeſſ. p. 100.
(z) Confeſſ. Heluet. ibid. p. 37.
(a) Confeſſ. Belgic. ibid. p. 167.
(b) Confeſſ. Saxon. ibid. part. II. p. 72.
(c) Falckner. libert. eccleſ. p. 145. ſeqq.

LIBRI

LIBRI TERTII

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Ecclesiam *Gallicam* non damnare genuflexionem in recipientibus euchariſtiam, nec adminiſtrare eam ſedentibus ſed ſigillatim accedentibus & ſtantibus ad menſam communionis. Exiſtimare, habere ſingulas eccleſias libertatem eo geſtu vtendi, quem ſibi quæque conuenientiſſimum iudicet.

DVO ſunt genera hominum, qui cum eccleſia *Anglicana* de genuflexione in communione contendunt. Nonnulli hunc geſtum ſimpliciter & vniuerſaliter damnant vt vitioſum & illicitum; quia ſit aberratio quædam a praxi & exemplo CHRISTI, qui communionem diſcipulis ſuis adminiſtrauerit ſedentibus; quem proinde geſtum ſolum licitum eſſe dicunt. Alii non adeo rigidi ſunt, ſed dicunt, licere euchariſtiam ſumere flexis genibus, & occaſione ſic ferente ſe ipſos eam ita recipere; querela autem eorum de liturgia & canone hæc eſt, quod illi a communione prohibeantur, qui in ipſo actu recipiendi genua flectere non audeant. In his poſterioribus princeps atque adeo ſecundus eſt BAXTERVS. *Ego ipſe*, inquit, *cancellos approbo & acceſſum ad eos; approbo genuflexionem, vbi pſalmos cantamus aut ſcripturas legimus, aut concionantem audimus: Nolo autem eos ſuſpendi vel damnari, qui hac in re non idem ſentiunt quod ego; nec placet mihi, res minus neceſſarias, ideo quod licitæ ſunt, in conditiones communionis eccleſiaſticæ conuerti, & genuflexionem neceſſariam fieri ad ſalutem.* [d]

QVIDQVID in his querelis continetur, eccleſiam *Gallicam* non minus quam *Anglicam* adficit. Quamuis enim eccleſia *Gallica* euchariſtiam non percipiat flexis genibus, tamen nec 1. hunc ritum damnat vt illicitum, nec 2. ſeſſione vtitur, ſed contrario geſtu, hoc eſt, ſtatione; quæ ab exemplo CHRISTI non minus re-

(*d*) Baxt. *Engl. Nonconform.* c. XIV.

cedit

cedit quam genuflexio. Nec 3. admittit vllos ad communionem, nisi qui eam recipiant eo gestu & modo, quem rubricæ & canones eius præscribunt. Vt adeo, si quid roboris in argumentis, quæ contra ecclesiam *Anglicanam* offeruntur, inest, id non minus contra ecclesiam *Gallicam* valeat; aut si hæc ab incusatione vindicari potest, illa etiam possit & debeat. Examinemus iam hoc per singula capita.

Primo ECCLESIAM *Gallicam* non damnare genuflexionem tamquam illicitam, inde apparet, quod licere statuat sacram cœnam participare cum ecclesiis *Anglicanis*, *Lutheranis* & *Polonicis*, quæ omnes non nisi genua flectentibus sacra eucharistiæ symbola porrigunt. Præterea BEZA dicit, *geniculationem, dum symbola accipiantur, speciem habere piæ ac christianæ venerationis, ac proinde olim potuisse cum fructu vsurpari.* Tantummodo existimat, quod quum ex hoc fonte orta sit ἀρτολατρεία, ecclesiæ recte faciant, quæ alio quodam gestu vtantur. Neque tamen illas ecclesias damnat, quæ eam retinent. *Interea tamen,* inquit [*e*], *quum ista per se non sint idololatrica, idem de illis, quod de proxime præcedentibus sentimus.* Ad vestes respicit, de quibus dixerat, quum non sint ex earum rerum genere, quæ per se impiæ sunt, non videri sibi illas tanti momenti, vt propterea vel pastoribus deserendum sit potius ministerium, quam vt vestes illas adsumant, vel gregibus omittendum publicum pabulum potius, quam vt ita vestitos pastores audiant.

PETRVS MARTYR, qui aliquamdiu minister fuit ecclesiæ *Gallicæ*, paullo longius progreditur, *Nihil interest*, inquiens, *si cœnæ dominicæ sacramentum stantes aut sedentes aut genibus flexis percipiamus, modo institutum Domini conseruetur & occasio superstitionibus præcludatur.* [*f*]

ET in defensione eucharistiæ contra STEPHANVM GARDINERVM ait: *Si mens non ad symbola, sed ad significata referatur, potest adoratio scite interponi. - - Quare quum percipiuntur sacramenta au-*

(*e*) Bez. ep. XII. p. 107 & 109. (edit. Genev. MDLXXXII. p. 219. 220.)
(*f*) Martyr. loc. commun. class. II. cap. IV. n. 39.

ta au-

ta audiunturque promiſſiones ad ea ſpectantes, ſi dominum adoremus, non propterea illius realem corporalemque præſentiam teſtamur. [g]

Alio loco hæc habet: *Multi pie genua flectunt & adorant, illis verbis euangelii auditis, Et verbum caro factum eſt: nec tamen ipſa verba dicenda ſunt adorari, verum ſignificata. Quod idem heic fieri quid prohibet, modo non adorentur ſymbola, ſed quod per illa ſignificatur?* [h]

Vir ille eruditus non credidit, genuflexionem eſſe ſuperſtitioſam, vti nonnulli eam facere ſatagunt; nec ſeſſionem tam neceſſariam ex vllo vel præcepto vel exemplo CHRISTI, quin alius quidam decorus geſtus cum fine inſtitutionis poſſit conſiſtere.

Et profecto hoc ſemper omnium intelligentium virorum in eccleſia *Gallicana* fuit iudicium, geſtum percipiendi non eſſe ex iis rebus, quæ ſunt de eſſentia ſacramenti, aut tales, in quibus exemplum CHRISTI præciſe ſequi debeamus, ſed tantum circumſtantiam aduentitiam libertati eccleſiæ (vt res multas alias) relictam, determinandam, prout maxime prodeſſe & expedire ei videatur. Sumamus teſtimonium vnius cuiusdam ſcriptoris, qui inſtar omnium in tota illa eccleſia eſſe poteſt, quia opera eius a duabus tribusue ſynodis nationalibus approbata ſunt. Is eſt eruditus ille DANIEL CHAMIERVS, qui in libro de *euchariſtia* argumentum papiſticum pro vino aqua miſcendo, deſumtum ab exemplo CHRISTI, in hunc modum refellit: *Reſpondeo, negari conſequentiam. Nam in cæna lauit pedes CHRISTVS, et nemo tamen concludit, id faciendum ſub pæna peccati mortalis. Immo conſecrauit veſpere & poſt cænam: quod tamen etiam prohibet eccleſia Romana. Rurſus conſecrauit accumbens menſæ: quod iam pridem nemo facit. Antecedens ergo contrahendum, vt intelligantur ea facienda in huius ſacramenti celebratione, quæ in eo facta ſunt a CHRISTO, non per accidens, ſed propter ipſius ſacramenti plenitudinem: ad quam neque lotio pertinet, neque veſpera, neque accubitus, ac ne hæc quidem aquæ miſtio.* [i]

(g) Mart. de euchar. loc. I. obiect. I. p. 160. edit. Baſil. MDLXXXI.
(h) Mart. loc. commun. claſſ. IV. cap. X. n. 50.
(i) Chamier. panſtrat. de euchar. tom. IV. lib. VI. c. III. n. XI.

Sic iterum [k] *Quæ Christus fecit, fatemur, non omnia esse eiusmodi, vt necessario sint obseruanda: sed ea dicimus tantum narrari vt circumstantias actionis: Exempli gratia, celebrauit sub vesperam, et post cœnam & accumbens, & ipsa die pascha. Horum igitur esto sane libera obseruatio.*

Eccvi non liquet ex his omnibus, ecclesiæ *Gallicæ* iudicio sessionem ad mensam in perceptione sacræ cœnæ non esse eiusmodi, vt exemplo CHRISTI necessario obseruanda sit, sed tantum circumstantiam actionis, quam ecclesia pro sua prudentia possit mutare? Quamobrem ecclesia *Gallica*, libertate sua vsa in reformatione, standi gestum elegit in perceptione sacræ cœnæ, et quod maius est, non solum stationem vsurpauit, sed eam etiam præcise iniunxit, omnibusque interdixit, ne sedentes eam participarent ex eadem ratione, qua ecclesia *Anglicana* id prohibuit, nimirum vt omnia vniformiter fierent in ecclesia. Verba synodi apud *S. Maxentii* an. MDCIX celebratæ diserte hoc præcipiunt: *Vt in posterum omnes ecclesiæ huius regni in cœnæ dominicæ administratione alia ad aliam se conforment, sine vlla differentia, quæ scrupulos infirmioribus, qui ipsam sacram actionem a circumstantiis eius distinguere nequeunt, creare possunt: vniuersis pastoribus præcipimus, vt obseruata simplicitate ab omnibus nouis & priuatis suis rationibus se abstineant; -- nec populum ex ordine adducant ad mensam, vt ibi stent aut considerant, sed illos ad eam sigillatim accedere iubeant.* [l]

Observamvs heic, eos non solum interdicere, ne eucharistia percipiatur a sedentibus coniunctim ad mensam, quasi in conuiuio, (quæ res est, quæ tantopere vrgetur inter nos) sed eam ne quidem recipi velle a coniunctim stantibus circa mensam; sed omnes sigillatim alterum post alterum accedere.

Fac iam, mouere quospiam scrupulum hac de re, nec velle eucharistiam stando sigillatim recipere, quia hoc fit a CHRISTI, primam cœnam instituentis, exemplo alienum. Si quid ista obiectio ponderis haberet, nonne id æque contra ecclesiam *Gallicanam* atque contra ecclesiam *Anglicanam* habitura esset? Nam gestus standi a gestu sedendi non minus differt quam gestus flecten-

(k) Chamier. de euchar. Lib. VII. cap. XV. n. XIII.

(l) Syn. ap. S. Maxent. cap. VI. artic. XIV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 375.)

flectendi genua; immo gestus standi sigillatim aliquid amplius est. Quid vero, num ministros eucharistiam porrigere oportet hominibus iunctim sedentibus, qui eam aliter recipere dubitant? Hoc canon iste prohibet, et illi iureiurando promittere debent, se hunc canonem obseruaturos; & suspensioni fiunt obnoxii, si aliter faciant. Quid ergo discriminis est inter caussam eorum & caussam ministrorum ecclesiæ *Anglicanæ?* Rubrica *Anglicana* & canon [m] (qui rubricam interpretatur) decernunt: *Nullum ministrum, vbi communionem celebret, eam scientem ac prudentem cuipiam administrare debere, qui genua non flectat, sub pœna suspensionis.* Et canon *Gallicanus* dicit, *Nullum ministrum communionem dare debere sedentibus ad mensam, sed communicantes oportere accedere alios post alios sigillatim?* Et ministri iureiurando ad hunc canonem obseruandum adiguntur, et censuræ ecclesiasticæ se reddunt obnoxios, si eum transgrediantur. Vbi ergo, inquam, est discrimen? Si genuflexio ab institutione & exemplo CHRISTI aliena est, statio itidem aliena est. Si iniungere genuflexionem est addere nouam conditionem communionis, stationem iniungere impositio eiusdem naturæ sit, oportet. Et proinde sex argumenta BAXTERI non minus gestum *Gallicum* quam *Anglicum* feriunt. Nam æque vere dici potest, stationem ab illis præscriptam vitiosam esse. 1. Quia faciat nouam conditionem communionis ecclesiasticæ. 2. Quia contradicat conditionibus, a CHRISTO constitutis, qui omnes christianos se mutuo diligere & concorditer viuere iusserit. 3. Rationem reddere debere ecclesiæ antistites de eo, quod membra CHRISTI iure suo priuent non minus, quam si viduas & pupillos opprimant. 4. Rationem eos reddere debere de eo, quod machinatione sua ecclesiam in schisma discindant. 5. Et quod minus necessarium & perniciosum dominium in fidem & conscientias hominum per suam legum ecclesiasticarum lationem vsurpent. 6. Et quod officio, ad consolationem & ædificationem fidelium instituto, eo abutantur, vt conscientiam & obedientiam Deo debitam ex orbe expellant, faciendo dubias & intricatas impositiones, cetera. [n]

(m) Can. XXVII. eccles. Anglic.
(n) Baxt. *Engl. Nonconf.* cap. IV.

QVOMODO minister quispiam *Gallus* ad hæc argumenta responderet? Aperte diceret, calumnias esse, non argumenta. Nam requirere, vt homines sacram cœnam stantes percipiant, non est nouam conditionem communionis ecclesiasticæ facere. Alioqui noua conditio communionis foret, requirere, vt homines eam participent in ecclesia, aut in pane fermentato, aut tempore matutino, aut alio quocunque die præter pascha, aut in vino aqua mixto. Omnes enim istæ circumstantiæ ab exemplo CHRISTI in prima institutione discrepant; et tamen ab ecclesia *Gallicana* & reliquis protestantibus omnibus iniunguntur; nec quispiam cum illis communicare potest, nisi ad istas iniunctiones sese conformet. Num quis vero dixerit, esse has omnes nouas conditiones communionis, aut contradicere conditionibus a CHRISTO præscriptis, aut priuare iure suo membra CHRISTI, aut discindere ecclesiam in schisma, aut esse vsurpationem in fidem hominum, aut expellere ex mundo conscientiam & obedientiam; quum sint tantum indifferentium circumstantiarum, cuiusuis ecclesiæ libertati relictarum, determinatio?

SI hæc idonea responsio & apologia est pro ecclesia *Gallica*, quæ stationem iniungit, non minus valebit pro ecclesia *Anglica*, quæ genuflexionem requirit; siquidem earum ratio eadem est, et ambæ simul stent vel cadant, oportet.

QVID vero si post omnia appareat, seruatorem nostrum eucharistiam celebrasse nec sedendo, nec genu flectendo, nec stando, sed gestu ab hisce omnibus diuerso; nimirum supine recumbendo? Quid tum fiet argumentum, ab exemplo CHRISTI petitum? Nonne dissentientes ab ecclesia nostra æque adficit atque ecclesiam ipsam? Nonne ipsorum æque interest, argumentum suum defendere, vt nostra interest tueri nostrum? Hoc enim si verum est, CHRISTVM cœnam celebrasse recumbentem, tum sessio ab hoc gestu tam aliena est, quam quidem statio & genuflexio. Si quæsierint, Vnde constet, CHRISTVM celebrasse potius recumbendo quam sedendo? Remitto eos ad istos scriptores *Gallicanos*, qui id contra IACOBVM PERRONIVM, curæ *Romanæ* purpuratum, & alios eiusmodi scriptores pontificios,

cios, qui ſeruatorem noſtrum ſedendo celebraſſe, et ſeſſionem eſſe geſtum adorationis, dictitarant, ſuſceperunt probandum.

IOANNES DALLAEVS, *Apoſtolos*, inquit, *quo tempore eucharistiam ſumſerunt, non ſediſſe, ſed in lectis de ſaeculi iſtius more, ſemiſupinos recubuiſſe, et euangelia apertiſſime docent, et omnes eruditi confitentur.* [o]

IDEM adfirmant CHAMIERVS [p], RIVETVS & alii eccleſiæ *Gallicæ* ſcriptores; qui ex principiis ſuis eccleſiæ *Anglicæ* principiis conſentaneis, eccleſiæ ſuæ morem in vſurpando diuerſo geſtu iuſte defendunt: quia recte dicunt geſtum recipiendi indifferentibus actionis circumſtantiis, non iis rebus, quæ neceſſariæ iniunctionis & obſeruationis ſunt, accenſendum eſſe; adeoque eccleſiam quamlibet habere poteſtatem præſcribendi geſtum, quem pro ſua prudentia aptum iudicet. Aduerſarii autem non poſſunt ita ex ſuis principiis geſtum ſuum defendere. Si enim neceſſaria regula eſt, vti dicunt eſſe, percipi ſacram cœnam debere eodem geſtu, quo vſus eſt ſeruator noſter, et ſi verum eſt, quod ſcriptores *Gallicani* contendunt, ipſum euchariſtiam celebraſſe non ſedendo, ſed recumbendo; tum mos eorum ipſi eorum regulæ contradicit, et ſeſe damnant ipſi, aduerſus exemplum CHRISTI, dum illud ſibi ſequendum eſſe ſtatuunt, agentes. Atque hoc nouo argumento eſt, eos in hac tota materia & principiis & praxi ab eccleſia *Gallicana* diſcrepare, vti ab eccleſia diſcrepant *Anglicana.*

(*o*) Dall. de cultu relig. lib. II. c. II. p. 227.

(*p*) Chamier. panſtrat. tom. IV. de euchar. lib. VI. c. III. n. XI. It. lib. VII. cap. XV. n. XIII. ſupra in hoc capite citat. Riuet. ſynopſ. pur. theol. diſput. XLV. n. XII. Non ſedentes ſed accumbentes lectulis, capitibus quidem introrſum, pedibus vero extrorſum repoſitis, ita vt in priorum ſinum proximi fere recumberent.

LIBRI TERTII
CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Ecclesiam *Gallicam* æquum & licitum ducere, omnia membra ecclesiæ ad crebriorem communionem sub pœna excommunicationis obstringi.

RVBRICA sub finem officii pro cœnæ Domini administratione singulos parochianos ad minimum ter quotannis separatis temporibus communicare iubet, & inter hæc pascha nominatim præscribit.

Et canon centesimus duodecimus ministris, æditvis, ecclesiarum parochialium & sacellorum œconomis atque adiutoribus iniungit, " vt quotannis intra spatium quadraginta dierum " post pascha, nomina & cognomina tam marium quam femi- " narum ad episcopum eiusque cancellarium deferant, qui, post- " quam annum ætatis decimum sextum attigerint, antegresso " tempore paschali communicare neglexerint." [q]

Baxtervs decem rationes contra hunc canonem offert, quas heic non repetam, sed obiter tantum obseruabo cum falknero, in tantas & tam varias sui mutationes incidisse Nonconformitatem, quasi duo extrema viæ mediæ sint præferenda. Baxtervs quidem ecclesiam nimium fecisse putat, dum homines communicare & ministros nomina eorum deferre iusserit, qui officio suo defuerint: Thomas autem cartwrigthvs, præcipuus liturgiæ oppugnator *Elisabethæ* reginæ tempore, & diocLavivs, auctor libri sub titulo *altare Damascenum*, qui maledicentissimus vituperator eius ætate *Iacobi* regis fuit, illam satis parum hac in re fecisse existimant. Horum enim vterque omnes, qui sunt in communione ecclesiæ, ad cœnam Domini statis temporibus percipiendam adigi volebat, cartwrigthvs recusantibus pœnam ciuilem sentiebat infligendam; vtrosque illos damnant, qui a mensa Domini se abstinent metu, tanquam reos superstitionis, nec tolerandos esse dicunt. [r]

(q) Can. CXII. eccles. Anglic.

(r) Vid. Cartwright's Reply p. 117. Dioclau. altare Damascen. cap. X. cit. a Falkner. libert. eccles. p. 209.

Pote-

POTERANT multa alia eiusmodi exempla ex veterum nostrorum Nonconformistarum scriptis adferri; at instituti mei ratio exigit, vt, quid ecclesia *Gallica* hac in materia sentiat, ostendam. Atque heic primo omnium obseruo, iudicium THEODORI BEZAE regulæ ecclesiæ *Anglicanæ* prorsus esse consentaneum. Nam ad amicum quemdam de certo quodam magistratu scribens, *Erit*, inquit, *sedulo commonefaciendus -- det operam, vt vnusquisque suos diligentius coërceat, ac nominatim edicat, vt quisquis eorum, qui eamdem atque ipse religionem amplexi fuerit, cœnæ interesse neglexerit, caussam eius rei dicere in consistorio teneatur.* [s] Disciplinæ liber canonem habet in eamdem sententiam. *Illi, qui longo tempore in ecclesia fuerint, nec in ea cœnam Domini voluerint participare, si hoc fecerint per contemtum, - - postquam sæpius admoniti fuerint, a corpore ecclesiæ auellantur.* [t] Quid per contemtum intelligant, ex aliis canonibus discere possumus, qui de communione quater per annum celebranda loquuntur. Ita canon quidam in eodem libro habet: *Quamquam moris non est, sacram cœnam in ecclesiis nostris sæpius quam quater per annum celebrari, optandum tamen erat, vt id sæpius fieret, reuerentia, quæ ibi requiritur, custodita, quia vtilissimum est, populum fidelem exerceri & augeri fide per frequentem sacramentorum vsum, & exemplum veteris ecclesiæ ad hanc rem nos inuitat. Quare synodi nostræ nationales prouidebunt & statuent, quod ecclesiarum nostrarum salus requirit.* [u]

SYNODVS *Parisiensis* secunda an. MDLXV in eamdem loquitur sententiam: *Licet in plerisque ecclesiarum nostrarum vsitatum sit, sacram cœnam haud sæpius quam quater quotannis celebrare, expediret tamen, eam cum debita omni reuerentia & animi attentione frequentius celebrari.* cetera. [w]

VIDEMVS heic, celebrationi sacræ cœnæ, quater per singulos annos instituendæ, tamquam consuetudini in omnibus ecclesiis receptæ insisti & frequentiorem celebrationem commendari,

(s) Bez. epist. LXXIII. p. 330.
(t) Discipl. eccles. Gallic. c. XII. can. XI.
(u) Ibid. cap. XII. can. XIV.
(w) Synod. Paris. II. cap. XXIX. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 70. n. VI.)

non

non tamen præcise iniungi. Quater autem quotannis vnumquodque ecclesiæ membrum ad participandam eucharistiam accedere debebat, nisi in contemtoribus disciplinæ haberi & censuræ submitti vellet ab ecclesiæ consistorio, quod potestatem habebat ipsam execrationem obtestationemque in eiusmodi hominem componendi. Hoc aliquanto plus est, quam quod requirit ecclesia nostra *Anglicana*, siue iniunctum sacræ cœnæ vsum, siue pœnam contemtoribus infligendam, spectes. Nam ter tantum in singulos annos illam percipi iubet, nec quidquam de interdictione sacrorum dicit, sed censuram & rationem puniendi episcopi relinquit iudicio. Verumtamen BAXTERO libet dicere, *Quod sint excommunicandi, si renuant, & in carcere tenendi ad mortem vsque, si per scriptum mandatum de excommunicato capiendo comprehensi fuerint:* quamuis nullum verbum hac de re vel in rubrica vel in canone legatur. Attamen si sic esset, nihil esset amplius, quam quod a magistratibus *Geneuensibus* fieri solet, qui, prout expedire existimant, ecclesiasticorum statutorum contemtores, spem melioris frugis nullam facientes, in carcerem coniiciunt vel mittunt in exilium.

CONCLVDAM hoc caput duobus testimoniis e CALVINO. In epistola quadam narrat, initio se hunc morem inducere voluisse, vt semel per singulos menses sacra eucharistia administraretur. *Malimus*, inquit, *singulis mensibus inuitari ecclesiam, quam quater dumtaxat in singulos annos, vt apud nos fieri solet. Quum huc primum veni, non distribuebatur, nisi ter quotannis, et quidem vt inter cœnam pentecostes & natalis CHRISTI septem toti menses intercederent. Mihi placebant singuli menses, sed quum minime persuaderem, satius visum est, populi infirmitati ignoscere quam pertinacius contendere. Curaui tamen referri in acta publica, vitiosum esse morem nostrum, vt posteris facilior esset ac liberior correctio.* [x]

ALIO loco contendit, vt communio singulis hebdomadibus celebretur. *Sic administrari*, inquit, *decentissime poterat* (cœna Domini) *si sæpissime & singulis ad minimum hebdomadibus proponeretur ecclesiæ*: Et paucis interiectis sic pergit: *Quæ de sacra-*

(x) Caluin. resp. de quibusd. eccles. ritib. p. 206.

mento

mento hactenus disseruimus, abunde ostendunt, non institutum ideo fuisse, vt semel quotannis acciperetur, idque perfunctorie (vt nunc communiter moris est) verum quo frequenti in vsu christianis omnibus esset, vt frequenti memoria passionem CHRISTI repeterent: qua recordatione & fidem suam sustinerent ac roborarent & sese ad confessionem laudis DEO canendam bonitatemque eius praedicandam hortarentur, & qua postremo mutuam caritatem alerent & sibi etiam inter se testificarentur, cuius copulam in vnitate corporis CHRISTI viderent. - - Talem fuisse ecclesiae apostolicae vsum Lucas in Actis commemorat, qui fideles ait perseuerantes fuisse in doctrina apostolorum, communicatione, fractione panis & orationibus. - - Hunc & apud Corinthios fuisse institutum ordinem satis ex Paulo coniicere licet & multis postea saeculis in vsu fuisse constat. Et hoc quidem probat ex multis vetustis canonibus; vt ex sic dictis apostolicis concilii *Antiocheni* & *Toletani*, ex scriptis AVGVSTINI & CHRYSOSTOMI, & tandem ita concludit: *Et sane haec consuetudo, quae semel quotannis communicare iubet, certissimum est diaboli inuentum, cuiuscumque tandem ministerio inuenta fuerit.* [y]

NVM cogitare possumus, CALVINVM de rubrica *Anglicana* conquesturum fuisse, quod homines ter quotannis communicare iubeat, qui consuetudinem, quae semel quotannis communicare iubet, inuentum diaboli vocat? De eo contendebat cum ecclesia *Romana*, quod non saepius quam semel in singulos annos eucharistiam sumi praecipiat. Vnde sane ecclesiam *Anglicanam* vituperaturus non erat, quod frequentiorem eius celebrationem exigat. Ipsemet morem quater quotannis eam celebrandi induxit, communionem menstruam inducturus, si persuadere potuisset. Commendat vetustam consuetudinem communicandi singulis hebdomadibus vetustamque disciplinam, quae excommunicauit, quotquot id recusarint. Antiquum morem instauratum cupit, non tamen per antiquam disciplinam; licet enim ea istis temporibus accommodata fuerit, praesenti tamen nimis seueram

(y) Caluin. institut. lib. IV. cap. XVII. n. XLIII. XLIV. XLVI.

esse putat, adeoque populum ad communionem singulis hebdomadibus celebrandam inuitari tantum vult, non compelli. Quæ omnia cum sensu & consuetudine ecclesiæ *Anglicæ* exacte conveniunt, quæ ad communionem menstruam & hebdomadalem inuitat, neminem autem adigit: tantum homines ter quotannis in cœtu communicantium comparere iubet, sub pœna censuræ ecclesiasticæ.

LIBRI TERTII

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Ecclesiam *Gallicam* certa verborum formula vti in porrigendo sacramento, & iubere singulos communicantes ordinarie ex manu ministri id accipere.

PER rubricam ecclesiæ *Anglicanæ* omnes ministri elementa cuiusuis communicantis manui tradere iubentur & certa verborum formula ad singulos in distributione vti, *Corpus Domini nostri Iesu Christi*, cetera. Hæc res a nonnullis quoque reprehenditur tanquam exemplo CHRISTI contraria. Immo dicunt, hoc esse plus sapere quam ipsum Dominum, nec ei obedire velle. Grauis certe incusatio, si res omnino sic se haberet!

ENIM VERO CALVINVS & BEZA iterum suum declarant dissensum. CALVINVS, *Quod ad externum actionis ritum spectat*, inquit, *in manum accipiant fideles, nec ne: inter se diuidant, aut singuli, quod sibi datum fuerit, edant: calicem in diaconi manum reponant, an proximo tradant, panis sit fermentatus, an azymus; vinum rubrum, an album: nihil refert. Hæc indifferentia sunt & in ecclesiæ libertate posita.* [z]

BEZA in eamdem sententiam loquitur: *In hac ipsa actione, quum eam instituerct Dominus, probabile est, alios ex aliis panem & poculum accepisse adeoque omnes ex vno poculo bibisse. Num igitur peccare dicemus ecclesias, apud quas non alii aliis sacramenta tradant, sed ex ministri vel diaconi manu sigillatim omnes accipi-*

(z) Caluin. institut. lib. IV. c. XVII n. XLIII.

ant

ant ex diuersis etiam poculis bibentes? Minime profecto, quoniam ipsa functio non autem sumendi modus praecise praescribitur. [*a*]

QVI sic loquuntur, non potuerunt sentire, vti quidem aduersarii sentiunt, ecclesiae nostrae consuetudinem regulae CHRISTI adeo esse contrariam, vt sit actus quidam inobedientiae & adfectatum studium sapiendi supra Dominum.

SED iniunctio fortassis res est, quae ipsis potissimum iniicit scrupulum, tanquam exemplo CHRISTI contraria, quia nouam conditionem communionis faciat. Quod si est, ecclesia *Gallicana* caussam dicere necesse habet, quod tam multos canones condidit, quibus omnes communicantes iubentur sacramentum accipere tantum de manibus ministrorum (praeterquam in summa necessitate) cum certa verborum formula, in distributione apud singulos vsurpanda. Liber disciplinae duos hanc in rem canones habet, quorum alter sic decernit: *Liberum esto pastoribus in distribuendo pane & vino vsitatis verbis vti, quum res indifferens sit, dummodo vsurpetur ad aedificationem.* [*b*] Alter ita: *Ecclesiae commonefient, ministrorum esse, porrigere calicem.* [*c*]

HOC repetitur in synodo *Montalbanensi* [*d*], synodo *Virtuelensi* an. MDLXVII [*e*], & adhuc exactius in synodo *Gergoliensi* MDCI [*f*], vbi haec leguntur: *Decretum est, panem & calicem in sacra coena non debere distribui nisi per manus pastorum & seniorum, qui ipsi suis manibus vnicuique fidelium porrigent.*

SYNODVS apud *S. Maxentii* an. MDCIX his disertis verbis vtitur: *Calicem ne porrigant fideles alii aliis, quippe quod expresso canoni disciplinae nostrae aduersatur, qui pastores eum, quantum pote, dare iubet, sin autem non possunt, seniores pastoribus adsistere in populosis ecclesiis.* [*g*]

VBI notandum est, senioribus non licere partem habere in hoc negotio, nisi summa necessitate vrgente; cui decreto tanto-

(*a*) Bez. epist. II. ad Titium.
(*b*) Discipl. eccles. Gall. cap. XII. can. VIII.
(*c*) Ibid. can. IX.
(*d*) Syn. Montalb. cap. IV. artic. XXXIII. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 183. n. XXXIV.)
(*e*) Synod. Vertuel. cap. VIII. artic. IX. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 74.)
(*f*) Synod. Gergol. cap. V. artic. VII. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 245.)
(*g*) Syn. ap. S. Maxent. cap. V. artic. XIV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 375.)

pere inſtiterunt, vt alio quodam canone damnarint *Royerum* quemdam, qui librum ſcripſerat, quo conatus erat probare, licere ſenioribus ordinarie dare calicem in ſacramento & recitare verba inſtitutionis, quum eum traderent. Cenſura his verbis concepta eſt: *Quum ſynodus iam pridem per articulum diſciplinæ (in quo nihil mutat) definierit, quid fieri oporteat, ſi qua difficultas in diſtributione calicis oboriatur, non poteſt actionem probare Royeri, de qua diximus. - - - Statuit, paſtores in populoſis eccleſiis, ſi ipſimet calicem ſingulis diſtribuere nequeant, poſſe vti ope ſeniorum, debere autem illis imponere ſilentium & loqui ſolos in diſtributione elementorum, vt ita manifeſto appareat, huius ſacramenti adminiſtrationem ad ſolius miniſterii pertinere auctoritatem.* [h]

Ad hunc præſcriptum ordinem quum nonnulli paſtores eccleſiæ ſe non conformarent, noua illis occaſio dabatur hanc iniunctionem repetendi. Quocirca in ſynodo *Aleſienſi* MDCXX diſciplinæ ſuæ hunc canonem addebant: *In omnibus prouinciis paſtores calicem æque ac panem ſingulis communicantibus ſine vllo perſonarum reſpectu adminiſtranto. Vtuntor etiam verbis, vtriuſque elementi adminiſtrationi accommodatis, vt mentes communicantium eleuentur. Omnibus etiam ſynodis prouincialibus præcipitur, attendant diligenter paſtoribus, ne ab hoc præſcripto ordine diſcedant.* [i]

Ecclesia *Montalbanenſis*, expoſitis huius decreti incommodis, rogabat, vt ſenioribus libertas, quam ex more vetuſto haberent, relinqueretur calicem in euchariſtia porrigendi. Synodus vero, ſe nihil in præſcriptione diſciplinæ mutare poſſe, reſpondebat, omnibus paſtoribus ſine vlla exceptione ad ſtabilitum ordinem ſeſe conformare iuſſis. [k]

Dvae ſequentes ſynodi, *Carentonienſis* ad an. MDCXXIII & *Caſtrenſis* ad an. MDCXXVI memorato decreto nouum robur

(h) Syn. ap. S. Maxent. cap. VIII. art. XXXV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 387.)
(i) Syn. Aleſ. cap. V. art. XIV. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 149.)
(k) Ibid. cap. XIV. art. XXXVII. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 194.)

addi-

addiderunt, dum expreſſis verbis canonem ſynodi *Aleſienſis* ab omnibus eccleſiis vniformiter obſeruari iuſſerunt. [*l*]

Et quum in proxima *Carentonienſi* an. MDCXXXI querela haberetur de eccleſiis *Nemaucenſi* & *Monſpelienſi*, quod canonem *Aleſienſem* de diſtribuendo per ſolos paſtores calice in ſacra cœna non obſeruarent, ſynodus illa iudicabat, prouinciam inferioris *Languedociæ* incurriſſe cenſuram, eo quod nimia indulgentia in has eccleſias vſa eſſet; grauiter etiam eccleſiarum conſiſtoria reprehendebat illisque mandabat, vt in poſterum aliarum eccleſiarum in regno *Galliarum* conſuetudinem ſequerentur, cenſurarum eccleſiaſticarum pœna non obedientibus denuntiata. [*m*]

Ecclesia *Nemaucenſi* adhuc nihilo minus renitente, aliud decretum fiebat in ſynodo ſequente *Alenconienſi* an. MDCXXXVIII in hæc verba: *Hic conuentus adhuc ſemel mandat eccleſiæ Nemaucenſi, vt nono canoni capitis duodecimi diſciplinæ noſtræ ſecundum præcedentium noſtrarum ſynodorum intentionem ſe ſubmittat, qui omnes eccleſias edoceri vult, ad ſolos miniſtros pertinere calicis adminiſtrationem, idque ad euitandas multas periculoſas conſequentias.* [*n*]

Hi canones, mea quidem ſententia, tam ſublimibus & præciſis verbis concepti ſunt, quam eccleſiæ *Anglicanæ* rubrica, quæ miniſtros elementa vniuscuiuſque communicantis manibus tradere & certa verborum formula in diſtributione eorum ad ſingulos vti iubet. Aduerſarii noſtri id vocant actum inobedientiæ in CHRISTVM & ſtudium ſapiendi ſupra Dominum noſtrum. *Gallicanæ* autem ſynodi multas periculoſas conſequentias ex contraria conſuetudine metuendas eſſe ſtatuunt, adeoque vniuerſaliter & ſeuere illam interdicunt, & eos, qui hoc interdictum reſpuere conati fuerint, omnibus cenſuris eccleſiaſticis ſubiiciunt.

Vnvm adhuc habeo, quod de hoc capite moneam, quod quum ſeniores in eccleſia *Geneuenſi* aliquando ſoliti fuerint paſtores diſtribuendo calicem ſubleuare, an. MDCXXIII paſtores ec-

(*l*) Vid. ſynod. Carenton. I. cap. VI. art. III. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 245.)
Et ſynod. Caſtrenſ. cap. XIV. art. V. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 348.)

(*m*) Vid. ſyn. Carenton. II. cap. XIX. n. XXXVIII. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 488. n. XXXIV.)

(*n*) Synod. Alencon. cap. VIII. art. IV. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 547.)

cleſiæ & profeſſores academiæ, datis ad ſynodum *Carentonienſem* litteris, ei nuntiarint, decreuiſſe ſe, in poſterum hoc a ſolis paſtoribus fieri debere. [*o*]

IAM pridem ante animos ad parendum huic conſuetudini promtos paratosque declararant. Nam in ſynodo nationali *Lugdunenſi* an. MDLXIII fratres *Geneuenſes* rogati, Num ſoli paſtores panem & vinum populo ad menſam dominicam diſtribuerent? Reſponderunt, *Omnino melius fore, ſi hoc omni tempore commode fieri poſſet; quia autem in præſenti non poſſit, & onus paſtori nimis magnum foret in quibuſdam eccleſiis, diaconos & ſeniores ſubſidium ei venire & elementa iis, qui a miniſtro paullo remotiores ſint, diſtribuere, ab eo prius conſecrata.* [*p*]

VT adeo conſentaneum eccleſiæ *Gallicæ* & *Geneuenſis* iudicium habeamus, quod ratio diſtribuendi populo elementa, in eccleſia *Anglicana* vſitata, non ſolum licita ſed etiam vtilis ſit; quæ regula numquam negligenda dicitur, niſi ſumma neceſſitate id flagitante, quando presbyteris & diaconis veniam dat diſtribuendi, numquam vero populo recipiendi a ſe mutuo. Hæc res aut iuſtificat eccleſiam *Anglicanam*, aut damnat eccleſiam *Gallicanam*, quod legi CHRISTI non obediat. Dicant iam nobis, quorum intereſt, vtra id faciat, nos enim non poſſumus vllum inter vtramque diſcrimen videre.

LIBRI TERTII

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

De doxologia in officio pro adminiſtratione ſacræ cœnæ, quæ de archangelis in cælo loquitur; et de vanitate obiectionis, quæ contra illam offertur.

ALIAM obiectionem inuenio contra officium pro adminiſtratione ſacræ cœnæ, factam ab auctoribus libri, qui inſcribitur *The Neceſſity of Reformation* an. MDCLX, quia in doxologia paullo ante precationem conſecrationis mentio fit archangelorum

(*o*) Synod. Carent. I. cap. V. art. VIII. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 244.)

(*p*) Synod. Lugdun. cap. XXI. p. 53. fin. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 57.)

lorum & angelorum in cælo. *Iam*, inquiunt, *incertum, si non falsum est: scriptura enim nunquam de pluribus vno archangelis loquitur*, *Dan. X, 21. 1 Theff. IV, 16. Iud. v. 9. Apoc. XII, 7. Vnus hic est Michael*, *videlicet Christus*, *dux sui populi.* Ita isti reformatores. [q]

RESPONDEO. I. Posito, esse vnum tantum archangelum, potest tamen hæc locutio multis scripturæ locis defendi, vbi numerus pluralis vsurpatur, quando singularis quædam persona intelligitur. E. gr. Matth. XXVII, 44. *Id ipsum etiam latrones*, *qui crucifixi erant cum eo*, *exprobrabant ei:* quum tamen ex Luc. XXIII, 39. vnum tantum e latronibus ei conuiciatum esse appareat. Similia exempla vide sis Matth. XXVI, 8. Hebr. XI, 33-37. Matth. XXI, 2. citata in MATTHAEI POLI synopsi in Matth. XXVII, 44. Quibus addi potest Ioan. I, 5. Iudic. XII, 7.

IAM VERO sicut *Matthæus* vera loquitur, quando omnium generum homines CHRISTO maledixisse narrat, nimirum, pontifices, scribas, populum, milites & ipsos latrones cum eo crucifixos, licet vnus tantum fuerit e latronibus, qui hoc fecerit: Ita quoque ecclesia nostra vera loquitur, quando ait: *Cum angelis & archangelis & omni cœtu cælesti laudamus & magnificamus nomen tuum gloriosum;* etiamsi pro certo demonstrari posset, vnum tantum archangelum esse in cælo. Nam omnino verum est & erit, omnium generum spiritus cælestes, angelos, archangelos &c. laudare nomen Dei in cælo.

AT ENIM. 2. error in obiicientibus est, quando scripturam numquam de pluribus vno archangelis loqui dictitant. Nam Dan. X, 13. *Michael* archangelus vocatur vnus *principum primorum:* Quod, mea quidem sententia, plane indicat, esse plures vno. Atque ita AVGVSTINVS [r] diserte loquitur in enchiridio suo: *Sint tamen & illic archangeli;* licet non audeat eos cum DIONYSIO & *Scholasticis* in nouem ordines distinguere & narrare, quænam sit inter eos exacta differentia. RIVETVS sobrietatem AVGVSTINI laudat nec opinionem illius de pluribus vno archangelis improbat. [s]

(q) *Necessity of Reformation* p. 29.
(r) Augustin. enchirid. cap. LVIII.
(s) Riuet. cathol. Orthod. tract. II. cap. XLVI. n. 3.

PETRVS MARTYR dicit, *nomina archangeli, Seraphim & Cherubim denotare, in spiritibus cælestibus & ordines certos & diversa munera, esse.* Putat etiam, principatus & archangelos eumdem ordinem significare, nimirum sublimiores spiritus, quibus non nisi prouinciarum & imperiorum & regnorum cura committatur. *Hoc sensit Daniel*, inquit, *quum scriberet de principe Græcorum & Persarum & Michaelem populi Dei principem induceret. Dan. X, 13. et XIII, 1.* [*t*]

VT adeo ex ipsius quidem opinione princeps *Græcorum* & princeps *Persarum* eiusdem sint ordinis, cuius *Michael* princeps populi Dei.

ET hoc ostendit, ipsum non credidisse, *Michaelem* esse CHRISTVM, nec vnum illum archangelum, cuius mentionem faciat scriptura.

LIBRI TERTII

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Ecclesiam *Gallicam* non damnare vsum signi crucis in baptismo, & diuersas res similis naturæ iniungere.

PROXIMVM particulare officium, quod vitiosum esse creditur, est officium baptismi, contra quod Nonconformistæ diuersas habent exceptiones. Maximum strepitum, leuissima quidem cum ratione, rubrica fecit, qua minister infantem iam baptizatum signo crucis signare iubetur. Alii superstitionem, alii ritum papisticum vocant. BAXTERVS autem ex duabus nouis rationibus ream illam agit. Primo quidem, inuentionem esse dicit noui cuiusdam sacramenti, deinde mutare conditiones fœderis CHRISTI & aperte contradicere legi fundamentali christianismi. [*u*]

AVDIAMVS ecclesiæ *Gallicæ* iudicium, num sit tam seuerum quam hoc est. *Galli* quidem, fateor, nec iniungunt nec vsurpant hanc cærimoniam, neque vero eam damnant, tanquam

(*t*) Pet. Mart. loc. commun. class. I. cap. XII. n. 20. 21.

(*u*) Baxt. *English Nonconform.* cap. XIII.

super-

superstitiosam aut simpliciter illicitam, nec ecclesiam nostram tam aspere tractant, quod eam praescribat, quam quidem BAXTERVS & alii nonnulli faciunt.

BEZA non fuit suasor nec impulsor huius caerimoniae, ad fratres tamen *Anglos*, qui ipsum de hac & multis aliis caerimoniis consuluerant, ita rescripsit: *Respondemus, etsi ista, nostro quidem iudicio, non recte reuebuntur in ecclesiam, tamen quum non sint ex earum rerum genere, quae per se impiae sunt, non videri nobis tanti momenti, vt propterea vel pastoribus deserendum sit ministerium - - vel gregibus omittendum publicum pabulum.* [w]

ALIO loco *Scio*, inquit, *nonnullos*, (*Anglos* intelligit & *Lutheranos*) *sublata crucis adoratione aliquem signi crucis vsum retinuisse. Vtantur igitur ipsi, sicuti par est, sua libertate. Sed si quas ipsi habent huius signi in ecclesiis suis retinendi caussas, nos certe, cur illud nullo modo toleremus, & plurimas & necessarias caussas habemus.* [x]

CANDIDE haec, modeste ac temperate dicuntur. Quaelibet ecclesia sua libertate hac in re vti potest, et propterea, vti ecclesia *Anglica* non damnat *Gallicanam*, quod hanc caerimoniam non retineat, ita nec *Gallica Anglicam*, quod eam retineat. De eo enim consentiunt, non esse eam per se illicitam.

PETRVS MARTYR ait: *Citra superstitionem signum crucis a principibus in coronis gestatur, quoniam eo signo tantummodo profitentur ac testantur, se christianam religionem colere & tueri. Si licet insignia propriae familiae gestare, licet etiam signo crucis christianam religionem profiteri.* [y]

QVID, quaeso, ecclesia *Anglicana* facit praeterea, quando hoc signo tantummodo vtitur tanquam nota professionis christianae religionis, quod nos non pudeat profiteri fidem in *Christum crucifixum*, cetera. Annon hoc signo tam innocenter in baptismo vti nobis licet, quum aliquis princeps id in corona sua gestat, quo profitetur, se christianam religionem colere & tueri? Subtilis disputator, fateor, nouum sacramentum inde confecerit;

(w) Bez. epist. XII.

(x) Bez. resp. ad Balduin. p. m. 227.

(y) Martyr. loc. commun. class. II. cap. V. n. 20.

rit; PETRVS autem MARTYR non ita lynceus fuit, vt vllum eiusmodi mysterium in eo potuerit detegere.

NEQVE profecto synodus nationalis, apud *S. Maxentii* an. MDCIX. celebrata, quicquam mali in eo conspexit, quando decreuit, militibus protestantibus, ad recipiendum subsidium a rege iis indultum, qui in bello sauciati vel mutilati essent, licere gestare crucem in vestibus, non tanquam insigne superstitionis, sed tanquam notam adflictæ conditionis suæ, nec propterea eos excludi oportere a cœna dominica. [z]

DICI autem posset, Quod licet ecclesia *Gallica* concesserit, signum illud esse licitum, non tamen approbarit impositionem eius. Fac, eam id non fecisse: Quid tum? An inde sequetur, vt ecclesia nostra nouum sacramentum faciat, et mutet conditiones fœderis CHRISTI & destruat legem fundamentalem christianismi? Minime. Quomodo enim BEZA persuadere potuisset ministris, vt ad hunc ritum sese conformarent, si eum tam aperte religioni christianæ repugnare credidisset? Num pastores pariter & populum adhortaturus fuisset, vt ei sese submitterent, si eum nouum quoddam sacramentum esse, aut conditiones fœderis Dei mutare existimasset? BEZA optime sciebat, iniungere indifferentem aliquam cærimoniam non esse mutare conditiones fœderis: Alioquin ecclesia *Gallica* reprehensioni tam esset obnoxia quam vlla alia. Nam licet signum crucis in baptismo non iniungat, tamen alia quædam facit, quæ CHRISTVS nihilo magis iniunxit quam signum crucis.

GENEVAE lege sancitum est ex certa ratione status, vt ne quis minister puerulum baptizet, quem parentes *Balthasarem* vocari velint; et quamuis hæc res non numquam turbas & tumultus excitarit, ministri tamen hoc præcise obseruare iussi sunt, et ipse BEZA hac de re nos facit certiores in vita CALVINI, *In Geruasii templo*, inquiens, *tumultum non paruum eo prætextu excitarunt, quod minister infanti, ad baptismum oblato, indere BALTHASARIS nomen, quoniam id diserte leges scriptæ ob certam caussam prohibebant, recusaret.* [a]

(z) Synod. ap. S Maxent. cap. VI. artic. XI. (Ap. *Aym.* tom. I. p. 374.)

(a) Bez. vit. Caluini p. 84.

In aliis ecclesiis *Galliæ* ministris interdictum est, ne quem infantem baptizent cum nomine quodam, quod Deo attribuatur in scriptura sacra, cuiusmodi est *Immanuel* & alia eius generis. [*b*]

Et synodus *Aurelianensis* an. MDLXII. [*c*] expressis verbis ita decreuit: *Quod ad nomina attinet, quæ infantibus imponuntur, ministri repudient ea, quæ ex veteri paganismo reliqua sunt, nec imponant infantibus nomina, DEO in scripturis attributa; nec nomina officii, vt* BAPTISTA, ARCHANGELVS. [*d*]

Porro, baptizare eis non est permissum, nisi eo die, quo publicus sermo habetur. [*e*] Ita synodus *Tonniniensis* MDCXIV. *Non licebit*, inquit, *baptismum administrare, nisi sermone præcedente vel statim insequente.* Idem in synodo apud *S. Maxentii* MDCIX [*f*] et in synodo *Priuatiensi* an. MDCXII [*g*] decretum est.

Iam, his omnibus consideratis, quæritur, Num ex his rebus vllæ conditiones baptismi sint, a CHRISTO requisitæ? Si non; (neminem enim hoc adfirmaturum puto) quanam ergo auctoritate ecclesia *Gallica* eas iniungit? Cur infantem non oportet baptizari nisi die quodam, quo concio habetur? Cur non licet nomen *Balthasaris*, vel *Immanuelis*, vel *Baptistæ*, vel *Angeli* ei imponere? An CHRISTVS ex his rebus vllam fecit conditionem baptismatis? Minime. Atqui certe canones *Gallici*, ex ratione argumentandi *Baxteriana*, id faciunt. Dicunt enim, neminem baptizandum esse, nisi parentes prius consenserint de non imponendo illi nomine *Balthasaris*, vel *Immanuelis*, vel *Baptistæ* &c. Quid, si parentes huic rei insistant & infantem hoc vel illo nomine appellari velint et dicant, vti BAXTERVS, CHRISTVM nullam requirere ex his conditionibus, adeoque, si ministri baptizare recusent, reos illos esse mutatarum conditionum fœderis & sacramenti CHRISTI: An hæc incusatio adficiet ecclesiam *Gallicam?* Si negas: vnde est, quod magis adficiat ecclesiam

(*b*) Vid. disciplin. eccles. Gall. cap. XI. can. XIV.
(*c*) Synod. Aurelian. cap. II. artic. XXI. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 27.)
(*d*) Vid. etiam synod. Nemauc. cap. II. artic. III. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 113.) Synod. Figeac. cap. II. art. IV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 140.)
(*e*) Synod. Tonnin. cap. VI. art. VII. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 11.)
(*f*) Synod. ap. S. Maxent. cap. III. n. X. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 359.)
(*g*) Synod. Priuat. cap. VI. art. VII. (Ap. *Aymon.* p. 404.)

ſiam *Anglicanam*, quæ morem geri vult ſanctioni ſuæ eodem modo, quo eccleſia *Gallica* vult ſuæ? *Ne ex adſpectu iudicate, ſed iuſtum iudicium facite;* excuſate alteram, vel damnate vtramque.

Si quis dixerit, canones *Gallicanos* neminem priuare baptiſmo; Reſpondeo, eos hoc facere, quantum hoc faciat eccleſia *Anglica*, ſupponens, homines eſſe vel tam infirmos animo vel ſuperſtitioſos, vt diminutionem libertatis ſuæ chriſtianæ & mutationem conditionum fœderis CHRISTI interpretentur; nam quoad eiuſmodi præiudicatam opinionem fouent, non licere ſibi exiſtimabunt ad illos ſeſe conformare, ſed oportere ſe oſtendere libertatem ſuam chriſtianam vehementer illis repugnando; quod dum faciunt, baptiſmum habere non poſſunt, niſi canones violentur, aut locus detur eorum vel imbecillitati vel pertinaciæ, quocumque nomine id vocare lubeat. Vt adeo cauſſa eadem ſit in vtraque eccleſia, tantum quod alteri tam felici eſſe contigit, vt vix vnquam de eiuſmodi capitibus controuerſia ipſi mota ſit, dum altera triſtes inueterati præiudicii effectus cum magno moerore & corporis ſui diſtractione ſenſerit.

At experientia, inquies, debebat homines cautos reddere & ſapientes eosque ad minimum hoc docere, vt de via tollerent illud offendiculum, et vnicuique liberum relinquerent, vtrum crucis ſigno vti vellet an non. Reſpondeo, Hoc conuocationum & ſynodorum, non priuatorum hominum eſt, mutare. Eccleſia *Gallica* rationem vidit vnam aliquam ex ante memoratis conſtitutionibus mutandi. Synodus enim *Caſtrenſis* an. MDCXXVI adminiſtrationem baptiſmi non præciſe reſtringit ad dies concionibus habendis præſtitutos, ſed baptizare etiam permittit die quodam, vbi preces publicæ fiant ſine ſermone. [b] Et tandem a ſequente ſynodo *Carentonienſi* MDCXXXI. ſtatutum legimus, *Vnicuique eccleſiæ ritus & conſuetudines ſuas relinqui, vt baptizent cum vel ſine ſermone, prout commodum illis videatur.* [i] Quamdiu autem prior illa conſtitutio vim ſuam habebat, priuatorum hominum erat, eam non contemnere ſed debita cum re-

(b) Synod. Caſtrenſ. cap. XXVI. art. XV. (Ap. *Aymon*. tom. II. p. 376. n. III.)
(i) Syn. Carenton. II. cap. XIX. n. XXII. (Ap. *Aymon*. tom. II. p. 486. n. XVIII.)

veren-

verentia obſeruare. Par ratio eſt heic in *Anglia*. Vbi antiſtitum noſtrorum ſapientiæ viſum fuerit expedire, mutationem hac in re fieri; tunc miniſtri baptizare poterunt cum vel ſine cruce, vti nunc fit in baptiſmo priuato: Vſque eo autem rubricæ eorum regul eſſe debent, non ductus naturæ aut opinatio. Interim diſſentientibus ab eccleſia declaratum eſt ſæpius, quod ſi omiſſio crucis, aut conceſſa vtendi ea libertas ſanatura ſit ſchiſma, eccleſia *Anglicana* hac in re tam facile gratificatura ſit quam eccleſia *Gallicana* in negotio ſermonis, immo pacis & vnionis cauſſa adhuc longius progreſſura [*k*], ſi eiuſmodi conditionibus procurari poſſet.

LIBRI TERTII

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

De ſalutari regeneratione infantum, quod ſit doctrina eccleſiæ *Gallicæ* æque ac eccleſiæ *Anglicæ*.

PROXIMA res controuerſa in officio baptiſmi eſt rubrica ſub finem eius, quæ habet: *Certum eſt ex verbo Dei, infantes, qui baptizantur, ſi diem obeant ante, quam peccatum actuale committant, ſine dubio ſaluari.* BAXTERVS hac rubrica tantopere offenditur, vt dicat, ſi vel hæc vna ſola res foret, eam impedituram eſſe, quo minus ipſe & ſocii ſe conformarent, quæcumque demum ipſis propterea ſufferenda forent. [*l*]

SANE multum magni mali in rubrica inſit oportet, quod illam tam horribilem & formidoloſam faciat. Immo dicit, eſſe nouum articulum fidei & periculoſum additamentum ad verbum Dei, doctrinam etiam nunquam auditam ante vltimam mutationem liturgiæ. Quæ omnia falſa eſſe abunde demonſtrauit GVILIELMVS FALKNERVS, in libro, qui inſcribitur *libertas eccleſiaſtica [m]*, ad quem lectorem remitto. Quidquid heic demon-

(*k*) Vid. Stillingfleet's *Preface to Unreaſonableneſs of Separation* p. 82. & Sherlock's *Defence* p. 12.

(*l*) Baxt. *Engliſh Nonconform.* c. IX.

(*m*) Falkner. libert. eccleſ. p. 230.

ſtrandum ſuſcepi, hoc eſt, quod hæc rubrica conſentanea ſit doctrinæ eccleſiæ *Gallicæ*. Id quod apparebit, ſi eam cum confeſſione illius comparauerimus, vbi *Baptiſmus*, inquit, *nobis teſtificandæ noſtræ adoptioni datus eſt, quoniam per eum inſerimur CHRISTI corpori, vt eius ſanguine abluti ſimul etiam ipſius SPIRITV ad vitæ ſanctimoniam renouemur [n]*. Nonne autem illi, qui abluuntur ſanguine CHRISTI eiuſque SPIRITV renouantur, vere regenerati & indubie ſalui ſunt, ſi non committunt actuale peccatum, quod beneficium baptiſmi deſtruat & reſcindat? Vnde igitur eſt, quod eccleſia *Anglicana* nouum articulum fidei condere dicatur? NVM, quia ex verbo Dei certum non eſt, omnes infantes, qui baptizantur, eſſe ſaluos; nec ſpeciatim infantes infidelium & ethnicorum, etiamſi baptizentur? Num vero eccleſia *Anglicana* hoc dicit? Nequaquam. BAXTERVS autem dicit, ſic eam intelligere; et hoc ſatis cauſſæ eſt, cur nouum fidei articulum facere dicatur. Cur vero non ita etiam eccleſia *Gallica* intelligit, quum verba eius æque indefinita ſint & ſine exceptione? Minime, hoc enim dilueret aliam BAXTERI incuſationem, qui eccleſiam *Anglicam* dicit inſolenter damnare eccleſias reformatas & orbem chriſtianum, vt adeo heic nulla ſit controuerſia de hoc capite, niſi BAXTERO licentiam facere velimus dandi verbis ſenſum, prout ipſi lubet, et inique incuſandi eccleſiam *Anglicam*, excuſandi autem *Gallicam* & reliquas eccleſias reformatas: quum tamen omnes vnum idemque & loquantur & intelligant, quod nihil eſt amplius, quam Quod omnes infantes, ius ad baptiſmum habentes & vere ad illum recipiendum apti, et legitime ac debite baptizati, hoc ipſo in tali conditione ponantur, in qua ſi decedant nullo peccato actuali commiſſo, certiſſime ſalui futuri ſint. Quod niſi vere adfirmatur, tota doctrina de baptiſmo infantum falſa & inutilis ſit, oportet. Vanum etiam erit cum *Pelagianis* & *Anabaptiſtis* longius diſputare.

QVOD ſi eccleſia *Anglicana* dixiſſet, OMNES infantes, qui baptizentur, ſine dubio ſaluos fieri, cetera: Nonne hoc a quouis candido interprete accipi deberet tantummodo de infantibus verum ius ad baptiſmum habentibus, de liberis fidelium paren-

(*n*) Confeſſ. Gallic. artic. XXXV. In ſyntagm. confeſſ. p. 109.

tum,

tum, non *Turcorum* & *Infidelium*, vti BAXTERVS necessario intelligi vult? Quid vero tum dicitur, quod non dicatur ab aliis ecclesiis? CALVINVS & BEZA omnes baptizatos infantes saluos esse statuerunt, si eorum doctrinam recte intellexit RIVETVS. In responsione enim ad quemdam Iesuitam, ait: *Falsissimum est, eos vmquam dixisse, quosdam infantes iam baptizatos damnari, si in infantia moriuntur, antequam peccata actualia sine pœnitentia commiserint.* [o]

PETRI etiam MARTYRIS verba tam generalia sunt, quam verba nostræ rubricæ, quod paruuli, cum baptismo morientes, salutem habeant, quod argumentis e sacra scriptura petitis probat, quam BAXTERVS nullam scripturam pro hac re exstare dicat. [p]

MAIOREM autem auctoritatem, quam CALVINI vel BEZAE, interponere possum, quæ est auctoritas synodi cuiusdam nationalis, *Carentonii* habitæ an. MDCXXIII, vbi dicunt, [q] "Verbum Dei testificari, infantes, fidelibus parentibus natos, esse sanctos per peculiare quoddam beneficium fœderis gratiæ, quo comprehendantur cum parentibus suis: hinc parentes Deum timentes non debere dubitare de paruulorum suorum electione & salute, quorum Deus curam suscipiat in infantia sua." Iam si ipsi non baptizati paruuli fidelium seruantur, multo magis baptizati.

OBSERVANDVM quoque est, hunc canonem esse ex iis, qui facti sunt ad explananda decreta synodi *Dordracenæ*, quibus singuli ecclesiarum *Gallicarum* ministri subscribunt, et iureiurando se eum credere & defendere velle, profitentur. Vt adeo quidquid BAXTERVS declamitat in rubricam *Anglicam*, hæc tamen illum nihilo magis iuuet, quam hic canon *Gallicus* vel synodus *Dordracena;* siquidem de infantibus tantum loquitur, fidelibus parentibus natis, qui ius ad baptismum habent, nec de vllis aliis. Et hoc ad aliam controuersiam nos deducit, a BAXTERO excitatam de iis, qui ius ad baptismum habent ex regulis ecclesiæ *Anglicanæ*, quod sequentis capitis erit argumentum.

(o) Riuet. cathol. orthodox. tract. III. quæst. III. sect. VI.
(p) Martyr. loc. commun. class. IV. cap. VIII. n. 19.
(q) Synod. Carent. I. cap. XXVI. artic. XVII. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 302.)

LIBRI TERTII

CAPVT DECIMVM NONVM.

Ecclesiam *Anglicam* nullos ad recipiendum baptismum admittere, nisi qui in ecclesia *Gallica* admittantur.

BAXTERVS hoc quasi crimen ecclesiæ obiicit, "Quod omnes " ministros suos sub pœna suspensionis iubeat baptizare in- " fantes, atheis, Iudæis, infidelibus, hæreticis, blasphemis " aliisue id genus parentibus natos, si in ecclesia eis offerantur [r]". Vna sola ratio huius accusationis sunt verba canonis cuiusdam [s], quæ sic habent: *Nullus minister recuset aut differat baptismum alicuius infantis, secundum formam libri communium precum, qui ipsi in ecclesia diebus dominicis vel festis offeratur baptizandus.* Vnde concludit, nulli ministro licere baptismum denegare liberis Iudæorum vel infidelium, nec inquirere quidem, vtrum sponsores lustrici sint christiani, an Iudæi, vel infideles, quia sine dilatione temporis eos baptizare iubeatur.

VIX credidissem, fieri potuisse, vt quis tam peruersum sensum innocentis cuiusdam canonis verbis daret. Verum hæc disputandi ratio vsitata est BAXTERO, vt verbis prodigiosum sensum adfingat & tum secum ipse pugnet. Eccui præter eum in mentem venisset dicere, liberos Iudæorum & infidelium, vt tales, hoc canone comprehendi, quum adeo manifestum sit, eum de illis tantum loqui, qui ius ad christianum baptisma habent? Quibus minister, si ei offerantur, non debeat denegare aut differre baptismatis beneficium ex vllis priuatis rationibus; cuiusmodi aliqua fuit illa *Snapii* tempore *Elisabethæ* reginæ, qui, VT BANCROFTVS episcopus narrat, certum infantem baptizare noluit, eam solam ob caussam, quod parentes nomen *Richardi* ei indi vellent. [t]

HOC quidem alicui ex ministris *Gallicanis* licuerit facere, quibus (vt antea ostendi) interdictum est, ne infantibus in baptismo

(r) Baxter. *Engl. Nonconform.* cap. XXXIV.
(s) Can. LXVIII. eccles. Anglic.
(t) Bancroft's *Dangerous Positions* lib. III. cap. XII.

indant

indant nomen paganum; non est autem regula ecclesiæ *Anglicanæ*, adeoque BANCROFTVS, qui tunc conuocationi præsedit, vbi canones conditi sunt, probabiliter hanc rem respexit & hunc canonem inserendum curauit, vt huic abusui in aliis eiusdem generis occurreret. Siue autem hæc istius canonis occasio fuerit siue non fuerit, certum est, non posse eum habere eiusmodi sensum, quem ei adfingit BAXTERVS, hoc est, vt ministros adigat ad baptizandos liberos *Iudæorum* & infidelium, qui nullo ad baptismum iure gaudent. Certum est, ecclesiam nostram hac in materia non agere ex alia regula, quam ex qua agunt omnes ecclesiæ reformatæ, quæ liberos *Muhamedanorum*, *Iudæorum* & infidelium a baptismo excludunt, vtpote a fœdere alienos & impuros, nisi forte in particularibus quibusdam casibus; e. g. Si in familias christianas adoptati fuerint, vel voluntario ipsorum parentum, ius educationis christianis tradentium, consensu; vel liberi, a parentibus suis expositi, a christianis liberaliter recepti sint, vt ab ipsis educentur; vel iuste capti in bello atque ita in legitimam dominorum christianorum possessionem venerint. In his casibus adoptio eorum in familias christianas, in quibus educationi christianæ designati sunt, ius illis dat ad baptismum christianum. Quibus in casibus si ecclesia *Anglicana* liberos *Iudæorum*, *Muhamedanorum*, vel gentilium ad baptismum admittat, nihilo plus est, quam quod ANDREAS RIVETVS & ANTONIVS WALLAEVS a multis ecclesiis reformatis fieri dicunt, quæ hosce liberos hoc pacto existimant ius acquirere ad baptismum, perinde ac *Abrahami* serui, pecunia emti, ius ad circumcisionem acceperint non minus quam domi nati. Idque ita in veteri ecclesia extra controuersiam fuisse dicunt, vt AVGVSTINVS ex hoc facto argumentum efficax electionis gratuitæ aduersus *Pelagianos* duxerit. [u]

QVAMNAM igitur culpam in hac materia sustinet ecclesia *Anglicana*, si ex eadem regula agit, qua vsa est prisca ecclesia & quam hodieque sequuntur omnes ecclesiæ reformatæ? Si non admittit liberos *Iudæorum* & paganorum ad baptismum, nisi in illis casibus, in quibus eos admittunt omnes reliquæ ecclesiæ; certe is constitutionem illius aperte calumniari censendus est, qui dicit,

(u) Riuet. Synops. purior. theol. disput. XLIV. n. XLIX.

cit, eam ministros suos canone obstringere, vt nullos a baptismo prohibeant, quantumuis sint *Iudæorum* aut paganorum liberi, si in ecclesia baptismo offerantur.

SED TAMEN malorum christianorum liberos admittit eosque a ministro baptizari iubet? Ecquid vero mali hæc res habet? Nonne magis expedit, quam si confunderet ministros suos, vt multi ex ipsis aduersariis faciunt, conscientiis infinitos iniicientes scrupulos de parentum pietate, quam non semper, immo rarissime, possunt perspicere! Auctores modo memorati, RIVETVS & WALLAEVS, eodem loco [w] narrant, ecclesias suas non excludere a baptismi communione infantes eos, qui ex christiana stirpe & baptizatis parentibus nati sint, etsi ipsorum parentes per vitam improbam aut fidem impuram fœderis in baptismo obsignati efficaciam aduersus se irritam reddant. Ratio eorum est, quia sub nouo fœdere filius non ferat iniquitatem patris & Deus nihilo minus maneat eiusmodi liberorum Deus.

QVID VERO, Num omnes omnino liberi admittendi sunt, qui baptismo offeruntur? Liberi videlicet atheorum, hæreticorum, blasphemorum, incestuosorum, adulterorum, vel etiam excommunicatorum; an eorum nulli baptismum negari aut differri, sed illis omnibus statim dari oportet? Respondeo, liberi trium vltimo loco nominatorum baptizandi sunt secundum regulam disciplinæ *Gallicanæ*. Nam in synodo *Vitriacensi* MDLXXXIII [x] quæstio proponebatur. "Num in infantium, extra matrimonia " in adulterio vel incestu natorum, baptismo vsitata precum for" mula adhibenda sit, in qua habeantur hæc verba: *Natus ex pa" tre & matre, quos tu, Domine, vocasti in ecclesiam tuam*"? Et synodus iudicabat, "non esse hac de re mouendam controuersi" am; quia nomine patris & matris non solum proximi eorum " parentes, sed etiam maiores vsque in mille generationes com" prehendantur, & præterea hoc considerari oporteat, quod li" cet parentes in culpa sint, non tamen ideo penitus excludendi " sint filii a fœdere Dei". [y]

(w) Ibid. n. L.
(x) Synod. Vitriac. I. cap. II. art. VIII. (Ap. *Aymon.* tom. I p. 158.)
(y) Vid. etiam disciplin. eccles. Gallic. cap. XI. artic. IX.

IN

In synodo *Rupellana* MDCVII aliam quæstionem propositam legimus: *Num infans in matrimonio, quod ecclesia damnet, natus, si a fidelibus patrinis offeratur, baptizari debeat?* Ad quam responsio data: *Improbitatem parentum non posse fraudi esse liberis, neque adeo vllam difficultatem esse, quæ impediat, quo minus ad baptismum admittantur;* [*] *maxime si pii homines fidem suam de religiosa eorum educatione velint interponere.* [z]

Immo vero BEZA liberos parentum excommunicatorum ius ad baptismum habere adserit. *Quum caritas*, inquit, *nos iubeat de quibusuis bene sperare, atque adeo de illis etiam laborare, qui captiui tenentur diaboli laqueo, absit, vt excommunicatis parentibus, posteritatem eorum concludamus ad regnum Dei non pertinere.* Multas rationes huius adsertionis adfert, eiusdem plane generis, cuius illæ synodi *Vitriacensis*, & tandem concludit, *nullo iure posse a baptismo arceri excommunicatorum adhuc in ecclesia DEO manentium liberos, modo idoneus sponsor interueniat, qui de sancta ipsorum educatione ecclesiæ fideiubeat, quod ab ipsis etiam ministris & piis aliis hominibus potius procurandum putamus.* [a]

Qvid autem dicemus de tribus BAXTERI exemplis atheorum, hæreticorum & blasphemorum? Dico, ex eadem ratione, quantum ego perspicio, ecclesiam *Gallicam* decreturam fuisse, liberos eorum oportere baptizari, dummodo pii quidam sponsores de educatione eorum vellent fideiubere: Fuerint forte maiores eorum homines religiosi, atque ita improbitatem proximorum parentum liberis non esse impedimento. Vt adeo quidquid in *Anglia* his in rebus fit, per regulas & consuetudinem ecclesiæ *Gallicæ* satis comprobetur. Quod speciatim ad hæreticos attinet, eodem prorsus, quo excommunicatos, loco eos habent, eorumque liberos dicunt baptizari posse. *Liberi*, inquit liber disciplinæ, *quorum parentes sunt de ecclesia Romana* (qui iudicio eorum hæretici sunt) *aut excommunicationi subiacent, ad baptismum non possunt admitti, nisi parentes consentiant, vel id expetant &*

(z). Synod. Rupell. III. cap. X. n. XXXV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 332. n. XXXIX.)
(*) *Maxime si* &c. Hæc verba non inueniuntur in editione Gallica Io. *Aymonis.* Conf. infra pag. 582. §. V. Verum 2.
(a) Bez. epist. X. ad Neocomens. p. 97. (p. 217. edit. Geneu. MDLXXXII.)

auctoritate cedant sponsoribus, cetera [*b*]. Et proxime ſequens canon ait, "liberos ſic dictorum *Saracenorum* iisdem conditio-" nibus admitti ad baptiſmum poſſe". [*c*]

De atheorum & blaſphemorum liberis non inuenio peculiarem canonem in eccleſia *Gallicana*, vnde plura de illis dicere non poſſum. Si quis eos nullum ius ad baptiſmum habere probat, ſimul probat, nullum miniſtrum ad baptizandos illos obſtringi; ſiquidem canon de illis duntaxat liberis intelligendus eſt, qui indubitatum ius recipiendi baptiſmum habent.

LIBRI TERTII
CAPVT VICESIMVM.

Eccleſiam *Gallicam* concedere & commendare vſum ſponſorum, ſeu fideiuſſorum in baptiſmo.

IAM capite vltimo audiuimus, certis in caſibus eccleſiam *Gallicam* requirere fideiuſſores, vt qui ſint abſolutæ neceſſitatis, ſi parentes excommunicati ſint vel aliis de cauſſis minus idonei. Heic oſtendam, illam in omnibus caſibus commendare atque adeo requirere eorum vſum, vt eos velut homines contentioſos cenſura adficiat, qui ad receptam ſe conformare conſuetudinem recuſant. Differentia in eo tantum ſita eſt, quod iſtum vſum non tam præciſe iniungat, quam quidem eccleſia *Anglica*. Nam canon illius hac in re ſtilo conceptus eſt a reliquis propemodum omnibus diuerſo. Liber diſciplinæ his eum verbis exhibet [*d*]: *Quum nullum mandatum a DOMINO habeamus de ſponſoribus, ſiue patribus & matribus luſtricis, ſeligendis, qui liberos noſtros baptiſmo offerant, non poteſt peculiaris lex rogari, quæ quempiam illis vti iubeat. Quoniam vero mos antiquus eſt & in bonum finem inductus, nimirum ad teſtandam fidem ſponſorum & baptiſmum infantis, ad declarandum, quod curam educationis in ſe recipere velint, ſi parentibus per mortem priuetur; item ad conſer-*

(*b*) Diſcipl. eccl. Gall. cap. XI. can. IV.
(*c*) Ibid. can. V.
(*d*) Ibid. can. VII.

vau-

vandam societatem fidelium per amicam animorum coniunctionem; illi, qui eum obseruare nolunt, sed liberos suos ipsi offerunt, etiam atque etiam admonentor, ne pertinaciter in sententia permaneant, sed ad vetustam consuetudinem, quæ bona & vtilis est, sese accommodent.

Hoc, libenter fateor, non est necessarium aliquod præceptum, fere autem vim præcepti habere potest; nam seria exhortatio ecclesiæ prope abest a mandato, & generalis quædam consuetudo valde parum differt a lege. *Si cui contentiosum esse libet*, inquit *Paulus*, *nos talem consuetudinem non habemus*, *neque Dei ecclesia*. Existimabat apostolus, in consuetudine inesse vim aliquam, alioquin eam non fecisset argumentum ad contentiosos tranquillandos.

Enim vero quæstio non omnino est, An id mandatum sit, sed, annon homines ad receptum ecclesiæ ordinem sese conformare oporteat, siue is lege siue tantum generali consuetudine nitatur? Et de hoc capite nulla est inter duas hasce ecclesias differentia. Quid, quod THEODORVS BEZA illud iniungi comprobet scribens ad *Edmundum Grindallum* episcopum in hunc modum: *Quod commoda quæpiam formula precum, & explicationis baptismi adhibeatur, quod sponsores intersint, qui de sancta infantis educatione caueant: - - hos ritus vt simplices & honestos ac minime symbolicos, denique eiusmodi, vt nullam prorsus superstitioni occasionem præbeant, quis tandem damnare ausit, nisi qui expressis illis Pauli verbis velit redargui, præcipientis, vt in domo Domini rite & ordine omnia fiant* [e]? BEZA videtur in ea fuisse opinione, textum apostoli rationem esse sufficientem ad dandam huic consuetudini auctoritatem, tametsi quidam ex fratribus eius aliter senserunt.

ANDREAS RIVETVS hanc consuetudinem vtilem esse dicit infantibus, adeoque retineri posse: Et licet ad salutem non necessariam esse statuat, putat tamen, rationes tam generales quam speciales ex scriptura colligi posse, quibus homines ad eam se-

(e) Bez. epist. ad Grindall.

quendam adducantur, eiusque originem ex *Iudæorum* ritibus in circumcisione deriuat. [f]

ADMITTAMVS autem, esse tantum consuetudinem & morem, non legem in *Gallia:* Quanam in re consuetudo eorum differt a nostra? BAXTERVS dicit, apud nos interdictum esse parentibus, ne sint sponsores cum reliquis, nec verbum loquantur, nec liberos suos CHRISTO dedicent; quod vt probet, canonem vndetricesimum citat, qui sic habet; *Pater ne cogitor adesse præsens, nec admittitor tanquam sponsor ad respondendum pro suo ipsius filio.* [g]

Ex his vera sunt alia, alia falsa. Falsum est, ecclesiam nostram prohibere parentes esse sponsores cum reliquis, aut liberos suos dedicare CHRISTO. Ecclesia prohibet, parentes solos sponsores esse suorum liberorum, eosque iubet sibi adiungere alios, qui pro ipsis respondeant, hoc autem non rescindit officium parentum, sed nouo tantum pietatis officio obligat homines alios, vt id agant & curent, vt tanto studiosius præstetur, quemadmodum id interpretatur EDVARDVS STILLINGFLEETVS. Pater etiam pactionem cum sponsore facere poterit, si volet; ad minimum implicita pactio est, & omnis iuris & potestatis suæ translatio in eum, quando sponsorem eligit. Præsentem etiam ad baptismum adesse patri licet & consensum suum testari suumque CHRISTO dedicare filium cum sponsoribus, non sine illis. Quomodo igitur parentes prohibentur consensum suum dare, aut sponsores reuera esse cum reliquis, quum tot viæ eis pateant consensum suum testandi? Hoc est, quod communiter fieri solet in ecclesiis *Gallicis*, & qui vltra progredi volunt, homines contentiosi habentur.

VERVM 2. dicit BAXTERVS, ecclesiam nostram sponsoribus sine vllo discrimine permittere, vt quorumcunque atheorum, *Sadducæorum*, *Iudæorum*, infidelium, siue manifestorum hostium CHRISTI, liberos offerant, quantumuis eos non accipiant pro suis. Hæc iam capite vltimo ostendi magna ex parte falso imputari ecclesiæ; quatenus autem eam adficiunt, per praxin ecclesiæ *Gallicæ* prorsus absoluitur, quæ non habet talem conditionem,

(f) Riuet. cathol. orthod. tract. I. quæst. IX. n. 21.
(g) Baxt. *Engl. Nonconf.* cap. X. p. 59.

quæ

quæ ſponſores iubeat liberos loco ſuorum habere, ſed tantum curam educationis eorum gerere, ſi parentes moriantur; quod tamen in nulla diſciplinæ editione inuenitur, vti ipſe IOANNES QVICKIVS nobis narrat.

3. BAXTERVS ait, ſponſores noſtros perſonam gerere infantis ſine auctoritate. Verum hoc non eſt niſi falſæ accuſationis repetitio. Semper enim habent ius & auctoritatem parentum ex eorum conſenſu, ſi viuant; ſi vero moriantur, auctoritate eorum non opus eſt; nam baptiſmus adminiſtrari poteſt ex aliis rationibus ſine illa, quemadmodum vir quidam doctus ex generali eccleſiæ catholicæ conſenſu & conſuetudine ſolide demonſtrauit, [b]

4. Dicit BAXTERVS, "Sponſores noſtros, dum perſonam gerant infantis, facere, vt hic in præſenti dicat, Credo, Renuntio, Deſidero, cetera, falſo ſignificantes, infantes oportere hoc facere per alios -- quum Deus non requirat fidem vel pœnitentiam infantum, ſed hoc tantum, vt ſint pœnitentium & fidelium hominum, CHRISTO conſecratorum, ſemen". Quam doctrinam certe non habet a CALVINO, qui aliquam fidem in infantibus agnoſcit, quæ etſi nondum in illis vt in adultis formata ſit, arcana tamen ſpiritus operatione ſemen eius in illis latere dicit. [i] Quæ etiam opinio fuit PHILIPPI MELANCHTHONIS, MARTINI CHEMNITII, ANDREÆ RIVETI & generatim omnium eccleſiarum *Lutheranarum* & *Gallicarum*, quarum ad argumenta ROBERTVS BELLARMINVS [k] reſpondere conatus eſt, tametſi neſciam, an BAXTERVS id vmquam fecerit.

POSITO autem, non eſſe in infantibus talem fidem, ſcire tamen poterat BAXTERVS, auctores, qui pro eccleſia *Anglicana* ſcribunt, conſuetudinem eius alia ratione defendere. Sufficere dicunt, quod fides, quæ infantibus tribuitur, in notione ſua cum fide adultorum generalem quandam conuenientiam habeat. Quum itaque fides adultorum ſit quædam fœderis gratiæ & doctrinæ euangelicæ acceptio eique ſe ſubiiciendi ratio, quæ in ſtatu ſuo actuoſum animæ exercitium eſt; quando infans dicitur cre-

(*b*) Vid. Stillingfleet's *Unreaſonableneſs of Separ.* p. 382.

(*i*) Caluin. inſtitut. lib. IV. cap. XVI. n. 19. 20.

(*k*) Vid. Bellarm. de bapt. lib. I. cap. XI.

dere,

dere, hoc consistat, oportet, in eiusmodi acceptione euangelii eique sese subiiciendi ratione, quæ statui eius, qui passiuus est, convenit. Ita quum baptizatus accipit CHRISTVM & fœdus gratiæ, adiungitur membrum ecclesiæ & suscipit professionem christianismi, quam sponsores eius declarant, & ipse declarare necesse habet, iustam & legitimam ætatem ingressus. Ita GVILIELMVS FALKNERVS & alii; et sine dubio hæc fuit ecclesiæ catholicæ sententia, vti ex AVRELIO AVGVSTINO apparet, qui dicit, infantes recte vocari credentes & pœnitentes, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profiteantur & diabolo ac mundo renuntient [l]. Vt adeo, siue primorum reformatorum, siue ecclesiæ catholicæ sensum consideremus, responsiones in baptismo datæ non ex eiusmodi falsa ratione proficiscantur, quam fingit BAXTERVS, quod infantes in præsenti credant, renuntient, desiderent, cetera.

QVAM ob caussam ecclesiæ *Lutheranæ*, vti MARTINVS CHEMNITIVS narrat, vetustam formulam retinent, illæ autem ecclesiæ, quæ eam mutarunt, hoc non fecerunt ex principiis BAXTERI, quasi omnino absurdum esset dicere, infantes credere, renuntiare, desiderare, cetera. Nam fidem illis orant, vti habet in liturgia *Tigurina*, nuper in linguam *Anglicanam* conuersa: *Oremus Deum, vt huic infanti largiatur fidem, vt hic externus baptismus, vti externe administratur, sic quoque interne administretur per internam SPIRITVS SANCTI potestatem.* [m]

5. PESSIMVM vero reliquum esse, ait, nimirum vulgarem perfidiam sponsorum, qui aut non intelligant, quæ promittant, aut ea non studeant peragere. Num vero hæc omnia ecclesiæ vitio danda & pro iusta caussa separationis habenda sunt? Omnino, inquit, quia atheos, infideles aut homines quosuis improbos, communione quidem ecclesiæ non exclusos, sinit esse sponsores. Debebat nominare canonem, qui atheos & infideles esse sinat sponsores. Quod ad me attinet, eiusmodi canonem haud noui. Si clandestini sint athei vel infideles, nullus minister eorum potest capere cognitionem: si vero manifesto tales sunt, viam reperire

(l) Augustin. ep. XXIII. Id. lib. I. de peccator. meritis cap. XIX.
(m) Liturg. Tigurin. p. 82.

poterit

poterit eos repudiandi. A communione enim eos arcere poteſt, & quos a communione poteſt arcere, eos a ſponſione etiam ad baptiſmum arceri poſſe, exiſtimo. Illis vero, qui nulli cenſuræ eccleſiaſticæ ſubiacent, ſpondendi licentia permittitur in omnibus nationibus. Speciatim in *Gallia* hunc habent canonem: *Sentimus, non poſſe quempiam e fidelibus ob quamcunque culpam probiberi ſponſorem eſſe infantis ad baptiſmum, vſque dum per decretum conſiſtorii a ſacramentorum vſu arceatur.* [n]

Et liber diſciplinæ haud alias requirit conditiones, niſi "vt " ſint ſponſores iuſtæ ætatis, agentes annum ad minimum deci- " mum quartum & ad cœnam dominicam iam admiſſi; vel ſi æ- " tate iam prouecti nec dum ſacra euchariſtia vſi fuerint, vt " conteſtentur, ſe id facturos, et hunc in finem in catechiſmo " erudiendos ſeſe exhibituros". [o] Heic videmus, admitti poſſe quoſpiam ſponſores, qui adhuc neceſſe habent in catechiſmo inſtitui, vt ad ipſam cœnam DOMINI admitti poſſint.

Proximvs canon eos excipit, qui a ſacræ cœnæ vſu ſuſpenſi ſunt, et dicit, " non poſſe eos tamquam ſponſores bapti- " ſmo offerre infantes, quamdiu iſta eorum ſuſpenſio vim ha- " beat." [p]

Alivs quidam canon peregrinos etiam excipit, quibus deſit teſtimonium: *Sponſor veniens ab alia eccleſia ne admittitor ad offerendum baptiſmo infantem, niſi adferat a ſua ipſius eccleſia teſtimonium.* [q].

Hae vniuerſæ regulæ ſunt, quas de ſponſoribus & de conditionibus, in illis requiſitis, habet eccleſia *Gallica*; quod ſupereſt, ad admonitionem tantum pertinet. *Paſtores diligenter admoneant omnes patrinos & matrinas, vt expendant & conſiderent ea, quæ in celebratione baptiſmi polliciti ſunt, parentes etiam, vt liberis ſuis eiuſmodi ſponſores eligant, qui religionis noſtræ capitibus bene ſunt imbuti, & vitam agunt piam & reli-*

(n) Synod. Gergol. cap. V, art IX. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 245.)
(o) Diſcipl. eccleſ. Gall. cap. XI. can. X.
(p) Ibid. can. XI.
(q) Ibid. can. IX.

giosam, vt sint, quantum pote, de necessariis ipsorum, & quorum ope, si per prouidentiam diuinam necessarium fuerit, maxime probabile sit liberos religiosam educationem habituros. [r]

ANNE ecclesiæ *Anglicanæ* pastores hæc omnia & amplius quid facere possunt, si velint? Cur autem omnis officii neglectio in pastoribus vel sponsoribus statim ecclesiæ imputanda est, quasi ipsum institutum esset illegitimum? Multum quidem in exercitio eius peccatur, sed hoc non est culpa rei ipsius, sed hominum, qui in ea sunt occupati. Credo etiam, plerasque ecclesias satis multas caussas habere istiusmodi querelarum, quibus quo modo medeantur, nesciant.

PETRVS MARTYR instituto ipsi honorificum dat testimonium, vocans illud *vtile institutum*, quod quum paruuli per baptismum in ecclesiam recipiantur, aliquorum fidei, a quibus possint institui, commendentur. *Ad hoc præstandum*, inquit, *susceptores fidem suam obstringunt, tametsi hodie nihil minus curent.* [s]

PLANVM iam me fecisse confido, omnes BAXTERI exceptiones aut falsas esse aut nugatorias, et eiusmodi, vt non minus contra consuetudinem ecclesiæ reformatæ *Galliæ*, quam contra ecclesiam *Anglicanam* offerri possint. Et vltimum argumentum eius, cui omnium maxime confidit & insistit, contra baptismum ipsum vim habiturum esset. Plus enim perfidiæ committitur ab illis, qui fidem in baptismo datam frangunt, quam a patrinis, qui fœdus suum frangunt tanquam sponsores: neque tamen baptismum reiicere, aut hominum vitia instituto adscribere licebit.

DENIQVE tamen baptismum nostrum cum omnibus vitiis suis validum esse fatetur, nec audet eum dicere nullum & vacuum; tametsi argumenta non satis idonea sint, quibus ad hoc probandum vtitur. Dicit enim [t], " Si is non sit minister, vel au-
" ctoritate careat, qui baptizet, rem non fore plane nullam,
" si ex errore credatur recte peracta. *Factum valere* decretum
" fuisse a quibusdam, vbi *Athanasius* a puero quodam baptiza-

(r) Discipl. eccl. Gall. cap. XI. can. XII.
(s) Martyr. loc. commun. class. IV. cap. VIII. n. 5.
(t) Baxter. *English Nonconform.* p. 65.

tus

" tus sit per lusum". Dicere debebat, vbi *Athanasius* pueralios quosdam pueros per lusum baptizauit. Neque enim *Athanasius* a puero baptizatus est, sed ipse puer baptizauit alios, vti SOZOMENVS & RVFFINVS rem gestam narrant. Sed hic paruus tantum error est. Si BAXTERVS in *Gallia* minister ecclesiæ fuisset, et historiam & doctrinam suam debuisset reuocare. Disciplina enim *Gallica* homines contrarium subscriptione profiteri & docere iubet, omnesque baptismos rescindit, a feminis, laicis & quibuscunque non ordinatis administratos. Canon aliquis in libro disciplinæ habetur, ita decernens, *Baptismus, per eum administratus, qui nullam habet vocationem, omnino nullus est.*[u] Hinc quum in synodo *Pictauiensi* MDLX proponeretur, Quæ ratio ineunda esset, si quis infans baptizatus esset ab homine privato? Respondebatur, *Tolli oportet per plures sermones scandalum, quod hinc oriri potest, et mentibus fidelium inculcari, eiusmodi baptismum esse nullius valoris. Quare infantem in ecclesiam Dei deportari oportet ad recipiendum verum baptismum.* [w]

IDEM decretum in multis aliis synodis nationalibus factum est, vt in prima & secunda *Rupellana*, in synodo *Vapincensi* & synodo *Alenconiensi* MDCXXXVII. Vbi licet rex missa ad synodum epistola præcepisset, vt rescisso hoc decreto baptismum mulierum & aliorum admitterent, vti fiat in ecclesia *Romana*, eiusmodi baptismum admittere prorsus noluerunt, tanquam rem fidei suæ omnino contrariam. [x] Vt adeo hæc vna sola res BAXTERVM redditura fuisset Nonconformistam, si in ecclesia *Gallica* vixisset.

QVI *Gallorum* argumenta de hoc capite eorumque responsiones ad exemplum *Athanasii*, a BAXTERO adductum, videre cupit, legat RIVETI *cathol. orthod.* tract. III. quæst. VII. et CHAMIER. de baptismo libr. - - cap. XIV. et BEZA contra *Tilemannum Hesbusium*, CALVIN. epist. ad *Mensonem Poppium*. cetera.

DVO adhuc obseruanda mihi sunt de hoc capite. Vnum est, Quod ecclesia *Gallica* permittat sponsores per vicarios, quod itidem improbat & fere ridiculum habet BAXTERVS. Synodus

(u) Discipl. eccles. Gallic. cap. XI. can. I.
(w) Synod. Pictau. cap. VI. n. XI. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 19.)
(x) Synod. Alencon. cap. XXV. n. III. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 593.)

autem *Montalbanensis* hoc priuilegium saltem regibus & magnis principibus indulgendum duxit; quae res ostendit, eos hoc non prorsus illicitum iudicasse. Synodus *Montalbanensis* an. MDXLIV. *Non permittitur*, inquit, *sponsoribus infantem baptismo offerre per vicarios, nisi fuerint reges vel principes, qui propter magnas occupationes suas non possunt semper adesse praesentes in loco, vbi baptismus administratur.* [y] Et sequens synodus *Salmuriensis* an. MDXCVI sublata hac restrictione omnibus sponsoribus licentiam fecit agendi per vicarios, si necessitas id exigeret. [z]

ALTERVM, quod obseruabo, est, Quod pro adultis etiam sponsores requirant, nec quispiam sine illis baptizari possit. Nam in synodo *Carentoniensi* tertia an. MDCXLV formula baptizandi paganos, *Iudaeos, Muhammedanos* & *Anabaptistas* composita & actis istius synodi inserta est, vbi inter alia statutum legimus, Quod minister sponsores, catechumenum offerentes, his verbis compellare debeat: *Num promittitis coram Deo & hac sancta congregatione, curaturos vos, vt magis magisque confirmetur & corroboretur in fide & excitetur ad omnia bona opera?* [a] Et respondere debent, *Promittimus.* Vbi obseruo, quod quum id sit pars praescripti & demandati officii, baptismus sine eo ordinarie non possit administrari, et quod ministri *Gallicani* aeque prohibeantur adultos sine sponsoribus baptizare, atque ministris *Anglicanis* interdictum est, ne infantes sine illis baptizent. Atque hoc vicem responsi habebit ad aliam BAXTERI obiectionem, quam in libro suo *English Nonconformity* [b] offert, vbi dicit, ecclesiam *Anglicanam* patrinos ad ipsam essentiam baptismi necessarios facere. Quod falsum est, nisi probauerit, *primo*, baptismum numquam sine patrinis administratum esse, *deinde* requiri id, non solum tanquam vsitatum ordinem in ecclesia, sed etiam tamquam necessariam partem baptismi ex institutione diuina; quod nec ille nec alius quisquam probauit. Fac autem, incusationem quodam modo recte sese habere, quid amplius probabit contra ecclesiam

(y) Synod. Montalb. cap. IV. artic. XXX. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 182. n. XXXI.)
(z) Synod. Salmur. cap. IV. n. VIII. (Ap. *Aymon.* p. 200. n. VII.)
(a) Synod. Carenton. III. cap. IX. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 660.)
(b) Baxt. *Engl. Nonconform.* cap. XI.

Angli-

Anglicanam quam contra ecclesiam *Gallicam*, quæ eumdem ordinem præscripsit de sponsoribus pro hominibus adultis? Si fuerit schismatica impositio apud nos, scire aueo, quo nomine in ecclesia *Gallica* vocari debeat.

PROXIMVM publicum officium, quod in formula catechismi situm est, prætereo, quod non inuenio alias obiectiones contra illud factas, quam quæ antea consideratæ sunt, aut capite proximo de confirmatione considerabuntur.

LIBRI TERTII
CAPVT VICESIMVM PRIMVM.

Ecclesiam *Gallicam* approbare rationem confirmationis *Anglicam* & requirere quiddam, quod tantumdem valeat, antequam homines ad sacram eucharistiam admittat.

BAXTERVS in eodem suo libro [c] declarat, tantum abesse, vt verum vsum confirmationis in controuersiam vocet, vt defectum eius maximam ecclesiæ corruptionem in rebus externis, quarum meminerit, esse existimet. Enimuero *Anglicam* rationem confirmationis se non approbare dicit, nec posse consentire de eorum omnium reiectione a sacræ cœnæ vsu, qui episcopalem nostram confirmationem non desiderent.

OBIECTIO illius contra nostram confirmandi rationem est, Quod ea ordinarie aliter fieri non possit, quam velut cærimonia & lusus puerilis; vti modeste id exprimit. Ratio eius est, quia diœceses tam amplæ sint, vt episcopus hoc ipsum & alia officia sua vel centesimæ gregis sui parti præstare nequeat. Vnde sequi dicit, 1. Vt ex centum ne vnus quidem confirmetur. 2. Vt omnibus millenis non confirmatis ad sacramentum accedere liceat, si lubeat. 3. Vt ministri non sui esse officii arbitrentur, quempiam a sacramento arcere, eo quod non sit confirmatus, nec confirmari cupiat. 4. Vt confirmatio plerumque peragatur tanquam cærimonia cursoria.

(c) Baxter. *Engl. Nonconf.* c. XIX.

Ad quæ omnia reſpondeo. 1. Quod dentur multi & epiſcopi & inferioris ordinis paſtores, quorum conſtans praxis oſtendat, dici ea per meram calumniam & conuicium in ſingulis exemplis. 2. Fac, dari heic quosdam defectus & abuſus vel in omiſſione vel mala adminiſtratione illius: Cui hæc vitia imputanda ſunt? Vtrum perſonis, an eccleſiæ illiusque inſtitutioni? Non eſſe ipſi inſtitutioni imputanda, ex ipſius BAXTERI ore probo. Dicit, HAMMONDVM, ELDERFIELDVM & alios quosdam ex ſummis theologis epiſcopalibus de vero confirmationis vſu tam grauiter ſcripſiſſe, quam ipſemet ſcripſerit. Iam vero illi aut ſecundum principia & inſtituta eccleſiæ *Anglicanæ* aut contra illa ſcripſerunt. Contra ea illos ſcripſiſſe, BAXTERVS lectoribus ſuis prudentibus numquam perſuadebit. Si vero ſecundum ea ſcripſerunt, tum verus vſus confirmationis eſſe poteſt ſecundum inſtitutionem eccleſiæ *Anglicanæ;* et omnes BAXTERI obiectiones nugatoriæ ſunt, quia vitia perſonarum inſtitutioni adſignant, quæ eccleſia lamentari, non ſemper ſanare, poteſt. Nam omnes formæ regiminis abuſui obnoxiæ ſunt, et ſi confirmatio quorumuis paſtorum manibus committeretur, ea res vitia, de quibus iam in exercitio illius fiunt querimoniæ, numquam corrigeret, ſed potius augeret, niſi conſtituerentur, qui actiones eorum diligenter inſpicerent, ſufficiente auctoritate corrigendi illas inſtructi. Hoc autem tempore vnuſquisque miniſter priuatus ſufficientem poteſtatem habet (dummodo ea vti velit) homines, curæ ipſius commiſſos, in fidei capitibus diligenter inſtituendo ad confirmationem præparandi, eamque illis vel ipſo actu procurandi, aut ſaltem ad deſiderandam eam excitandi, atque hoc eſt, quidquid rubrica requirit. Cuiuſmodi deſiderium tacita quædam fœderis baptiſmalis confirmatio eſt, vbi ſollemnior illa & magis publica haberi non poteſt.

BAXTERVS autem in hoc conſentire nequit, quod quis a communione arceatur, qui nullo epiſcopalis confirmationis teneatur deſiderio. „ Multos enim religioſos homines credere dicit,
„ eam eſſe vitioſam 1. Quia verba collectæ nonnullis videantur
„ illam facere ſacramentum, quæ ſic habeant: *Quibus ad exem-*
„ *plum ſanctorum apoſtolorum manus noſtras iam impoſuimus, vt hoc*
„ *ſigno certos eos reddamus de tuo paterno fauore & gratia erga*
„ *ipſos,*

" *ipsos.* Heic, inquit, externum & visibile internæ ac spiritua-
" lis gratiæ illis collatæ signum dari dicitur, in imitationem apo-
" stolorum CHRISTI, tamquam medium, quo eam recipiant,
" & pignus, quo de ea certi reddantur; quæ definitio est sacra-
" menti in catechismo."

BAXTERVS libenter arripit occasionem quamcunque probandi, ecclesiam facere noua sacramenta, ratio autem, quam init, absurda est, et ecclesiam *Gallicam* omnesque ecclesias protestantes eiusdem rei æque reas facit atque ecclesiam *Anglicanam.* Nam 1. Nulla ecclesia disertius negat, confirmationem esse sacramentum, quam ecclesia *Anglicana* cum in catechismo suo tum in articulo vicesimo quinto, qui ait: *Quinque illa vulgo nominata sacramenta, scilicet confirmatio, pœnitentia, ordo, matrimonium & extrema vnctio, pro sacramentis euangelicis habenda non sunt.* Ne quidem manuum impositionem temporarium sacramentum vocat, quamuis CALVINVS in libro suo de *vera ratione reformandæ ecclesiæ* hoc eam nomine appellare non dubitet, pontificios imperitiæ accusans, quod ex temporali sacramento perpetuum faciant; [*d*] idemque de apostolica vnctione dicit.

2. SI omnis impositio manuum, ad exemplum apostolorum adhibita tamquam signum reddendi homines certos de Dei fauore & gratia, hoc ipso fit sacramentum: confirmatio, et ordinatio & pœnitentium reconciliatio itidem sacramenta erunt. Scriptores enim *Gallici* confirmationem & impositionem manuum, in ea vsitatam, ad apostolicam referunt originem & dicunt, vsurpari eam tamquam benedictionem, cuiusmodi omnis precatio, cum impositione manuum coniuncta, esse semper credita sit.

RIVETVS expressis verbis dicit, impositionem manuum, coniunctam cum doctrina baptismi, cuius mentio fit *Hebr. VI, 12.* referendam esse ad sollemnem istam baptizatorum benedictionem, cuius veteres tam sæpe meminerint, quamque ecclesia antiqua vsitatam fuisse constet. *Hæc benedictio communis*, inquit, *coniuncta cum impositione manuum immediate sequebatur baptismum in iis, qui iam adulti ad eam accipiendam præsentabantur.*

(*d*) Caluin. de vera rat. reform. eccles. tom. VIII. p. 286.

tur. Statim enim postquam baptizati fuissent in CHRISTVM, minister eius nomine, iis benedicebat, eos precibus publicis commendando, ac in christianismi vocatione confirmando. Cuius consuetudinis, quam pontificii in ritum vanissimum nouisque signis ac innumeris superstitionibus refertum commutarint, legitimum vsum catechismis, instructionibus, ac puerorum, antequam ad sacram cœnam admittantur, per preces benedictionibus se cum reliquis reformatoribus Dei gratia restituisse dicit. [e]

ALIO loco simul sensum ecclesiæ *Gallicæ* & ecclesiæ *Belgicæ* loquitur. *Probabile est*, inquit, *impositionis manuum doctrinam, quæ Hebr. VI, 2. iungitur doctrinæ baptismatum, referri ad curam illam priscæ ecclesiæ, qua pueri eruditi in doctrina catechetica, priusquam admitterentur ad cœnæ participationem, ecclesiæ sistebantur, de fide sua responsuri; & precibus DEO commendabantur, adiecto ritu manuum impositionis, qui gestus erat orantium & benedicentium tempore patriarcharum vsitatus. - - Hac oratione & commendatione adulti fidelis ad Deum post legitimum examen si contenti essent* (pontificii), *nos etiam libenter acquiesceremus, si, inquam, nihil aliud peterent, quam ritum illum, quem CALVINVS restitutum cupit Instit. libr. IV. cap. XIX. sect. IV. & cuius substantia in ecclesiis nostris religiose seruatur [f].*

HEIC (nisi me omnia fallant) impositio manuum ex institutione apostolica deriuatur & fieri dicitur ad imitationem apostolorum, non secus ac ecclesia *Anglicana* id statuit. Et si benedictio & preces media sunt obtinendi fauorem Dei, impositio manuum (ritus ex istorum doctorum virorum opinione cum illis coniunctus) non minus fuit externum signum fauoris Dei in prisca ecclesia, quam nunc est in ecclesiis nostris. Vt adeo, si argumentum BAXTERI quidquam probat, confirmationem probet factam esse sacramentum in ecclesia prisca æque ac in ecclesia *Anglicana*. Nam hæc communis doctorum *Gallorum* doctrina est, Quod sit quædam benedictio per impositionem manuum,

(e) Riuet. cathol. orthodox. tract. III. quæst. IX. n. 3.
(f) Riuet. synops. purior. theol. disput. XLVII. n. XIII.

ad

ad imitationem apoſtolorum fieri ſolita. CALVINVS in locum ante memoratum Hebr. VI, 2. expreſſis verbis, *Hic vnus locus*, inquit, *abunde teſtatur, huius cærimoniæ originem fluxiſſe ab apoſtolis. - - Quamobrem hodie retinenda pura inſtitutio eſt, ſuperſtitio autem corrigenda.* [g] Idem iudicat BEZA in eumdem locum. [h]

SI vero fidem BAXTERO habemus, ſuperſtitio ſupereſt inter nos nec dum correcta, tantum quia hunc ritum retinemus. Nos enim impoſitionem manuum adhibemus in confirmatione, tamquam ritum apoſtolicum et tamquam ſignum diuini fauoris et benedictionis, quod ex opinione BAXTERI eſt facere ex eo ſacramentum. Tum vero ſequitur, vt ordinatio & reconciliatio pœnitentium ex eadem regula ſacramenta ſint. Nam impoſitio manuum vſitata fuit in vtroque hoc ſancto officio ad exemplum apoſtolorum & tamquam externum ſignum benedictionis. Qua ratione rurſus numerum ſeptem ſacramentorum agnoſcamus, oportet, quamuis eccleſiæ *Gallica* & *Anglica* eam doctrinam plane reiiciant.

3. VNVM adhuc obſeruandum mihi eſt de BAXTERI ingenuitate in repræſentanda doctrina eccleſiæ. Dicit, nos facere impoſitionem manuum medium recipiendi ſpiritualem gratiam & pignus, quo de ea certi reddantur homines (vti collectæ oſtendant) quæ ſit definitio ſacramenti in catechiſmo. Sed vero, quod pace eius dixero, hæc vna tantum pars definitionis eſt. Nam ad efficiendum perfectum ſacramentum catechiſmus requirit, vt inſtitutum ſit ab ipſo CHRISTO, quod BAXTERVS callide omittit; et facit collectas dicere, quod non dicunt, nempe impoſitionem manuum eſſe medium conferendi gratiam. Ne vnum quidem verbum in collectis eſt, quod huc tendat. Adhibentur quidem nonnullæ preces ad implorandam diuinam benedictionem iis, qui confirmantur, atque illæ certo ſenſu dici poſſunt media gratiæ. Verum enim ſi hoc ſacramentum facit, vnaquæque collecta in liturgia & vnaquæque precatio, quam quis Deo offert pro obtinenda gratia eius, nouum ſacramentum erit; quod, mea quidem ſententia, omnibus abſurdum erit ſerio ſtatuere.

HABET autem BAXTERVS duas alias rationes, quamobrem homines religioſi confirmationem noſtram vitioſam ducant. Di-

(g) Caluin. comment. in Hebr. VI, 2.
(h) Bez. adnotat. in Hebr. VI, 2.

cit, " eos, qui diœcesano nostro episcopatui non faueant, non au-
" dere hoc præ se ferre, si ad episcopos confirmationis, quam sibi
" vindicent, caussa veniant". Ego crediderim, illos homines non venturos esse ad diœcesanas ecclesias, preces, vel adeo ad communionem, ne diæcesanum episcopatum viderentur approbare. Et quid opus est hoc quempiam sollicitum habere, quod ex officio debeat illis negare communionem, qui eam accipere nolunt oblatam?

"Sed vero nonnulli, (inquit,) existimant, magnum &
" sanctum officium deridiculum fieri ad deludificandas animas &
" corrumpendam ecclesiam; quia omnes in *Anglia*, quotquot
" hanc cærimoniam receperint, in precibus ad Deum pronunti-
" antur regeniti per spiritum sanctum, omniumque peccatorum
" suorum remissionem consequuti. Quibus profanatoribus in
" derisoria ratione sua illi sese coniungere non audent".

Hæc sane a Baxtero dicuntur more vsitato & cum eloquentia ipsi peculiari. Ad quæ quidquid dicturus sum, hoc est, ipsum ex his flosculis rhetoricis nullum e Calvino aut vllo alio celebri auctore *Gallicano* decerpsisse, quippe qui eos omnes maxime abominantur, qui episcopalem confirmationem, in *Anglia* nostra vsitatam, deridiculum, illusionem animarum, corruptionem ecclesiæ & sancti officii profanationem contumeliose appellant. Calvinus honorifice de antiqua episcopali confirmatione loquitur, & quisquis ea, quæ de illa narrat, obseruauerit, is eam cum forma, in ecclesia *Anglicana* præscripta, mirifice congruere deprehender. *Mos olim fuit*, inquit, *vt christianorum liberi, postquam adoleuerant, coram episcopo sisterentur, vt officium illud implerent, quod ab iis exigebatur, qui se ad baptismum adulti offerebant. - - Qui baptismo initiati erant infantes, quia fidei confessione apud ecclesiam tunc defuncti non erant, sub finem pueritiæ, aut ineunte adolescentia, repræsentabantur iterum a parentibus, ab episcopo examinabantur secundum formulam catechismi; quam tunc habebant certam ac communem. Quo autem hæc actio, quæ alioqui grauis sanctaque merito esse debebat, plus reuerentiæ haberet*

haberet ac dignitatis, cærimonia quoque adhibebatur manuum impositionis. Ita puer ille, fide sua approbata, cum sollemni benedictione dimittebatur. - - Talem ergo manuum impositionem, quæ simpliciter loco benedictionis fiat, laudo & restitutam hodie in purum vsum velim. [i]

NIHIL habet CALVINVS, quod contra istam confirmationem obiiciat, quod administretur ab episcopis diœcesanis; multo minus existimat, episcopalem eius administrationem esse deridiculam & illusionem animarum, aut corruptionem ecclesiæ, aut profanationem institutionis: quæ sunt BAXTERI vrbanitates erga ecclesiam *Anglicanam.*

IOANNES autem DALLAEVS, vt vir quidam doctus [k] eum citat, plane aliter & benignius de illa iudicat. Dicit, *confirmationem, qua nunc vtatur ecclesia Anglicana, multo melius ac sapientius, magisque ad christianissimi ingenium constitutam esse, quam quæ in veterum quarti & deinceps sæculi libris olim fuisse deprehendatur.* Ratio eius, puto, erat, quia in primitiua ecclesia, vti infantes ad communionem admittebantur, ita multis in locis statim post baptismum confirmabantur. Hoc si verum est (sicuti non video rationem de eo dubitandi, tametsi viri quidam docti aliter sentiant & laudes eius recusent) idoneam caussam habuit *Anglicanam* rationem confirmandi adultos præferendi illi, qua infantes confirmantur. Illa enim fini institutionis melius respondet quam ista. Quod si vero opinione de ecclesia prisca fallatur, insignem tamen suam existimationem de ecclesia *Anglicana* declarat; dum rationem confirmationis, quam illa adhibet, admittit & commendat, sancteque adfirmat, se in tota de confirmationis sacramento a se edita disputatione ritus eius nullo ne leuissimo quidem verbo lacessiuisse vel perstrinxisse.

SI dixeris, CALVINVM & DALLAEVM & vniuersam ecclesiam *Gallicam* credere, presbyteris permitti posse actum confirmationis: Respondeo, In præsenti de hoc non est quæstio, sed tantum de eo, num in stabilita quadam ecclesia episcopali presbyteris

(*i*) Caluin. institut. lib. IV. c. XIX. n. 4.

(*k*) Beneveg. cod. can. vindic. proœm. n. XI.

ris liceat episcopis suis sese opponere & confirmationem eis eripere atque ex manibus extorquere? Hoc neque CALVINVS, nec DALLAEVS, nec alius quispiam auctor *Gallicanus*, quantum perspicio, comprobabit, sed potius tamquam vsurpationem schismaticam damnabit. Casus necessitatis, vbi non sunt nisi presbyteri, qui confirment, a caussa nostra multum differt, vbi episcopi privilegium suum retinent, & in administranda confirmatione industrii sunt aut certe esse debent. Iam supra dixi, si qua heic sit neglectio in personis, non esse eam vitio dandam ipsi institutioni, quam ex optimorum ecclesiæ *Gallicæ* scriptorum iudicio sanctam & piam esse demonstraui, quippe quorum alii eam cum primitivæ ecclesiæ praxi congruere, alii meliorem & sapientiorem illa esse dicunt.

VERVMTAMEN BAXTERVS tam audax est, vt eam illusoriam profanationem appellet, propter hæc verba in collecta: *Omnipotens Deus, qui dignatus es hosce seruos tuos regignere ex aqua & spiritu sancto, veniamque eis dedisti omnium peccatorum suorum.* Hoc esse dicit, pronuntiare omnes regenitos, quotquot hanc cærimoniam receperint. Quæ manifesto per calumniam sic dicuntur. Verba enim nihil inuoluunt præter generalem quamdam & beneuolam præsumtionem, quod, qui ad confirmandum votum suum baptismale accedunt, olim vere baptizati fuerint, nunc autem serio & religiose accedant, vt fœdus suum baptismale per se ipsi ratum faciant. Qua in præsumtione amice & beneuole existimantur esse in statu regenerationis. Eiusmodi amicæ præsumtiones frequentes sunt in epistolis *Pauli* & fere in omnibus publicis officiis & precibus ecclesiæ occurrunt, quæ congregationem sanctam supponunt, etiamsi multi intermixti fuerint aliter comparati. Ita res se habet in gratiarum actione post celebrationem eucharistiæ non solum in officio nostro, sed in liturgia etiam CALVINI, vbi formula gratiarum actionis post peractam cœnam his verbis legitur: *Laudum & gratiarum actione immortali te prosequimur, PATER cælestis, pro tanto, quod in nos miseros peccatores contulisti, beneficio, dum ad participationem filii tui IESV CHRISTI nos adduxisti, quem pro nobis morti passus es tradi & nunc in vitæ æternæ alimentum impertiris.* [l]

(l) Caluin. form. prec. tom. VIII. p. 30.

QVAE-

QVAERO iam, Annon hæ locutiones, participare CHRISTVM, impertitum esse CHRISTO in vitæ æternæ alimentum, eiusdem valoris ac potestatis sint, atque regenitum esse & habere remissionem omnium peccatorum? Si sunt, aut officium nostrum pro confirmatione vindicari potest, aut liturgia *Gallica* damnanda est tamquam illusoria officii eucharistici profanatio. Scio, ipsum BAXTERVM non fuisse ausurum de ecclesia *Gallica* hoc dicere, tametsi non dubitet de ecclesia *Anglica* dicere, quidquid libet.

CONSIDERAVI iam omnes BAXTERI exceptiones contra officium nostrum pro confirmatione & ostendi, iniustas eas esse ex principiis ecclesiæ *Gallicanæ*. Consectarium est, ex iisdem principiis communionem legitime negari posse iis, qui episcopalem confirmationem in ecclesia quadam episcopali recipere recusant. Nam, vt nunc ne disquiramus, quatenus confirmatio necessaria sit in se, aut necessario peragi debeat ab episcopo: hoc certum est & inter omnes conuenit, Quod regulis & disciplinæ vniuscuiusque ecclesiæ quod ad communionem, submittere sese debeant omnia eius membra. Quum autem regula sit ecclesiæ *Anglicanæ*, omnes & singulos, antequam ad communionem admittantur, confirmari ab episcopo, aut saltem ad confirmationem præparari eiusque cupidos esse debere: sequitur, vt illis, qui huic ordini se submittere obstinate recusant, communio heic æque legitime negari possit, atque illis in ecclesia *Gallicana*, qui ordini confirmationis illic præscripto se nolunt submittere. CALVINVS ait: *Lex est, ne pueri, donec fidei suæ rationem reddiderint, ad sacram mensam accedant.* [m]

QVA cum lege congruit canon *Gallicanus* in libro, quem *disciplinam* vocant, *Pueri annos nati infra duodecim ad sacram cœnam ne admittuntor; si vero hanc ætatem superauerint, ministrorum prudentiæ relinquitur iudicare, num satis bene instructi fuerint, vt admitti possint nec ne* [n] . Iam vnica differentia inter regulam *Gallicam* & nostram est, Quod apud nos vniuersi non solum priuato suo quisque ministro, sed etiam episcopo fidei suæ rationem reddere eiusque benedictionem recipere iubentur. Si vero hoc

(m) Caluin. defens. II. contr. Westphal. p. 678.
(n) Discipl. eccl. Gall. cap. XII. can. II.

faciendi illis deest opportunitas, sufficit suo ipsorum ministro demonstrare, quod sint ad communionem præparati & promti ad fidem suam & præparationem coram episcopo testandam, si res & occasio ita tulerit. Qui hoc in ecclesia quadam episcopali facere non vult, per disciplinam communionis *Gallicæ* contumax & refractarius est censuræque obnoxius. Id quod probandum susceperam.

LIBRI TERTII

CAPVT VICESIMVM SECVNDVM.

De formula matrimonii, visitatione ægrotorum, communione ægrotorum, sepultura mortuorum, gratiarum actione post partum, officio comminationis & voto ecclesiæ pro instauranda disciplina ecclesiastica.

DE quibusdam horum officiorum in ecclesia nostra necesse mihi non est hoc loco plura dicere. Formulam matrimonii iam consideraui capite de statis precum formulis, & ostendi, *Gallicanam* illud celebrandi rationem esse idoneam defensionem nostræ. Pro aliis officiis, fateor, nullas habent formulas. Neque vero eiusmodi formularum vsum absolute damnant vel in genere, vel in specie nostrarum. Aegrotorum visitatio cuiusuis ministri iudicio & sapientiæ relinquitur; et hoc officium est, in quo nostra ecclesia similiter aliquam libertatem concedit, nec vllam obiectionem contra illud factam inuenio.

NVLLAM habent formulam pro communione administranda ægrotis, quia exercitium rei ipsius apud illos in vsu non est. Quod autem hac re carent, potius infelicitas eorum est, quam optio, si, quod nonnulli eorum narrant, verum est, Quod eam habere non possint, quia magistratus exercitium officiorum religionis suæ eis non permittat, nisi in locis duntaxat publicis. Ita CAROLVS DRELINCVRTIVS citatus a IO. DVRELLO in scripto *Conform. of Ref. church. p. 50.* CALVINVS etiam opinione sua totus erat pro vsu eius, vti ex epistola illius ad *Monsbelgardenses* apparet, vbi scribit in hæc verba: *De cœnæ administratione ita sentio, libenter admittendum esse hunc morem, vt apud ægrotos celebretur communio,*

nio, quum ita res & opportunitas feret; hac tamen lege, vt sit vera communio, hoc est, vt panis in cœtu aliquo fidelium frangatur. [o]

ITA in alia quadam epistola: *Cur cœnam ægrotis negandam esse non arbitrer, multæ & graues caussæ me compellunt. Video interea, quam procliuis in multos abusus sit lapsus, quibus prudenter seduloque occurrendum esset. - - Conueniat ergo aliquis cœtus oportet ex cognatis, familiaribus & vicinis, vt fiat distributio ex mandato CHRISTI.* [p] Quæ ipsa lex est ecclesiæ *Anglicanæ* in rubrica pro communione infirmorum, quæ requirit, vt ægrotanti sese adiungant duo vel tres alii, vt fiat quædam congregatio.

SI quæsieris, Cur igitur CALVINUS hunc morem non induxit in ecclesiam *Geneuensem*, quando eum tantopere probauit? Ipse respondet in epistola ad *Casparum Oleuianum. Agnoscis, quibus rationibus adductus ægrotos non esse arbitrer a communione arcendos. Neque tamen ea de caussa velim turbas mouere. Scis in hac ecclesia alium esse morem: Acquiesco, quia vtile non est contendere.* [q]

HOC vnum ex iis videtur fuisse, quæ CALVINUS fatetur in ecclesia *Geneuensi* esse corrigenda; volebat autem tolerare eiusmodi næuum, ne forte mutatio maius damnum importaret, quam ipsum incommodum. Quæ res certos homines hæc duo docere debebat obiter: 1. Pacem & communionem alicuius ecclesiæ non debere rumpi propter quoduis incommodum aut defectum quemlibet. 2. Non vocandum esse id corruptionem ecclesiæ nostræ, quod homines prudentes felicitatem reformationis illius interpretantur.

SED progredimur. Ecclesiam *Gallicam*, in confesso est, non habere officium pro sepultura mortuorum cum vel sine formula, immone quidem exhortationem funebrem, quemadmodum capite de liturgia ostendi. Hoc autem inde non est, quasi eiusmodi vel officium vel formulam in se illicitam esse existiment, sed propter incommoda & superstitiones nonnullas, quas, quoad protestantes pontificiis mixti viuant, ex accidenti rem illam comitatu-

(o) Caluin. epist. ad Monsbellgard. p. 25.
(p) Caluin. epist. de quibusd. eccles. ritib. p. 206.
(q) Caluin. ep. ad Oleuian. p. 207. Vid. etiam resp. ll. ad Westphal. p. 278.

ras

ras esse arbitrantur. Quando enim ministri *Gallici* in aliis degunt regionibus, vt in *Anglia*, ceteris, vbi hæc ratio cessat, tunc ad exemplum aliorum officium funebre adhibere non dubitant, Neque eorum vlli eas obiectiones contra nostram sepeliendi formam mouent, quas contra illam mouent ab ecclesia *Anglicana* inter nos abalienati. Quum enim educati sint in ecclesia, in qua disciplina per continuas synodos firmitatem & vim suam habebat, nostrum officium funebre intelligunt esse excellentem formam, supposito videlicet debito disciplinæ ecclesiasticæ exercitio; cuius fiducia ac spe manifesto formatum fuit. Concesso enim debito disciplinæ exercitio, omnes obiectiones, contra hoc officium oblatæ, sponte sua euanescent. Et vt nunc res est apud nos, officium non ita obnoxium est obiectioni, vti quidam opinantur. Nam, vt vir quidam doctus [r] obseruat, *Vnum hoc in materia dici oportet, quod, licet ordinarie nulla eius fiat mentio, magni momenti esse videtur, et vnumquemque ministrum facile absoluit, qui libertatem sibi sumit eiusmodi loca omittendi, contra quæ aduersarii nostri in papistarum, schismaticorum & desperatæ emendationis peccatorum,* (ego addo, manifestorum hæreticorum, ab vniuersa ecclesia catholica concordissime damnatorum) *sepultura obiiciunt.*

PER rubricam omnes excommunicati a christiana sepultura excluduntur. Iam vero duplex in ecclesia nostra excommunicatio obtinet, nimirum excommunicatio sub iudice, et latæ sententiæ. Prima est, quando homines a iudice ecclesiastico formaliter excommunicantur; altera est, (de qua frequentissime loquitur BAXTERVS) excommunicatio ipso facto, quando per canones ecclesiæ aliquis, qui delictorum ibi recensitorum reus est, declaratur excommunicatus, antequam sententia quædam iudicialis de eo pronuntiatur. Iam rubrica, quæ hominum excommunicatorum sepulturam prohibet, hoc ipsum ad neutram excommunicationem restringit. Vnde, si quis minister vel in visitatione ægroti, vel alia quadam occasione, aliquem deprehendit huic sententiæ subiacentem, etiamsi illi a iudice ecclesiastico ipso actu inflicta non sit, tamen vi huius rubricæ sepulturam ei

(r) *Dr.* Sherlock's *Defence of Dr.* Stillingfleet p.103.

negare

negare poteſt per formulam in liturgia noſtra præſcriptam, quia per canones eccleſiæ ſententiæ excommunicationis ſubiacet. Hæc auctoritas diſerte conceditur miniſtro in arcendis illis a communione cœnæ dominicæ, qui manifeſto impiam vitam agunt, et eadem ratio in officio ſepulturæ valet; quemadmodum vir ille doctus opinionem ſuam declarat, antiſtitum ſuorum iudicio eam ſubmittendo.

Si igitur admittamus, hanc ratiocinationem recte ſe habere, quam a nullo antiſtitum noſtrorum improbatam inuenio; ſequitur, vt quilibet miniſter poteſtatem habeat vſum huius officii, vel ex toto vel ex parte, omnibus illis denegandi, qui eo ſeſe indignos ipſi reddiderunt. Et eiuſmodi limitatio apparentem difficultatem, quæ primo adſpectu in approbando eius vſu ſeſe offert, abunde diſpellit. Verumtamen, quia vſus eius, etiam cum hac reſtrictione, miniſtris magnam moleſtiam & inuidiam, interdum etiam graues lites ad externam eorum perniciem creare poteſt; non poſſum, quin cum antememorato auctore dicam: "Magnopere vellem, vti quædam locutiones mutarentur, quo omne vel ſcrupuloſorum vel profanorum hominum offendiculum auerteretur; vel quod magis eſt deſiderabile, vti diſciplina reuiuiſceret, id quod omnes haſce obiectiones ſoluturum eſſet. BAXTERVS idem dicit, ſi vera diſciplina iuſtam dignorum & indignorum ſeparationem faceret, ſe vniuerſum officium & hæc ipſa verba, quæ maxime oppugnantur, facile approbare poſſe." [ſ]

VERVM aduerſarii noſtri dicunt, hoc eſſe aliud quoddam eccleſiæ noſtræ vitium, quod diſciplina careat eccleſiaſtica. Non habere eccleſiam diſciplinæ exercitium tam perfectum, quam quidem optandum erat, libenter fateor, et ipſa eccleſia fatetur & lamentatur. Prorſus autem illam diſciplina eccleſiaſtica carere, nego & pernego. Nam rubricæ, iniunctiones & canones, contra quos nonnulli tantopere declamitant, nihil ſunt aliud, quam quod in aliis eccleſiis vocant regulas diſciplinæ. Et quod ad peculiarem eius partem attinet, quæ appellatur excluſio a ſacra euchariſtia & excommunicatio, eccleſia noſtra non caret regulis, vtriuſque exercitio præſcriptis. Miniſter quilibet, vti modo ob-

(ſ) Baxter. *Engl. Nonconform.* c. XVI.

feruaui, poteftatem habet arcendi eos a facræ cœnæ vfu, qui manifefto impiam vitam agunt, et epifcopi poteftatem habent ipfam excommunicationem pronuntiandi. Quæ res fi non femper, aut non tam feliciter & efficaciter fiunt, quam quidem optandum erat, aliæ rationes huius incommodi dari poffunt, inter quas non minimum locum habere exiftimo factiones & fchifmata, quæ ecclefiam diuidunt. Vincula enim difciplinæ ecclefiafticæ folvunt eiufque impediunt plenum exercitium; quandoquidem homines, qui vna communione excluduntur, ab alia blande recipiuntur. Nonne durum eft, offendicula prius ponere in via, et deinde hoc ecclefiæ vitio dare, quod eius eft infortunium, et temporum iniquitatem maxime arguit, quod nullum ifti rei remedium adhibeatur?

POSITO autem, collapfæ antiquæ difciplinæ cauffam ecclefiæ eiusue miniftris attribuendam effe: Quo valet ifta incufatio? Eone, vt concedamus, nullam difciplinam in ecclefia noftra inveniri, quia non eft in fumma fua perfectione? Aut homines poffe legitime deferere communionem illius, quia in adminiftratione difciplinæ non adhibetur tanta diligentia, quam quidem erat optandum? Neutrum horum certus fum vel CALVINVM ftatuiffe vel BEZAM. Licet BEZA difciplinæ faciem fpectet tanquam multis adhuc næuis deformatam in ecclefia *Anglica*, fatetur tamen, eam in hoc etiam capite tolerabiliter reformatam effe, fi cum aliis ecclefiis comparetur; tantum plenam ecclefiafticæ difciplinæ inftaurationem adiunctam cupit, quam & ipfa ecclefia & boni quique in ea exoptant. Vid. BEZA epift. dedic. ad *Elifabetham* reginam Nouo teftamento præfixa, et fupra cap. II. pag. 513. 514. citata.

SANE non exiftimauit BEZA, difciplinæ defectum tantum effe, vti quidam opinantur, multo minus idoneam cauffam feparationis effe ab ecclefia *Anglicana*, cuius reformationem vndiquaque fupra plerasque ecclefias proteftantes alias tantopere extollit.

FINGAMVS autem, difciplinam in ecclefia noftra vel neceffitate, vel focordia miniftrorum, vel vitio quodam noftræ conftitutionis penitus collapfam effe: CALVINVS tamen nihil huius vllo modo admittit tanquam cauffam idoneam feparationis. Id pri-

primis reformatoribus communiter vbique vſu veniſſe dicit, vt, quum ad diſciplinam eccleſiaſticam ventum fuerit, vota quidem & gemitus ſuos teſtari, corrigere autem eam non potuerint. Ita enim in epiſtola quadam conſolatoria mentem ſuam hac de re declarat *Farello*, qui apud eum queſtus erat, quod diſciplinam in eccleſia ſua ſtabilire non poſſet. Cui vt oſtenderet, non ſingulare quiddam ei accidere, *Melanchthonem* & reliquos ſub eadem infelici neceſſitate laborare narrat. *Ad diſciplinam*, inquit, *dum venitur, ipſe (Melanchthon) aliorum more ingemiſcit. Magis enim deplorare miſeram hac in re eccleſiæ conditionem licet, quam corrigere: Ne vos iſtic ſolos laborare putetis.* [t]

CONSILIVM eius non eſt, vt miniſtri vocationem ſuam deſerant, aut populus deſerat miniſtros ſuos & eccleſiam, propter neglectam diſciplinam; ſed vt ſatis habeant communem calamitatem participare, quæ infelicitas eorum ſit, non culpa, quoad rem emendandi poteſtatem non habeant.

ALIO loco fatetur, diſciplinam non recte exerceri *Geneuæ*, at vero ſibi huius rei culpam non imputat, quia non ipſe, ſed alii eam impediant. Nihilo minus illos id audentiæ habere dicit, vt neglectam diſciplinam ipſi tribuant. *Dum in opere ſumus occupati*, inquit, *illi ad turbanda principia infeſtos ſe ſubinde ingerunt, nec vllam nobis relaxationem permittunt, vt componere domeſticum eccleſiæ ſtatum liceat. Poſtea diſſipationem, cuius ipſi cauſſa ſunt, probri loco nobis obiectant.* [u]

QVAEDAM eccleſiæ proteſtantes nullum prorſus excommunicationis vſum habent, vt eccleſiæ *Helueticæ* & *Palatinæ:* CALVINVS tamen tantum abeſt, vt earum communionem propterea repudiet, vt eas excuſet & defendat, ſuas illis eſſe rationes exiſtimans, cur ſic agant. Ita ſcribens ad miniſtros *Tigurinos*, apud quos excommunicatio abrogata erat. *De excommunicatione*, inquit, *non omnes hodie idem ſentiunt: Nec me latet, pios & doctos eſſe homines, quibus ſub chriſtianis principibus non videtur neceſſaria eſſe excommunicatio. Atqui neminem fore confido ſanæ mentis rectique ſtudii, qui eius vſum improbet. Mihi certe non*

(t) Caluin. epiſt. ad Farell. p. 6.

(u) Caluin. de neceſſ. reform. eccleſ. tom. VIII. p. 56.

obscura est CHRISTI doctrina. Sicubi a plebe impetrari non potest, vt hoc CHRISTI iugum suscipiat, postquam strenue eo incubuerint pastores, alia est eorum ratio quam nostra. Nimis enim turpe esset, ædificium, quod nobis tuendum CHRISTVS commisit, viuis & videntibus nobis dirui ac euerti. [w]

QVI communionem alicuius ecclesiæ licitam credidit, in qua excommunicatio penitus abolita erat, tanquam minus necessaria sub principibus christianis, ille procul dubio non damnaturus erat ecclesiam, in qua excommunicatio constituta est per legem, etiamsi quædam imperfectiones sese offerant in eius exercitio.

OMNES generatim consentiunt, dari quosdam casus, in quibus rigidum disciplinæ exercitium plus damni quam emolumenti allaturum sit ecclesiæ; vt si generalis quædam populi seditio, aut dira persecutio inde oriretur. Eiusmodi in casibus semper credita fuit pars christianæ prudentiæ, disciplinæ habenas potius paullum laxare, quam eo, quod ad ecclesiæ ædificationem datum est, ad destructionem illius abuti. AVGVSTINVS plus vicies hoc in epistolis suis & scriptis contra *Donatistas* monet, quod in præsenti heic enarrare nihil attinet. Faciendi id commodiorem forte occasionem habebo postea in historica exercitii antiquæ disciplinæ ecclesiasticæ enarratione. In præsenti tantum obseruo, ecclesiam *Gallicanam*, quæ magno propter singularem synodicæ disciplinæ rigorem nomine est, approbare AVGVSTINI doctrinam & permittere aliquam disciplinæ in casibus memoratis mitigationem. Sic in synodo *Rupellana* an. MDLXXI. [x] "Quum " quæstio proponeretur: Quæ via ineunda foret in notandis iis, " qui persecutionis tempore rebellarent? Respondebatur ver- " bis AVGVSTINI de amplissima quadam ecclesia, in qua ma- " gnus ebriosorum numerus erat, *Satius esse habere ecclesiam vi- " tiosam, quam nullam.*"

SEQVENS synodus *Nemaucensis* an. MDLXXII. aliam quæstionem resoluit de iis, qui ad ecclesiam *Romanam* deficerent, hostesque ac persecutores ecclesiæ euaderent; "Non esse eos forma-

(w) Caluin. ep. ad ministros Tigurin. p. 75.

(x) Synod. Rupell. I. cap. XI. n. I. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 109.)

"liter,

" liter, publice ac nominatim excommunicandos in ecclesia, " quia futurum sit, vt eorum animi tanto magis exasperentur " in ecclesiam, et plura ac maiora damna illi inferant. Non ne- " cesse esse eiusmodi homines excommunicari, qui ecclesiæ " communionem iam deseruissent: Quare ministros & ecclesias " monendas esse, vt omnem, quam possint, moderationem ac " prudentiam adhibeant in eiusmodi agendi ratione, quia censu- " ræ ecclesiasticæ & canones disciplinæ tantum ad ædificatio- " nem, non ad destructionem, spectent; semper ad animum re- " vocandum esse monitum AVGVSTINI, medicamentis magis " noxiis quam salutaribus penitus esse abstinendum." [y]

SI AVGVSTINVS sensum ecclesiæ catholicæ loquitur, et si istæ synodi sensum exhibent ecclesiæ *Gallicæ;* tum dantur omnino casus, in quibus rigorem excommunicationis licet mitigare, si vel delinquentium numerus ingens & formidabilis sit intra ecclesiam, vel desertores valde scelerati & potentes sint extra ecclesiam; si plus mali quam boni ad ecclesiam ex vsu eius redundauerit & remedium ipso morbo peius futurum sit.

TRIA ergo capita a scriptoribus *Gallicanis* heic suppeditantur ad respondendum huic obiectioni de neglecta disciplina in ecclesia *Anglicana.* 1. Quod sit maxima ex parte falsa imputatio: quia excommunicatio & aliæ disciplinæ partes per leges nostras vigent, et, si res & occasio ita fert, effectui dantur. 2. Posito, excommunicationem prorsus missam esse factam, hoc communionem nostram nihilo magis illicitam redderet, quam communionem *Helueticarum* & *Palatinarum* ecclesiarum reddidit. 3. Possunt in quibusdam ecclesiis & certis temporibus præ aliis peculiares quædam caussæ esse mitigandi rigorem disciplinæ. Quod si iam consideretur, annon hæc ecclesiæ *Anglicanæ* iam dudum fuerit & adhuc sit conditio: annon sectæ & schismata, quæ sunt inter nos, disciplinæ exercitium magnopere impediant: annon verendum sit, ne formalis quædam excommunicatio eorum omnium, qui eam commeruerunt, maius & periculosius schisma, quam adhuc inter nos est, conflet, ac loco separationis malorum a bonis partem quandam irritet ad cogitandum de pernicie & exitio eius; annon, rebus sic se habentibus, satius

(y) Syn. Nemauc. cap. III. art. V. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 113. 114.)

ſit ſinere zizania creſcere inter triticum, et quædam eccleſiæ membra potius patienter tolerare, quam eccleſiam ipſam tantis incommodis exponere, ſecundum monitum AVGVSTINI & ſynodi *Nemauceuſis*, quod, ſi medicamenta magis noxia quam ſalutaria futura videantur, penitus ab eis abſtinendum ſit? Num hæc reuera conditio ſit eccleſiæ *Anglicanæ*, prudentioribus determinandum relinquo. Si eſt, praxis eius prudentia eius eſt, et quod alii vitium eius vocant, proprie loquendo caritatis & ſapientiæ eius fructus eſt. Si vero res aliter eſt, ſi exactam diſciplinam habere poteſt, nec tamen vult, licet hoc vitium ſit, ſeparationem tamen ab ea non efficiet iuſtam & legitimam, quemadmodum ex principiis eccleſiæ *Gallicanæ* demonſtraui. Atque ita ad hanc obiectionem de neglectione diſciplinæ in eccleſia *Anglicana* me reſpondiſſe puto, quantum ſatis eſt.

QVOD ad officium comminationis attinet, cuius vſus præſcriptus eſt, vſque dum diſciplina feliciter inſtaurari poſſit, id tam vtile eſt atque innoxium, vt non multos inueniam, qui contra illud quiddam obiecerint. Tantum auctores ſcripti *de neceſſitate reformationis*, quod an. MDCLX exiit, quaſdam contumelioſas obiectiones contra illud offerunt. *Cogit populum*, inquiunt, *ſibi ipſis maledicere, & miniſtrorum euangelii, quos nuntios pacis eſſe oportet, opera, tanquam muneris ſui parte, abutitur ad execrandum populum: Quod inhumanum & homine chriſtiano indignum inuentum eſt, nullam habens auctoritatem vel ex verbo Dei vel ex priſcæ eccleſiæ praxi, ſed recentius quoddam antichriſti in papiſticis officiis ſuis ſemen eſt.* [z]

DANTVR homines, qui linguas ſuas & calamos ſcriptorios conuiciis faciendis ita adſuefecerunt, vt de re quapiam, quam improbant, haud loqui poſſint, niſi ſub contumelioſis papiſmi & antichriſtianiſmi nominibus. Quærerem ex eiuſmodi hominibus, Annon ſit pars officii miniſtrorum, diuinas comminationes æque ac promiſſiones declarare? An vero euangelium contineat meras promiſſiones, non autem ſimul reuelationem iræ Dei in impietatem & iniuſtitiam hominum, vti *S. Paulus* ad *Rom.* I, 18. docet? Si in euangelio habetur non minus diuini iudicii quam veniæ pec-

(z) *Neceſſity of Reformation* p. 31.

cato-

catorum & pacis declaratio; vnde est, quod alterum sit ministri officium, alterum non sit? Cur declaratio diuinorum iudiciorum, execratio populi, aut consensus populi ad veritatem & æquitatem eorum, maledictio sui ipsorum vocanda est, quatenus maledictio significat diram imprecationem? De qua ne verbum quidem exstat in officio comminationis. Si vero per maledictionem intelligunt duntaxat diuinorum iudiciorum contra impœnitentes peccatores denuntiationem, papismi & antichristianismi incusatio non tam officium nostrum quam ipsum euangelium adficit. Ecclesia antiqua fortassis non habuit eiusmodi statam formulam in liturgia sua, nec ecclesia *Gallica*, quod sciam, habet: sine dubio autem vtriusque ministri rem eamdem sæpius peregerunt in sermonibus suis & homiliis, hoc non obstante, quod essent ministri euangelii & pacis. Omnes etiam & singulos prouoco, vt vel vnum locum in scriptore quodam *Gallicano* ostendant, in quo illud officium dicatur papisticum & antichristianum.

PRAETER officium gratiarum actionis post partum (contra quod non memini obiectionem fieri) superest adhuc vnum tantum officium, cuius in liturgia fit mentio, nempe formula ordinandi episcopos, sacerdotes & diaconos; contra quam multa obiicit BAXTERVS, loquens de ecclesiæ nostræ canone octauo, quæ quum aptius expendi possint sub isto titulo, lectores ad proxime sequentem librum remitto, & heic huic dissertationis meæ parti finem impono: quandoquidem demonstraui, nullum esse officium in liturgia nostra, inter nos ordinarie vsitatum, nec vllam particularem rubricam siue præscriptionem in officio quodam, ad quam quis non possit adsentiri, & quæ ex principiis & praxi ecclesiæ reformatæ *Galliæ* defendi nequeat. Quibusdam in rebus liturgiam *Gallicam* nostra excedit, e. gr. in forma absolutionis & communionis ægrotorum, cuius defectum CALVINVS vitium liturgiæ suæ agnoscit, cui ipse mederi non possit; in aliis formulis ambæ mirifice consentiunt, & in illis formulis, quas nos plures habemus quam illi, aut illi plures habent quam nos, eatenus consentitur, non esse in alterutra quidpiam verbo Dei contrarium. Vnde sequitur, eos inique atque iniuste agere, qui ab ecclesia nostra propter liturgiam se separant, eo quod non sit ad optime reformatæ ecclesiæ exemplum emendata.

LIBER

LIBER QVARTVS.

OBIECTIONES CONTRA CANONES ECCLESIAE ANGLICANAE CONSIDERATAE ET EX PRINCIPIIS AC PRAXI ECCLESIAE REFORMATAE GALLICAE CONFVTATAE.

CAPVT PRIMVM.

Iuramentum obedientiæ canonicæ tam exacte requiri in ecclesia *Gallicana* quam in ecclesia *Anglicana.*

ANTEQVAM de canonibus loquar particulatim, necesse est de promisso & iuramento obedientiæ canonicæ, ad illos omnes generatim spectante, non nihil dicere. In formula ordinationis hæc quæstio singulis sacerdotibus & diaconis proponitur: *Num vis reuerenter obedire ordinario episcopo tuo aliisque superioribus ministris, quibus ephoria & gubernatio tui commissa est: hilari mente & voluntate piis eorum admonitionibus obsequendo, proque eorum iudicio te submittendo?* Et responsio est, *Volo, vt me DOMINVS iuuet.* Similiter quiuis beneficiarius, si beneficium ei aliquod confertur, iurat, se sinceram & canonicam obedientiam episcopo eiusque successoribus in omnibus licitis & honestis præstare velle. Iam nulla nobis controuersia est cum aduersariis nostris de huius promissi siue iurisiurandi sensu. Ab vtraque parte conceditur, obedientiam canonicam reuera nihil aliud esse quam obedientiam statutis & canonibus ecclesiæ debitam, neque homines interminatæ potestati subiicere, aut vllum nouum officium ab eis requirere, præter id, quod episcopus vi canonum requirere potest. Vt adeo, si canones legitimi sunt, etiam iusiurandum & obedientiam canonicam legitimam esse, existimes. Verumtamen BAXTERVS diuersas obiectiones contra eam offert. [a]

1. NON approbat vocabulum *successoribus.* *Parum scimus,* inquit, *cuius religionis successores eorum futuri sint, aut quis habiturus sit negotium eos eligendi. Non iurabo eis, quos ignoro,*

(a) Baxt. *Engl. Nonconformity.* c. VI.

qui.

quinam sint. Enimuero heic obiuiscitur vir bonus, quod modo dictum est & ab vtraque parte concessum, Obedientiam canonicam reuera esse obedientiam canonibus debitam. Successores autem episcopi non minus oportet gubernare ad canones, quam episcopum, qui nunc est; vt adeo si obedientia vni, ex praescripto canonum gubernanti, debetur, sub eadem conditione etiam debeatur alteri. In ecclesia *Gallica* iuramentum canonicae obedientiae praestatur canonibus, seu libro disciplinae & decretis synodorum nationalium; qua de re libro primo capite tertio fusius exposui. Vbi lector obseruabit, Quod licet nulla consistoriorum, colloquiorum vel synodorum nationalium fiat diserta mentio in iureiurando, obedientia tamen illis illorumque successoribus debita includatur. Illi enim sunt ordinarii antistites, quorum est prouidere, vt canones a singulis ministris executioni dentur & qui potestatem habent puniendi sontes, quam habere non possent, nisi per regulas canonicas illis deberetur obedientia. Neque iusiurandum ministri creditur dari praesentibus tantum consistoriis, colloquiis vel synodis, sed omnibus, in locum & officium eorum per omnem ministri vitam successuris, quoad haud aliam obedientiam ab eo exigant, quam quae per canones illis debetur. Vt adeo quantum perspicio, vocabulum *successores*, iuramentum obedientiae canonicae apud nos nullis reddat difficile, nisi iis, qui inde offendiculum contumaciae efficere gestiunt. Si BAXTERVS non potuit iurare iis, quos haud nouit, quinam forent: quomodo iureiurando approbaturus fuisset in ecclesia *Gallica* ea, quae cuiusmodi forent, praescire non potuisset? Decreta intelligo & canones synodorum nationalium, antequam conderentur, quemadmodum ministros *Gallicos* fecisse ostendi [*b*]. Si quos mitterent ad synodum nationalem, delegati iubebantur, *promittere in conspectu Dei, se illis omnibus, quae in sancto isto consessu concluderentur & determinarentur, semetipsos submissuros & omnibus viribus elaboraturos, vt ea facerent & exsequerentur*, cetera; quemadmodum iusiurandum expressis verbis habet in forma praescripta a synodo *Vitriacensi* secunda, an. MDCXVII [*c*]. Non habemus eiusmo-

(*b*) Lib. I. cap. III.

(*c*) Synod. Vitriac. II. cap. II, artic. I. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 83. n. XXVI.)

di iuramentum obedientiæ canonicæ in *Anglia*, nec possum, quin hanc solam rem existimem BAXTERVM effecturam fuisse Nonconformistam in ecclesia *Gallicana*.

2. DICIT posito, iuramentum nostrum obedientiæ canonicæ inuoluere tantum obedientiam secundum canones, "Permul- " ta tamen esse in canonibus, quae ipse maiora peccata reputet, " quam vocare consultum ducat". Bene fecisset BAXTERVS, si eum modestiæ modum tenuisset, quem heic præ se fert; at vero me ostensurum puto, ipsum tam praua de canonibus loqui, quam cogitare potuerit & quidem æque exigua cum ratione atque modestia, regulis etiam decentiæ & argumentationis neglectis. Sed hac de re paullo post in sequentibus capitibus.

3. AIT, "Episcopos gubernare per cancellarios suos & per- " mittere laicis clauium ecclesiasticarum administrationem per " decretorias excommunicationes & absolutiones: quam rem sa- " pientes homines pro sacrilega vsurpatione & profanatione ter- " ribilis cuiusdam partis regiminis CHRISTI habeant". Heic statim incipit stilum acuere & de ecclesia tam dura loqui, quam animo & mente concipere potuit. Verum *primo*, Quomodo probat, cancellarios laicos & iureconsultos clauibus vti ad excommunicationem & absolutionem? Id videlicet pro concesso habet, quod alii dicunt magnum errorem. Licet enim iureconsulti declarare soleant, quid sit legis, sententia tamen excommunicationis & absolutionis actus ministri est tam in foro quam in conuentu ecclesiastico. Et si quid declaretur tamquam lex, quod canoni aduersatur, minister vi iurisiurandi necesse non habet dare sententiam executioni. Tunc autem fortassis varias sibi molestias & ipsam perniciem contrahet, nec episcopus opem ei ferre poterit? Haud noui eiusmodi casum in præsenti; si quis vero exstiterit, ad iuramentum canonicæ obedientiæ nihil attinet, quod ministrum tantum obstringit ad tuendam bonam conscientiam, quæ autem res ipsum a malorum perpessione non semper tutum præstare potest.

AT *secundo*, Fac, iureconsultis in *Anglia* licere vti clauibus: Nonne in *Gallia* senioribus laicis licet exercere disciplinam ecclesiasticam vel separatim vel cum aliis coniunctim? Valde peregrinus ac hospes in istius ecclesiæ rebus est, qui nescit, senio-

res

res laicos suffragium decretorium habere in consistoriis, colloquiis & synodis, siue nouae regulae disciplinae faciendae, siue sontes suspensione & excommunicatione plectendi fuerint. Nolo heic lectorem vel vna huius rei demonstratione demorari, quia tam euidens est & perspicua. Narrabo autem aliquid, quod non adeo in vulgus notum esse puto, nimirum quod seniores laici per trium synodorum nationalium, continuata serie consequutarum, canones potestatem habuerint disciplinam, praeter vel contra voluntatem pastoris, eatenus exercendi, vt hos illos a sacra coena arcerent. In synodo *Priuatiensi* MDCXII "quaestio proponebatur, Num in illis ecclesiis, in quibus vnus tantum pastor & contra illum appellatio interposita sit, senioribus de suborta controuersia iudicare liceat. Congregatio respondebat, Seniores posse iudicare, absente pastore, de omnibus controuersiis, quae subortae fuerint, etiam de suspensione a sacra coena, rebus, quae ad doctrinam & excommunicationem spectent, tantummodo exceptis, de quibus duobus capitibus senioribus non liceat iudicare sine pastore suo". [d]

Hic canon confirmatus est in proxima synodo *Tonniniensi* an. MDCXIV, vbi haec offendimus: *Quum articulus legeretur, qui senioribus (pastore quidem per interpositam appellationem reiecto) licentiam dat de omnibus controuersiis, quae subortae fuerint, & ipsa suspensione a sacra cœna iudicandi: prouincia inferioris Languedociae rogauit, vt non nihil in eo immutaretur, verum congregatio statuit, articulum debere manere, vti conceptus sit, sine vlla immutatione* [e]. Idem articulus, quum omissus esset in transscribendis huius synodi actis, a sequente synodo *Vitriacensi* tum suis ipsius, tum praecedentis synodi *Tonniniensis* actis insertus fuit, addito decreto, eum illis ipsis verbis, quibus initio conceptus sit, sine vlla mutatione relinquendum esse. [f]

Iam vnusquisque iudicet, annon haec agendi ratio exercitium disciplinae ecclesiasticae laicorum manibus manifestius tradat, quam id de ecclesia *Anglicana* dici possit? Et annon ministri *Gal-*

(d) Syn. Priuat. cap. V. art. XI. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 401. n. VII.)
(e) Syn. Tonnin. cap. VI. art. III. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 10.)
(f) Synod. Vitriac. II. cap. V. art. II. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 86.)

lici, quoad hi canones vim habuerunt, iuramento obedientiæ canonicæ obſtricti, hanc poteſtatem ſenioribus laicis dare eorumque deciſioni & iudicio ſeſe ſubmittere debuerint.

SEQVENS quidem ſynodus, an. MDCXX *Alesii* celebrata, huius quidem canonis rigorem paullum temperauit. Decreuit enim, *Paſtore per interpoſitam appellationem reiecto, ſenioribus non permittendum, vt ipſi per ſe ſoli quempiam a cœna dominica ſuſpendant, non præſente nec approbante paſtore quodam vicino.* [g] Sed adhuc tamen paſtor ab actu eorum circumſcribendus videtur, dummodo paſtor quidam vicinus ei conſenſerit. Vnde ſequitur, in eiuſmodi caſibus vnumquemque paſtorem vi canonis paſtorem ſuum vicinum antiſtitis ſui loco habere, eiuſque admonitioni & iudicio in rebus, ad clauium eccleſiaſticarum exercitium pertinentibus, obedientiam canonicam præſtare debere. Et tamen BAXTERVS ex hac etiam re obiectionem format contra eccleſiam *Anglicanam*, Quod miniſtri in ordinatione ſua obedientiam promittant ſuo ordinario & aliis ſuperioribus miniſtris, quibus ephoria & gubernatio eorum commiſſa eſt, hoc eſt, archidiaconis, epiſcoporum vicariis, ceteris. Quaſi homines, per canonem inſtructi auctoritate adigendi alios ad ſubmittendum ſe actis ſuis iudicialibus, non ſint idem illud in *Gallia*, quod ſunt in *Anglia*, quocumque nomine appellentur.

ENIMVERO ſi ſic eſt, fateri nos oportet, poteſtatem clauium non eſſe propriam epiſcopo, ſed a ſacerdote legitime vſurpari poſſe. Fatemur hoc. Omnes ſacerdotes per leges noſtras & canones ordinarium vſum clauium multis in caſibus habent. Admittunt homines ad baptiſmum, eosque a ſacra euchariſtia prohibent, &c. virtute huius poteſtatis, & ſunt iudices, licet non vni ſoli iudices in his caſibus, ſed ſub canonum directione. Aliis ſacerdotibus maior pars huius poteſtatis per magis extraordinariam & ſpecialiorem delegationem ac mandatum epiſcopi atque per leges conceſſa eſt, agendi contra delinquentes ipſamque eis excommunicationem infligendi. Quid ergo hinc ſequitur? Nihil, quantum video, niſi vt liceat obedientiam promittere quibuslibet miniſtris

(g) Synod. Alesſ. cap. VI. art. II. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 251.)

ſuperi-

ſuperioribus, legitimam poteſtatem habentibus, quatenus canones id exigant. Quod prorſus contrarium eſt ei, quod argumento ſuo intendit BAXTERVS.

VERVMTAMEN Laicus eſt, inquit, *qui excommunicationem decernit, qui actus iudicialis eſt; et ſi ſacerdos quidam ſurrogatus hanc in rem adhibetur, mercenarius tantum ſeruus eſt, qui decretum pronuntiet ad ludificandam eccleſiam ſollemni formula.* Modeſtus ſane character eccleſiæ eſt & ſimul ſacerdotum ſurrogatorum! Omnis regula eccleſiæ & omnis actus ſacerdotis tantum ſollemnis formula eſt, ſi mordacis cuiusdam aduerſarii commodis obſtare atque officere videtur. Vtcumque autem eſt, reprehenſiones, quibus adhuc vſus eſt BAXTERVS, non minus eccleſiam *Gallicam* quam eccleſiam *Anglicanam* adficere oſtendi.

4. PROXIMAM rationem contra iusiurandum a natura & forma epiſcopatus diœceſani deſumit, quem *illicitum eſſe dicit tota ſpecie, eumque & varios abuſus eius defendi non poſſe a confœderatione in eiuſmodi iureiurando.* Ego vero, eccleſiam *Gallicanam* de epiſcopatu diœceſano & de epiſcopis *Anglicanis* aliam habuiſſe opinionem oſtendam, vbi de ſeptimo canone diſſeram capite huius libri quarto, ideoque de iſta obiectione plura heic dicere neceſſe non habeo.

5. *EPISCOPI non eliguntur a clero & populo, vti per vetuſtos canones eligi debent: adeoque vſurpatores ſunt. Non perſpicimus, quomodo quis paſtor eſſe poſſit eorum, qui non conſentiunt. Quare, licet illis nos ſubmittere poſſimus & viuere quiete, obedientiam tamen iureiurando illis promittere non poſſumus.* Per hanc regulam omnes paſtores *Gallicani* vſurpatores fiunt. Nullus enim eorum a populo eligitur, ſed a colloquiis vel ſynodis prouincialibus, quemadmodum capite huius libri quinto euidenter demonſtrabo.

RELIQVAE illius rationes tales ſunt, quales iſtæ, quæ pariter adficiunt eccleſiam *Gallicam.* 1. *Prærogatiua regum eſt per omnes nationes, parentes habere, qui fidem ipſis ſacramento ſeu iureiurando obſtringant; periculoſum autem eſt, eos impellere, vt obedientiam cuiuis iudici, ſiue magiſtratui inferiori, iureiurando polliceantur.* 2. *Subiecti in difficultates implicari poſſunt ratione iuramenti regi præſtandi & eiuſmodi magiſtratibus.* 3. *Multa iuramen-*

ramenta regimen efficiunt laqueum hominibus religiosis. 4. *Crebra iuramenta euilescunt & inducunt periuria in rempublicam christianam.* Fuisſent ſane iſtæ grauiſſimæ rationes in ſynodo quadam *Gallicana*, vbi ſinguli delegati ſuo et prouinciarum ſuarum nomine iurarunt, ſe canonibus eccleſiæ morem geſturos, et vbi tot iuramenta obedientiæ canonicæ (non obſtantibus hiſce periculis) præſcripta ſunt. Sed vero canones *Gallici* fortaſſis innocentiores ſunt noſtris, quod ad materiam, Hæc vna ſola cauſſa, quæ obiectioni prætexitur, ſpeciem aliquam argumenti habet: at ſatisfaciam ei, vbi ſingulos canones, qui in controuerſiam vocati ſunt, ſequentibus huius libri capitibus examinabo & cum ſcitis eccleſiæ *Gallicæ* comparabo.

LIBRI QVARTI
CAPVT SECVNDVM.

Eccleſiam *Gallicam* nemini permittere, vt vllam liturgiæ ſuæ partem, aut librum precum communium & adminiſtrationis ſacramentorum in dubium vocet, idque conuenienter canoni quarto eccleſiæ *Anglicanæ*.

PRIMVS canon, qui ab aduerſariis communiter inuadi ſolet, eſt quartus in ordine, contra publici cultus Dei, in eccleſia *Anglicana* ſtabiliti, oppugnatores factus in hanc ſententiam: *Quisquis poſthac adfirmauerit, formam diuini cultus in eccleſia Anglicana legibus ſtabilitam & libro communium precum & adminiſtrationis ſacramentorum comprehenſam, eſſe corruptum, ſuperſtitioſum vel illicitum Dei cultum, vel continere quidpiam ſacris ſcripturis contrarium, excommunicetur ipſo facto*, cetera.

BAXTERVS in libro ſuo, *Caſe of English Nonconformity* inſcripto, duris & aſperis verbis in eccleſiam vtitur propter hunc canonem eique non minora crimina, quam puritaniſmum, phariſaiſmum & papiſmum exprobrat. *Iſti homines*, inquit, *qui ipſi ſe vocant eccleſiam Anglicanam, non tantum defendunt magnum aliquod volumen formularum, ordinum, rubricarum & calendariorum, ſed reliquos mortales omnes cogunt illud defendere, tanquam*

quam ex omni parte innoxium; nec minister futurus est, qui id facere recusat, nec christianum membrum ecclesiæ, qui id negat: Quasi perfectio operum illorum sit articulus fidei, ad salutem creditu necessarius. Nonne hoc est puritanismus, pharisaismus & iustificatio operum? [b]

MVLTO modestior interrogatio esset, si quæreretur, Anne hic sit eiusmodi cæcus animi impetus et violentum scriptionis genus, vt bonus quisque, qui scripta sua mente sobria iterum perlustrasset, eorum acrimoniam aliqua saltem mitigatione leniturus & incusationem emendaturus fuisset? Qualiscumque autem fuerit incusatio, contra ecclesiam *Anglicam* nihilo plus valet quam contra ecclesiam reformatam *Galliæ* & omnes forte reliquas stabilitas ecclesias protestantes, vt adeo secundum hanc disputandi rationem omnes omnium nationum ecclesiæ reformatæ sint pharisaicæ, sint puritanæ, sint papisticæ.

QVOD ad ecclesiam *Gallicam* attinet, iam demonstraui, eam ab singulis ministris exigere, non solum vt subscriptione sed sæpius etiam iureiurando liturgiam suam seu librum communium precum, catechismum, formam administrationis sacramentorum, cetera, approbent. Confido autem, illam haud quempiam adacturam fuisse ad confirmandum aliquid iureiurando, quod ad minimum non crediderit verbo Dei esse consentaneum, et de quo persuasum non habuerit, nihil continere diuinis scripturis contrarium. Quod si ita est, *Galli* iudicio quidem BAXTERI, Puritani sunt, Pharisæi sunt, Papistæ sunt, quia homines cogunt magnum aliquod formarum, ordinum, rubricarum cet. volumen, tanquam ex omni parte innoxium, comprobare & defendere. Ecclesia autem *Anglicana* populum æque ac ministros ad modestiam adigit, eosque sub pœna excommunicationis liturgiam, tamquam corruptum, superstitiosum, illicitum diuinoque verbo contrarium cultum Dei, criminari vetat. Annon æquum est, eiusmodi hominibus linguas occludi, qui de cultu Dei detrahunt vituperantes, cum pacis ecclesiasticæ disturbatione pietatisque ac religionis detrimento? Huiusmodi fuerunt iteratæ ac continuatæ vociferationes *Goodmanni*, *Gilbii*, *Penni* & reliquorum

(b) Baxt. *Engl. Nonconf.* cap. XXIII.

istius

istius gregis scriptorum, quos collegit BANCROFTUS in libro, quem inscripsit *Dangerous Positions* [i] & quæ occasionem faciendi hunc ipsum canonem videntur dedisse. Quæcunque autem fuerit occasio, eiusdem plane argumenti est, cuius canon quidam ecclesiæ *Gallicæ* in libro disciplinæ his verbis conceptus: *Si vnus aliquis vel plures de populo, vnionis ecclesiasticæ abrumpendæ caussa, contentionem de capite quodam doctrinæ vel disciplinæ, vel de formula catechismi, vel administratione sacramentorum, vel de publicis precibus & benedictione matrimonii suscitauerint, neque vero priuatæ admonitiones eorum animos satis tranquillare potuerint: Consistorium loci statim siue rumore cum verbi diuini lenitudine conetur rem omnem componere. Si vero contradicentes acquiescere haud velint, consistorium loci roget colloquium, vt commodo tempore & loco conueniat, contradicentibus interim expressum & in actis perscribendum promissum facere iussis, se nulla ratione opiniones suas disseminare, sed conuocationem dicti colloquii exspectare velle; quod nisi fecerint, pro schismaticis eos esse habendos: salua tamen libertate sermonem conferendi cum pastoribus & senioribus, si non sunt instituti. Quod si memoratum promissum facere recusauerint, tanquam rebelles secundum disciplinam puniendi sunt.* Tum statuunt, „ si colloquium eos ad quietem & obedientiam adducere non possit, ad synodum prouincialem & denique ad synodum nationalem arcessendos esse; cui si in singulis capitibus parere, erroresque suos deponere nolint, a corpore ecclesiæ per excommunicationem resecari oportere." [k]

NONNE hic canon excommunicationem contra obstinatos liturgiæ *Gallicanæ* calumniatores tam disertis verbis pronuntiat, quam canon ecclesiæ *Anglicanæ*? Vna sola differentia est, quod alter caussam eorum in pluribus iudiciis ecclesiasticis cognosci iubeat, alter breuiorem cum illis agendi rationem ineat, quod res controuersas iam satis cognitas & tractatas, neque adeo necesse esse supponat, synodum aliquam prouincialem vel nationalem qualibet eiusmodi occasione adiri. Interim omnes aptæ methodi ad instruendos vel conuincendos contradictores adhiberi pos-

(i) Bancroft. *Danger. Posit.* lib. II.

(k) Disciplin. eccles. Gallic. cap. V. artic. XXXI.

sunt,

ſunt, non obſtante hac, quæ ipſo facto contra illos pronuntiata eſt, excommunicatione. Porro etiam obſeruandum eſt, hunc canonem non ſpectare ad eos, qui ſcrupulos ſuos ſpiritualibus ſuis ductoribus modeſte proponunt, eo conſilio, vt illis liberentur; ſed tantum ad illos, qui cum offenſione aliorum de liturgia male loquuntur, peſſimo quidem conſilio, vt contemtui & ludibrio eam exponant.

LIBRI QVARTI
CAPVT TERTIVM.

Eccleſiam *Gallicanam* in articulorum diſciplinæ, rituum ac cærimoniarum ſuarum oppugnatores animaduertere, ſecundum canones eccleſiæ *Anglicanæ* quintum & ſextum.

QVINTVS canon ita habet: *Quisquis poſthac adfirmauerit, ex triginta nouem articulis nonnullos eſſe ſuperſtitioſos, vel erroneos, vel tales, quibus ſaluo officio chriſtiano ſubſcribi non poſſit: Excommunicetur ipſo facto.*

SEXTVS hic eſt: *Quisquis adfirmauerit, ritus ac cærimonias eccleſiæ Anglicanæ lege ſtabilitos, eſſe prauos, antichriſtianos, ſuperſtitioſos, aut tales, quos a legitima quidem auctoritate mandatos, homines religioſo quodam zelo adfecti ſaluo officio chriſtiano, approbare, vſurpare, aut occaſione ſic ferente ſubſcriptione confirmare non poſſint: Excommunicetur ipſo facto.* cetera.

HI canones eodem ſenſu eademque latitudine, qua prior ille, intelligendi ſunt. Non omnes excommunicationem commerentur, qui ſcrupulis quibuſdam de hoc illoue articulo vel de hac illaue cærimonia adficiuntur, aut ſcrupulos ſuos erudiendi ſui cauſſa modeſte ac placide proponunt: Factioſi autem & turbulenti homines eam commerentur, qui contra rem quamcunque, quam non approbant, vociferantur tanquam prauam, ſuperſtitioſam & antichriſtianam, & hac re infirmas mentes offendunt & pacem turbant eccleſiæ eiuſque deſtruunt vnionem. Fac, res quaſdam in articulis & cærimoniis parui momenti contineri: non eſt tamen res parui momenti, pacem eccleſiæ turbare & conten-

tionem de illis excitare. Posito, res illas non esse articulos fidei nec necessarias ad salutem; pax tamen necessarium officium est, rixa autem & contentio grandia peccata sunt, vt res paruæ sint, de quibus contenditur. Quare, licet homines ob nudum dissensum suum non commereantur eiectionem ex ecclesia, tamen ob factiosam & turbulentam agendi rationem, ob animi acerbitatem ac clamores suos & maledicentiam, ob rixas, seditiones & contentiones eam commerentur. Hæc enim flagitia regno cælorum eos excludunt. Neque crimen esse potest, quum eiusmodi homines excommunicantur, qui per rixas & contentiones suas ipsi se prius excommunicarunt. Si vero crimen est, tale crimen est, cuius nationalis ecclesia *Galliæ* semper rea fuit, quæ canone libri disciplinæ, cuius modo memini, decreuit, "Quod si vnus aliquis
" vel plures de populo contentionem de capite quodam doctri-
" næ vel disciplinæ, vel de formula catechismi, vel administrati-
" one sacramentorum, vel de publicis precibus suscitauerint &c.
" neque adduci se passi fuerint, vt erroribus suis expressis verbis re-
" nuntient, a corpore ecclesiæ per excommunicationem reseca-
" ri debeant".

Nonne hoc est, res parui momenti & dubias facere articulos fidei & necessarias ad communionem ecclesiasticam, perinde vt facit ecclesia *Anglicana?* Nonne omnes eiiciuntur ex ecclesia, qui ab illis dissentiunt? Nonne hæc excommunicatio ad laicos in *Gallia* æque extenditur atque in *Anglia?* Nonne durum est, singulas cærimonias ecclesiæ tantopere vrgere, vt excommunicari iubeantur, qui earum vllam vocauerint illicitam? Num ecclesia *Anglicana* constitutiones suas cum decem præceptis & symbolo magis æquiparat, quam ecclesia *Gallicana?* Et tamen BAXTERVS contra hos duos ecclesiæ nostræ canones sic argumentatur & tandem exclamat, *Quid pharisaicum est, si hoc non est?* [l]

Poterat eodem iure dicere, esse turcismum, papismum & paganismum. Quid autem calumnia est, si hoc non est? Ecclesia *Anglicana* ab omnibus membris suis requirit, vti ecclesia *Gallicana* a suis, vt de doctrina & cærimoniis ne suscitent contentiones, neue eas impugnent aut criminentur tamquam antichristia-

(l) Baxt. *Engl. Nonconf.* c. XXIV. XXV.

nas

nas aut illicitas, eaque re ſchiſmata & diuiſiones cieant. Et hoc vocat BAXTERVS, æquiparare cærimonias cum ſymbolo fidei & decem præceptis, quaſi eccleſia *Anglicana* eas omnes & ſingulas iubeat recipi, tanquam neceſſaria fidei capita & conditiones ſalutis; quum tamen non vetet quempiam modeſte ab illis diſſentire, ſed tantum diſſenſum ſuum eo modo declarare, qui ad creandas diuiſiones aliosque a communione eius auocandos ſpectet. Aliud enim eſt diſſentire & aberrare opinione, aliud diſſenſum ſuum cum contemtu & faſtidio per verba aut actiones declarare. Alterum commiſeratione dignum eſt, dum alterum cenſuram meretur & vituperationem. Quod ſi eccleſia eiuſmodi homines excommunicatione adficit, nihilo plus facit quam eccleſia antiqua fecit, & omnes conſtitutæ eccleſiæ etiam nunc faciunt, & quod faciendi auctoritatem habere videntur per canonem quemdam apoſtolicum, *Ab eis, qui ſeditiones & offenſiones excitant, caueatis eosque declinetis.*

MATTHAEVS SVTELIFFVS longe ante, quam canones noſtri conderentur, obſeruauit, praxin *Gallicam* & *Geneuenſem* hac in re admodum ſeueram fuiſſe, "Vnde quum IOANNES MORELLVS in certo quodam libro diſputaſſet, verba, *Dic eccleſiæ*, non "pertinere ad conſiſtorium, librum eius combuſtum, ipſum autem auctorem excommunicatum eſſe narrat. *Geneuæ* duos miniſtros officio motos & in exilium miſſos, quod contra vſuram, "in republica permiſſam, loquuti eſſent. Et alium fuga ſibi conſuluiſſe, quod contra panem non fermentatum eſſet loquutus". [*m*]

MOSES AMYRALDVS, theologiæ profeſſor in academia *Salmurienſi*, opinionem ſuam hac de re ex cathedra declarat in hunc modum: *Pro chriſtiano putandus non eſt, qui leges eccleſiæ, ab eius rectoribus atque conductoribus conſtitutas, aſpernatur atque proculcat. Id vero nihil libertati chriſtianæ quidquam derogat, neque ſeruitus debet exiſtimari. Nam & illæ leges, ſi recte eccleſia gubernat, paucæ ſunt & ipſæ ſe conſcientiæ hominum approbant, adeo vt illarum obſeruatio lubenti animo a fidelibus ſuſcipiatur.* [*n*]

(*m*) Suteliff. *of eccleſiaſtical diſcipl.* cap. VII. ſect. V. p. 132.
(*n*) Amyrald. theſ. de libertat. chriſt. n. XIII. inter theſ. Salmur.

Per hanc igitur regulam, maledicere doctrinæ articuli vicesimi, qui de potestate loquitur, quam habeat ecclesia, decernendi ritus & cærimonias, crimen erit, quod commereatur excommunicationem.

Calvinus in epistola quadam de petulante quodam concionatore, cui nomen *Maurisii*, loquitur, qui pro suggestu in ministros *Geneuenses*, maxime vero in ipsum CALVINVM acerbe & prauiter inuehi soleat, declamitans, eos esse papistis deteriores, & falsa ac Dei verbo contraria docere, cetera. Iam disquirebatur inter CALVINVM eiusque collegas, Quid agendum esset cum illo? CALVINVS quidem non multum eo inclinabat, vt sub censuram ecclesiasticam vocaretur, reliqui autem instabant dicentes, [o] *Non vlterius ferendum, vt publice nobis videntibus & scientibus damnetur communis ecclesiæ nostræ doctrina.*

In alia epistola idem CALVINVS narrat, esse regulam quamdam in disciplina *Geneuensi*, vt, si quis dogmata spargat receptæ in ecclesia doctrinæ contraria, & peruicax fuerit vel pertinacius addictus sit errori suo, interdicatur illi vsus sacræ cœnæ & deferatur ad senatum. Et tunc senatum imperio eum, tanquam contumacem & rebellem censuræque ecclesiasticæ contemtorem, coërcere posse. [p]

Hoc certus sum, tantumdem esse, si non aliquanto plus, quam de quo præsentes canones loquuntur, quos in ecclesia *Anglicana* tantopere improbant aduersarii.

(o) Caluin. epist. ad Viret. p. 61.

(p) Caluin. epist. ad magistr. Geneuens. p. 76. 77.

LIBRI

LIBRI QVARTI
CAPVT QVARTVM.

De canone ſeptimo eccleſiæ *Anglicanæ*. Quod eccleſia *Gallica* approbet epiſcopatum diœceſanum in *Anglia* & exiſtimet, licere ſe ſubmittere auctoritati & iurisdictioni epiſcoporum, eosque damnet, qui illos antichriſtianos vocitant.

RES principalis, in qua eccleſia *Gallica* differre videtur ab eccleſia *Anglica*, ad regimen eccleſiaſticum attinet. Nulli paſtori primatum ſiue magiſterium in alios habere permittunt, ſed per articulum confeſſionis ſuæ triceſimum eos omnes eadem & æquali inter ſe poteſtate præditos eſſe declarant [*q*]. Neque vero ſic damnant alias eccleſias, quæ hanc inæqualitatem inter miniſtros ſuos obſeruant; nec cum illis communicare aut regimini epiſcopali ſe ſubmittere recuſant in illis eccleſiis, vbi legitime eſt ſtabilita, ſi ſynodis vel optimis cauſſæ ipſorum aduocatis fidem habere licet.

SYNODVS *Tonninienſis* an. MDCXIV integrum caput habet de viis & rationibus eccleſias proteſtantes reconciliandi & in vnum corpus vnamque communionem reuocandi. Vna aliqua ex his rationibus eſt: "De cærimoniis & regimine eccleſiaſtico " mutuam faciendam eſſe declarationem ab iis, qui ad tractandam " hanc vnionem conſtituti fuerint, qua nomine eorum, a quibus " delegati ſint, declarare debeant, eccleſias propter hanc differen" tiam ſe non iudicaturas aut damnaturas mutuo, nec eam vllo " modo amicam conſenſionem in eadem vera doctrina & fide im" pedituram, ſed ea non obſtante ſeſe mutuo ſincere amaturas " & amplexuras tamquam fidelia & coniuncta vnius eiuſdemque " corporis membra. Et in ſignum huius mutuæ concordiæ cœ-

(*q*) Confeſſ. Gallic. artic. XXX. in ſyntagm. confeſſ. p. 108. Credimus, omnes veros paſtores, vbicumque locorum collocati fuerint, eadem & æquali inter ſe poteſtate eſſe præditos ſub vnico illo capite ſummoque & ſolo vniuerſali epiſcopo Ieſu Chriſto: ac proinde nulli eccleſiæ licere, ſibi in aliam imperium aut dominationem vendicare.

" nam dominicam celebrandam esse in eaque pastores *Angliæ* &
" aliarum nationum omnes coniunctim communicaturos". [r]

PETRVS MOLINAEVS insignis professor ecclesiæ *Gallicæ* hoc tempore fuit, scripsitque apologiam pro confessione fidei contra *Arnoldum* Iesuitam, in qua iudicium suum in eamdem sententiam his verbis declarat: *Quod ad politiam ecclesiasticam attinet, non dubitamus eas pro puris & veris ecclesiis agnoscere, in quibus ministrorum æqualitas non obseruatur; quia hunc ordinem non existimamus esse caput fidei nec doctrinam ad salutem spectantem. Viuimus (DEO sit laus) in fraterna concordia cum vicinis ecclesiis, quæ aliam formam obseruant, & vbi episcopi primatum quemdam habent.*

NOVI, sub hoc obtentu, quod ecclesia Anglicana aliam disciplinæ formam habet quam nostra est, aduersarios nostros (pontificios) nobis obiectare, nostram religionem esse diuersam. Experientia autem hanc incusationem confutat. Nam nos coimus cum Anglis in ecclesiis eorum, participamus simul sacram Domini nostri cœnam. Doctrina confessionis eorum cum nostra prorsus congruit. Excellentissimi serui Dei in ecclesiis nostris, Petrus Martyr, Ioannes Caluinus, Hieronymus Zanchius, Theodorus Beza, ceteri, *sæpissime ad præsules Anglicanos litteras reuerentiæ & amoris plenas scripserunt.*

LONGE fallitur opinione, qui vocabulum episcopi, in sacra scriptura obuium, in ecclesiis nostris odiosum esse existimat. Et aduersarii nostri iniuste nos criminantur tamquam ordinis episcopalis inimicos. Prorsus rudes & hospites in historia nos esse oporteret, si ignoraremus, veteres de hoc gradu honorifice loqui. Eusebius in chronico suo, Iacobum Domini nostri fratrem, proximo ab adscensione Domini anno episcopum Hierosolymis constitutum, & decem annis post Euodium Antiochiæ episcopum creatum fuisse, Iacobo autem Simonem in sede Hierosolymitana successisse testatur,

(r) Synod. Tonnin. cap. XVIII. art. VII. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 58.)

vnde

vnde episcoporum successio Hierosolymis descenderit. Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis Polycarpum, discipulum Ioannis, ab hoc apostolo episcopum Smyrnæ factum dicit. Eodem libro, Paulum Timotheum episcopum Ephesi & Titum episcopum Cretæ constituisse auctor est. Et Tertullianus capite tricesimo secundo libri de præscriptionibus aduersus hæreticos, illas ecclesias vocat apostolicas, & apostolici seminis traduces, quarum episcopi per apostolos essent constituti.

MVLTIS præterea in eamdem sententiam interiectis sictandem concludit; *Hæc omnia, quæ adduxi, eo tendunt, vt ostendam, non obstante politiæ ecclesiasticæ diuersitate, duas particulares ecclesias sub vnius fidei & religionis vinculo pacate & concorditer posse viuere, & si nonnumquam contra auctoritatem loquamur episcoporum, nos non damnare ordinem episcopalem in se, sed loqui tantum de corruptione, quam in eum inuexit ecclesia Romana.* [s]

SI vir iste doctus recte intellexit & repræsentauit doctrinam ecclesiæ *Gallicæ*, cuius nomine loquitur, doctrina eorum est, Quod, licet primatus episcopalis non diserte commendetur in novo testamento, tamen quædam eius exempla in praxi apostolica reperiantur; et quod communi antiquitatis praxi conueniat; Quod non debeat damnari in illis ecclesiis, quæ eum retineant & quod cupide ac perlibenter episcopis sese submissuri fuissent, si episcopi correctores atque emendatores religionis ipsis sese præbuissent.

HAEC eorum propensio ad submittendum se regimini episcopali inde porro apparet, quod de quibusdam huius generis caussis, ipso actu illis propositis, promte adsenserunt; speciatim de conditione ab episcopo *Trecensi* oblata, quam fuse commemorat PETRVS MARTYR in epistola quadam ad BEZAM sub finem locorum suorum communium. Dignus memoratu locus est, quam quisquam alius in vniuersa historia reformationis, quare ipsis auctoris verbis heic eum interponam. *Troiæ*, inquit, *numerosa est admodum ecclesia & indies augetur. Episcopus iam CHRISTI*

(s) Moulin's *Buckler of Faith* p. 345. edit. Lond. MDCXXXI.

regnum

regnum ſerio promouet; nec tantum ſuas oues ipſe pure docet, ſed quia ei grauis ſcrupulus iniectus eſt de ſua vocatione, quod in ea ecclesiæ & populi electionem ſeu confirmationem non habuerit, ideo ſeniores eccleſiæ reformatæ arceſſiuit rogauitque, vt pie ac prudenter diſpicerent, an eum vellent eligere, confirmare ac pro epiſcopo habere? Quod ſi iudicarent faciendum, ſe daturum operam, vt ſicut cœpit, ita pergeret eccleſiam ſibi commiſſam docendo & hortando pro viribus ædificare & augere. Sin vero exiſtimarent, illum minus idoneum ad tantum munus, libere atque aperte dicerent, ſe autem paratum eſſe loco cedere, modo ei liceat in eccleſia reformata viuere iuxta ſanctam euangelii diſciplinam. Rogauitque, vt ea de re mature cum eccleſia deliberarent: Quod quum factum eſſet AB OMNIBVS VNANIMITER VT VERVS EPISCOPVS AGNITVS EST ET RECEPTVS. Quare illius auctoritas & pietas multum eccleſiæ CHRISTI commodat. DEVS laudetur, qui ad hunc modum Filii ſui regnum gubernat & dirigit. [t]

NVM plenius teſtimonium habere poſſumus, ſiue de auctoritatis epiſcopalis vtilitate, ſiue de *Gallorum* ei ſe ſubmittendi propenſione & alacritate, ſi eis contigiſſet eſſe tam felicibus, vt illam inter ſe quiete conſtitutam haberent? Sed enim infelicitas eorum initio erat, quod habere eam non poſſent, licet ad amplectendam illam mentes ipſorum inclinarent. Simulatque enim factio papiſtica vel leuiſſimo indicio animaduerteret, epiſcopum quemdam cauſſæ proteſtantium fauere, omnis & regis *Galliarum* & papæ *Romani* poteſtas contra eum armabatur. IACOBVS AVGVSTVS THVANVS narrat, aduerſæ partis præſules hoc exemplum *Ioannis Antonii Caraccioli* (hoc enim nomen erat epiſcopi) veritos apud regem tandem peruiciſſe, vt dignitate moueretur. [u]

IPSI pontificii auctores fidem nobis faciunt, diuerſos alios epiſcopos *Galliæ* hoc tempore reformationis fautores fuiſſe, *Odetum*, *Colinium*, diaconum cardinalem *Caſtilioneum*, *Sanromanum* archiepiſcopum *Aquenſem*; *Ioannem Monlucium*, epiſcopum

(t) Petr. Mart. epiſt. LVII. ad Bezam, an. MDLXI. p. 1143.

(u) Thuan. tom. II. an. MDLXI. libr. XXVIII. p. 48. (p. 569. edit. Francof. MDCXXV.)

Va-

Valentinum; Ioannem Barbansonum episcopum *Appamensem; Ioannem Sangelasium* episcopum *Vticensem ; Franciscum a Noailles* episcopum *Aquarum Augustarum; Carolum Gillarium* episcopum *Carnotensem* vna cum *Ludouico Alebretio* & *Claudio Regino*, duobus episcopis in *Bearnia* sub reginæ *Nauarræ*, caussæ protestantium addictæ, ditione. Enimuero simulatque exiguum duntaxat indicium facerent, se isti caussæ fauere, hæresis nomine accusabantur & ad comparendum coram consistorio inquisitionis *Romanæ* edicto citabantur; quod concludebat in trium ex illis priuationem, ceterorum autem suspensionem & administrationis interdictionem, quousque se stitissent & purgassent. Qua vexatione plerique eorum victi agnitæ veritati renuntiarunt atque ita episcopatus suos retinuerunt. Cardinalis autem *Castilioneus* & *Sangelasius* cum episcopo *Trecensi* ad partes protestantium transierunt & aliquamdiu tanquam episcopi agere perrexerunt, tandem vero a potestate sæculari episcopatui se subtrahere & vitam priuatam amplecti coacti sunt.

HENRICVS SPONDANVS hæc omnia memoriæ prodidit.[w] Quædam obscuræ eiusdem rei significationes dantur a THVANO[x], HOMERO TORTORA[y], GABVTIO[z], CATELLO[a], et ONVPHRIO[b], ex quibus historiam suam consarcinauit SPONDANVS.

Ex his videmus, caussam, cur episcopi inter *Gallos* protestantes constituti haud fuerint, potius iniuriæ temporum tribuendum esse, quam quod ab episcopatu abhorruerint. LVDOVICVS MOLINAEVS, PETRI supra memorati filius, hanc rem alio exemplo in caussa episcopi *Meldensis* & aliorum quorumdam confirmat, in præfatione, quam libro parentis sui, qui inscribitur *Nouitas Papismi*, præmisit. *Quam facile*, inquit, *& pastores & populus adduci possint ad submittendum se episcopis, experientia docuit in episcopis Meldensi & Trecensi, qui simulatque erroribus pontificiis renuntiarent, ab ecclesiis protestantibus intra iurisdi-*

(w) Spondan. ad ann. MDLXIII. n. XXXI.
(x) Thuan. lib. XXXV.
(y) Homer. Tortor. histor. Franc. lib. III.
(z) Gabut. vit. Pii V. lib. II. c.IV.
(a) Catell. histor. Occitan.
(b) Onuphr. vit. Pii IV.

ctionis suæ ambitum agniti sunt pro diœcesanis suis. Archiepiscopus Viennensis & episcopus Aurelianensis aliquando in eo fuerunt, vt idem facerent, eamdem obedientiam habituri a protestantibus, sed vero rationem status sibi obstare putabant, quo minus aduerso flumine nauigare auderent. [c]

IDEM auctor sententiam etiam exhibet PHILIPPI MORNAEI, cuius eruditio & gubernatio eum æqualiter clarum reddidit in ecclesia *Gallica.* Opinionem eius fuisse dicit, " Quod licet regi- " men presbyterianum bene conueniat rebuspublicis, cuiusmodi " sit *Geneuensis* & *Heluetica ;* in regnis tamen & imperiis regimen " episcopale præferendum esse ad tuendam ecclesiæ dignitatem, " eamque ab oppressione defendendam," cetera. [*d*]

QVAE omnia probant, quod licet *Galli* protestantes ad suum ipsorum regimen, tanquam rem inter se licitam, vindicandum parati, episcopatum tamen, tanquam antichristianum infamare, aut episcopis deturbatis se ipsos erigere conati non fuerint. Ipsum CALVINVM ab hoc instituto tam alienum fuisse quam alium quemcunque, testis est sollemnis illa declaratio in libro eius *de necessitate reformandæ ecclesiæ*, quæ sic habet : *Talem si nobis exhibeant hierarchiam, in qua sic emineant episcopi, vt CHRISTO subesse non recusent, - - vt ab illo, tanquam vnico capite, pendeant & ad ipsum referantur, - - tum nullo non anathemate dignos fateor, si qui erunt, qui non eam reuerenter summaque obedientia obseruent.* [*e*]

BEZA idem sentiebat, respectu speciatim ad episcopos *Anglicanos* habito. *Si nunc Anglicanæ ecclesiæ*, inquit, *instauratæ suorum episcoporum & archiepiscoporum auctoritate suffultæ perstant (quemadmodum hoc illis nostra memoria contigit , vt eius ordinis homines non tantum insignes DEI martyres, sed etiam præstantissimos pastores ac doctores habuerint) fruatur sane Anglia ista singulari DEI beneficentia, quæ vtinam illi sit perpetua.* [*f*]

ITA est, CALVINVS & BEZA & ecclesia *Gallica* tale regimen & talem disciplinam in reformatione stabiliuere, qualem ra-

(*c*) Lud. Molin. præf. in librum patris: *Nouitas papismi* p. 3.
(*d*) Id. ibid. p. 8.
(*e*) Caluin. de necessit. reform. eccles. tom. VIII. p. 60.
(*f*) Bez. resp. ad Sarau. cap. XIIX.

tiones

tiones eorum tulerunt; numquam vero episcopatum damnarunt simpliciter, aut cogitarunt, formam suam debere esse regulam aliis ecclesiis. BEZA falsissimam & impudentissimam obiectionem esse dicit, si quis dixerit, quod ecclesiæ reformatæ " cui-" quam vspiam ecclesiæ sequendum suum peculiare exemplum " præscribant, imperitissimorum illorum similes, qui nihil, nisi " quod ipsi agunt, rectum putant." [g]

VT adeo si qui zelotæ inter *Gallos* vel regimen episcopale tamquam illicitum damnarunt, vel formam suam tamquam necessariam aliis ecclesiis imponere studuerunt; nullam auctoritatem hoc faciendi vel a primis reformatoribus suis, vel a synodis nationalibus, vel ab optimis scriptoribus in ecclesia habuerint, qui (sicut ostendi) de episcopatu diœcesano *Angliæ* honorifice semper loquuti sunt, et semetipsos promtos ad submittendum eiusmodi formæ regiminis declararunt, si inter eos vmquam stabiliri potuisset. Adhibeatur modo idem temperamentum eademque moderatio ab iis, qui in *Anglia* nostra ab ecclesia abalienato sunt animo, et hæc controuersia de episcopis certissime habebit finem. Quousque autem episcopatum infamare pergunt tamquam antichristianum, istumque ordinem vt illicitum destructum cupiunt, & potestatem episcoporum, ministros contra eorum auctoritatem legitime inter nos stabilitam ordinando invadunt: in animum ne inducant, vt caussam suam eamdem esse statuant, quæ est ecclesiæ *Gallicanæ*. Nam si quid veri in iis est, quæ iam edisserui, praxis eius in singulis capitibus manifesto contradicit. CALVINVS ipse ecclesiæ nostræ canoni septimo subscribere non dubitasset, qui habet, *Quisquis posthac adfirmaverit, regimen ecclesiæ Anglicanæ sub maiestate regia per archiepiscopos, episcopos, decanos, archidiaconos & reliquos, qui munus in ea gerunt, antichristianum verboque Dei contrarium esse, excommunicetur ipso facto.* cetera. Quid enim ille minus dicit in his verbis, quæ modo adduxi, *Nullo non anathemate dignos fateor, si qui erunt, qui non eam hierarchiam reuerenter summaque obedientia obseruent.* Si dixeris, CALVINVM nec archiepiscoporum, nec decanorum, nec archidiaconorum, nec reliquorum mu-

(g) Bez. ibid. cap. XXI.

nus in ecclesia *Anglicana* gerentium, facere mentionem: Respondeo, Ita est; sed vero, qui episcopos approbat, vt constitutos in *Anglia*, is virtualiter & per consequentiam omnes reliquos approbat in canone memoratos, et saluo officio christiano se submittere potest eorum regimini, tamquam non pugnanti cum verbo Dei.

CERTVM est, ipsos auctores *Gallicos* ita intelligere CALVINVM, tamquam loquentem de hierarchia *Anglicana*. DE L' ANGLE, minister ecclesiae *Gallicae Carentonii*, in epistola sua ad episcopum *Londinensem* an. MDCLXXX scripta, auctoritatem CALVINI in rem eamdem, in quam ego illam citaui, citat. *Quum ecclesia Anglicana*, inquit, *sit vera Domini nostri ecclesia; quum cultus & doctrinae illius sint purae, nec quidpiam contineant verbo DEI contrarium; et quum, vbi reformatio illic recepta est, recepta sit cum episcopatu, & cum institutione liturgiae & caerimoniarum, quae in hunc vsque diem ibi in vsu sunt: sine dubio omnium reformatorum in vestro regno est, ecclesiae inseparabiliter adhaerere. Qui hoc non faciunt, hanc praetexentes caussam, quod plus simplicitatis in caerimoniis & minus inaequalitatis inter ministros desiderent, illi profecto magnum peccatum committunt. Nam schisma malorum, quae ecclesiam premere possunt, maxime terribile est; Quod vt euitetur, christiana caritas bonos quosque obstringit, vt fratres suos amice tolerent in rebus multo minus tolerabilibus, quam istae, de quibus iam quaestio est, videri debent, etiam in oculis eorum, qui eas maximopere auersantur. Haec adeo fuit opinio magni & excellentis* CALVINI *nostri, vt in libro de necessitate reformandae ecclesiae non dubitet dicere, quod, si qui tam iniqui fuerint, vt ecclesiae, quae pura in cultu suo & doctrina sit, communionem recusent nec eam reuerenter summaque obedientia obseruent, ideo quod hierarchiam, cuiusmodi apud vos est, retineat, eos nullo non anathemate dignos iudicet.* [b]

(b) De l'Angle epist. Gallice scripta ad episc. Londinensem sub fin. libri Stillingfleetiani *Unreasonableness of Separation* p. 421.

SVB-

SVBIVNGO teſtimonium IOANNIS DALLAEI (quod vir quidam doctus & venerandus in illa eccleſia mecum communicavit) in libro, quem vocat *Replique a Meſſieurs* Adam & Cottiby, vbi ait: *Ipſe Caluinus omnes bonorabat epiſcopos, qui pontifici Romano non eſſent ſubiecti & puram ac ſinceram apoſtolorum doctrinam docerent, ab humanarum traditionum fermento repurgatam; cuiuſmodi fuerunt præſules Anglicani, Thomas Cranmerus archiepiſcopus Cantuarienſis, Ioannes Hopperus epiſcopus Vigornienſis & alii. Nos ipſi ſemper tuiti ſumus & adhuc tuemur eamdem chriſtianam communionem in fide & caritate cum ſucceſſoribus eorum, non obſtante diuerſa eccleſiaſtici regiminis ratione inter illos & nos. - - Fatemur, fundamentum muneris eorum bonum & legitimum eſſe, per apoſtolos ex mandato CHRISTI ſtabilitum in eccleſiis, quas fundarunt.* Atque hanc dicit eſſe differentiam inter epiſcopos, papam & monachos, *Quod poſteriores neque a IESV CHRISTO neque ab apoſtolis illius inſtituti fuerint; nec vllum veſtigium ordinis eorum vel in verbo DEI vel genuinis vetuſtæ eccleſiæ monumentis reperiatur.*

INSCRIPTIO capitis eadem verba habet: *Magna eſt differentia inter epiſcopos, papam & monachos, Quod epiſcopatus inſtitutus ſit a Deo; Papæ vero & monachi ſint inuentum hominum, et auctores confuſionis atque abuſuum.* [i]

HEIC origo epiſcopatus manifeſte ex apoſtolica & diuina origine deriuatur. Alii quidam, quos inter LVDOVICVS CAPPELLVS & ANDREAS RIVETVS ſunt, eum non adeo alte repetunt, ſed tantum ex eccleſiaſtica inſtitutione deriuant. RIVETVS diſertis verbis de *Aërio* pronuntiat, *Audax fuit & ſchiſmaticus, ſi ob inferiorum ac ſuperiorum diſtinctionem, fidei non contrariam, ac æquis de cauſſis humana inſtitutione introductam, ſe ab eccleſia ſeparauit.* [k]

APPLICATIONEM illis faciendam relinquo, quorum cauſſa hæc in medium producta ſunt.

(i) Dall. *Replique à* Adam & Cottiby part. III. c. XX. p. 261.
(k) Riuet. cathol. orthod. tract. II. quæſt. XXII. n. 6.

LIBRI QVARTI
CAPVT QVINTVM.

De canone octauo: Quod ecclesia *Gallica* non impugnet formam nostram ordinandi episcopos, presbyteros & diaconos, nec dicat, non esse veros episcopos, presbyteros & diaconos, qui secundum eam ordinentur, antequam nouam aliquam vocationem habeant: Quod non permittat populo in *Gallia*, vt suos sibi pastores ipsi eligant, cetera.

VERBA canonis octaui hæc sunt, *Quisquis adfirmauerit vel docuerit, formam & rationem faciendi episcopos, presbyteros & diaconos, continere aliquid verbo Dei contrarium; aut eos, qui ista forma episcopi, presbyteri & diaconi creentur, non legitime creari, nec a se ipsis nec ab aliis pro veris episcopis, presbyteris & diaconis putandos esse, vsque dum aliam vocationem ad hæc diuina officia habeant, excommunicetur.* cetera.

PARS doctrinalis huius canonis eadem est, quæ articuli tricesimi sexti, *Libellus*, inquientis, *de consecratione archiepiscoporum & episcoporum & ordinatione presbyterorum & diaconorum editus nuper temporibus Eduardi sexti, & auctoritate Parlamenti illis ipsis temporibus confirmatus, omnia ad eiusmodi consecrationem & ordinationem necessaria continet: et nihil habet, quod ex se sit aut superstitiosum aut impium. Itaque quicunque iuxta ritus illius libri consecrati aut ordinati sunt - - aut in posterum iuxta eosdem ritus consecrabuntur aut ordinabuntur, rite & ordine atque legitime statuimus esse & fore consecratos & ordinatos.* [l]

VT proinde vnumquemque, qui huius articuli doctrinæ subscribere potest, fateri oporteat, eam etiam in canone veram esse. Probaui autem supra lib. II. cap. I. sqq. ecclesiam *Gallicam* concedere, articulis nostris, tam generatim quam speciatim legitime

(l) Vid. in syntagm. confessionum p. 135.

gitime subscribi posse; et capite hoc ipsum proxime antecedente ostendi, *Gallos* nihil habere, quod contra episcopos nostros diœcesanos eorumue ordinationem obiiciant. Vt adeo vna sola difficultas, quæ superesse videtur, ad praxin attineat, Num expediat eos excommunicare, qui vitiosam, quam ad episcopos, presbyteros & diaconos nostros habent, offensionem atque fastidium ita declarant, vti canon narrat, hoc est, qui eos dicunt esse illicitos & verbo Dei contrarios, nec pro legitimis episcopis, presbyteris vel diaconis putandos, vsque dum aliam quamdam vocationem ad sua quisque officia habeant? Nos adfirmamus, commereri eos excommunicationem; BAXTERVS autem negat, eorumque suscipit defensionem & rationes contra canonem adfert. Ego primum ostendam breuiter, quæ ratio condendi huius canonis fuerit, & deinde rationes BAXTERI examinabo.

RICHARDVS BANCROFTVS in libro suo, quem inscripsit *Dangerous Positions*, narrat, temporibus *Elisabethæ* reginæ vsitati moris fuisse eorum, qui disciplinam & regimen ecclesiæ *Anglicanæ* non approbarint, "vocationi, quam haberent ab episco- " pis, renuntiare eamque ex approbatione sic dictæ classis sume- " re: satis quidem eos habuisse accipere mandata ab episcopo, " tamquam rem ciuilem, sed propterea non habuisse se se pro " ministris, donec fratres cuiusdam classis ipsos admisissent; sta- " tuisse, omnes ministros, secundum ordinem ecclesiæ *Angli-* " *canæ* vocatos, non esse legitimos; adeoque eos, quibus fide- " re ausi sint, impulisse, vt nouam approbationem a classe pe- " terent, quam vocarint institutionem dominicam." [*m*]

IAM si consideremus, BANCROFTVM conuocationis, in qua canones facti sunt, fuisse præsidem, dubitare nobis non licet, quin hæc historia planam huius canonis rationem nobis digito quasi monstret. Consilium initum erat de tollendis omnibus ordinibus & subuertenda vniuersa disciplina, regimine & constitutione ecclesiæ *Anglicanæ*, hoc quidem obtentu, quod ministri non essent legitimi ministri nec vt tales officio fungi possent, vsque dum aliam haberent vocationem, institutioni diuinæ magis convenientem. Annon ergo summum tempus fuit eiusmodi conatus

(*m*) Bancroft's *Danger. Positions* lib. III. c. XIV. p. 119.

tus reprimendi ? Num vlla ecclesia constituta eiusmodi positiones & conatus periculosos prudenter ferre potuisset impunitos & inultos ? Num quis sibi persuadere potest, synodos nationales *Galliæ* homines iniquos fundamenta ministerii sui ita diruere & vniuersum ordinem atque constitutionem suam dubiam reddere ignauiter passuras, illisque, si in incepto contumaciter perstitissent, ne excommunicationem quidem minitaturas fuisse ? Qui principiis Independentium tam mascule sese opposuerunt, quemadmodum *Gallos* reformatos fecisse ostendi [*n*], quod illa classicæ suæ & synodicæ constitutioni perniciosa esse existimarent, sine dubio multo seuerius animaduersuri fuissent in eos, qui vniuersum eorum ministerium rationemque ordinandi abrogare & rescindere conati essent.

FORTASSIS autem forma & ratio ordinandi in ecclesia *Gallica* minus obnoxia est exceptioni quam forma ecclesiæ *Anglicæ?* Respondeo, supposito, formas nostras esse legitimas (cuiusmodi ecclesia *Gallica* subscribendo articulo nostro tricesimo sexto eas esse fatetur) nulla heic differentia esse, saltem nulla alicuius momenti obiectio fieri potest contra vnam, quin æqualiter valeat contra alteram. Et si argumenta BAXTERI examinauerimus, rem prorsus ita se habere deprehendemus. Capite vicesimo septimo libri *English Nonconformity* quinque argumenta produxit ad probandum, licere ordinationes nostras vocare vitiosas. Primum est, " Quod nos per eas ecclesiis pastores obtrudamus ex " nuda electione cuiusdam patroni citra vel contra plebis volun- " tatem." Enimuero si patroni, dum pastores nominant, eos obtrudere dicendi sunt, pastores ecclesiis in *Gallia* obtrusos fuisse dixerimus. Nam per diuersos canones patroni illic eamdem libertatem præsentandi idemque ius nominandi habent, quod habent in *Anglia.* Synodus *Vitriacensis* an. MDLXXXIII habita, diserte statuit, *Nobili gente nati & alii, qui ius patronatus habent, non coguntur iure suo cedere*, cetera. [*o*] Synodus *Montalbanensis* addit, *patronis laicis licere protestationes interponere ad conseruanda iura sua & emolumenta, etiamsi in præsenti con-*

(*n*) Lib. I. cap. I.

(*o*) Syn. Vitr. I. cap. II. n. XV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 160. n. XIV.)

ferre

ferre non possint, quia non nisi Papistas praesentare liceat, quod facere per conscientiam & religionem prohibeantur. Ex quibus puto apparere, quod per leges ecclesiæ libertatem habuerint ministros protestantes præsentandi, si leges regni id permittere voluissent. [*p*]

QVOMODOCVMQVE autem se habuerit ius patronorum, certum est, populum non habuisse ius nominandi vel eligendi, immo ne quidem consentiendi aliter atque in *Anglia*. Nam ius probationis & electionis totum ad colloquia & synodos spectabat, nec populo quidpiam facere hoc in negotio integrum erat, nisi excipere aduersus partem nominatam; si vero obiicere nihil possent, quod alicuius esset momenti, silentium eorum pro consensu putabatur, statimque minister ordinabatur, haud alio populi vel suffragio vel consensu requisito. Longe fallitur opinione, qui pastores in *Gallia* populi suffragiis electos fuisse arbitratur.

LIBER disciplinæ ministrorum electionem ex omni parte ad colloquia aut synodos prouinciales refert, *Minister euangelii*, inquit, *non admittatur ad hoc sanctum officium, nisi per synodum prouincialem aut colloquium septem pastoribus compositum, præterquam temporibus difficilibus & summa vrgente necessitate, vbi eligi poterit a tribus pastoribus, consistorio loci in rei societatem adscito. - - Et minister eligendus præsentabitur cum bonis & idoneis testimoniis non tantum academiarum & ecclesiarum particularium, sed colloquiorum etiam eius ecclesiæ, in qua plurimum fuerit versatus.* [*q*]

HEIC videmus, vocari electos, non ab electione populi sed ab electione synodorum prouincialium vel colloquiorum. Licet vero, summa quadam flagitante necessitate tres pastores cum consistorio loci potestatem eligendi haberent, electio tamen numquam adscribitur suffragio populi.

PROXIME sequens canon statuit, postquam synodus vel colloquium electum ministrum examinauerit; *electionem eius significandam esse per actum eorum aut epistolam illi ecclesiæ, ad*

(*p*) Vid. Synod. Montalb. cap. IV. artic. XLIV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 184. n. XLIII.) & discipl. eccl. Gall. cap. XIV. can. III.

(*q*) Discipl. eccl. Gall. cap. I. can. IV.

quam mittendus ſit, eamque epiſtolam reddendam & prælegendam eſſe per ſeniorem quemdam. [r] Hoc iterum clare indicat, electionem factam eſſe ante, quam populus reſcierit.

Tum ſequitur, quid populo hac in re licuerit facere: *Is, cuius electio eccleſiæ ſignificanda eſt, verbum Dei tribus diuerſis diebus dominicis publice proponet, vniuerſa congregatione audiente, et populus diſerte admonebitur, vt, ſi quis impedimentum aliquod nouerit, quo minus ordinatio eius, qui nomine ſuo memorandus eſt, perfici poſſit, aut cur admitti nequeat, accedat & conſiſtorio id ſignificet, quod vtriuſque partis rationes patienter audiet, vt ex iis iudicium ferre poſſit. Silentium populi pro pleno conſenſu reputabitur.* [s] Id omne eſt, quidquid negotii populus in paſtorum ſuorum electione habuit, quod nihilo magis electio vocari poteſt, quam in noſtris congregationibus populus dici poteſt eligere mares & feminas, perſonas matrimonio iungendas, quia in ſponſaliorum publicatione admonentur, *Vt, ſi quis eorum nouerit cauſſam aliquam vel iuſtum impedimentum, cur iſtæ perſonæ matrimonio iungi non poſſint, id ſignificet.* Tantummodo in canone *Gallicano*, ne ſempiternæ rixæ & contentiones inter paſtorem & populum excitentur, ſi forte ei obſtinate reſtiterint, iniuſto quantumlibet odio in illum incenſi, hæc cautio atque prouiſio adhibetur, "vt, licet miniſter electus in ſynodo "de omnibus rebus, de quibus ipſum poſtularint, ſatis purga"tus ſit, contra iſtius tamen populi voluntatem, aut cum ma"ximæ partis offenſione paſtor ne detur." Subfuerit forte aliquid prudentiæ, quare communiter in *Anglia* etiam ſic fieri ſoleat. Neque vero dixerim, dari hoc ipſo plebi poteſtatem eligendi. Ad ſummum enim mera indulgentia eſt in imbecillitatem & commotionem animorum in peculiaribus quibusdam caſibus, vbi diſſenſiones aliter componi non poſſunt; quæ autem res a conceſſione proprie dicti & inhærentis iuris eligendi paſtores longe abeſt.

Sed & hoc monendum erit, *Geneuæ* non haberi eiuſmodi rationem moroſitatis populi; ſed oportere illos adferre graues

(r) Diſcipl. eccl. Gall. cap. I. can. V.

(s) Ibid. can. VI.

quas-

quasdam & idoneas obiectiones, de quibus ipse magistratus iudicet. Modus eligendi & vocandi ministros, vt a BEZA describitur, est huiusmodi: *Deliguntur, praeeunte diligenti morum & doctrinae examine, pastores & ministri verbi, primum ab ipso pastorum coetu, qui tum ex agro tum ex vrbe singulis hebdomadibus feria sexta cogitur. Sic probati ministris senatui offeruntur. Senatus, vbi & ipse in doctrinam ac mores illius inquisiuit, suffragium suum addit, si libet, sin minus, nouus rursum probatur. Ita demum in publico conuentu die dominico in singulis templis ciuitatis, ac potissimum in ea ecclesia, cui vel in vrbe vel in agro praeficiendus ille est, editur probati illius nomen & monentur omnes, vt, si quid in eo obseruarint, quamobrem sit ministerio indignus, hoc ad magistratum modeste & citra omnem calumniam intra octiduum deferant. Qui demum ita probatus est, tandem publicis coram populo precibus DEO commendatus & officii sui copiose admonitus, in possessionem ministerii mittitur.* [t]

IN toto hoc negotio populus ne quidem sententiam rogatur; sed tantum monetur, vt, si quid habeant, quod obiiciant, hoc significent magistratui, qui potestatem habeat cum classe examinandi eorum obiectiones de illisque iudicandi. Eadem vero libertas populo conceditur in ecclesia *Anglicana*.

VERVM id antiquo canoni & priuilegio populi in ecclesia prisca aduersari putat BAXTERVS; multos autem viros doctos non tantum statuere, sed probare etiam contrarium. [u] Enimvero fac, BAXTERI obiectionem esse iustam: Num praxis nostra magis differt ab antiquo canone, quam *Gallica* & *Geneuensis?* BEZA eamdem obiectionem sibi format, & responsio eius haec est: *Quid vero fuerit in multis locis in vetere ecclesia vsurpatum in episcoporum electionibus, non tam spectandum arbitror, quam quo iure & quo successu fuerit factitatum.* [w]

OPINIO eius est, 1. Consuetudinem illam non fuisse generalem, sed tantum in quibusdam ecclesiae partibus vsitatam; 2. Non fuisse diuinum & inhaerens ius multitudinis, sed eam id

(t) Vid. Bez. epist. XX. p. 139. (p. m. 229.) Caluin. ep. ad Oleuian. p. 142.
(u) Stillingfleet's *Unreasonableness of Separat.* part. III. sect. XXV. p. 314. seqq.
(w) Bez. epist. LXXXIII. p. 402. (p. m. 307.)

tantum consuetudine & indulgentia obtinuisse. 3. Multa & magna incommoda rem istam comitari; Electiones enim populares plerumque obnoxias esse turbis popularibus, vti experientia frequentissime docuerit in illis locis, vbi res ex suffragiis multitudinis decerni consueuerint. Adeoque satis idoneam rationem suppetiisse faciendi canones, vt multa ex vetustis conciliis fecerint, ad hanc creditam multitudinis potestatem cohibendam. Spero, hoc plenum responsum esse ad primum BAXTERI argumentum, quo probare voluit, ordinationes ecclesiæ *Anglicanæ* esse vitiosas, quia ecclesiis, citra vel contra voluntatem earum, pastores obtrudant.

2. PROXIMVM argumentum eius est, "Quod ordinationes " nostræ sint vitiosæ, quia ecclesia ordinet eos, quos per cano- " nem concionari aut doctrinam aliquam explicare vetet". Suspicor, ipsum intelligere canonem vndequinquagesimum, qui loco suo capite decimo considerabitur. Heic tantum obseruo, nullam prorsus consequentiam in hoc argumento esse. Fac enim, canonem, de quo loquitur, falsum esse: hoc tamen non probaret, formulas nostras ordinationis esse vitiosas; quia in vsu fuerunt quinquaginta amplius annis ante, quam canon iste factus est. Ecclesia reprehensione digna foret, quod talem canonem fecisset, si falsus esset; sed hoc non adficeret formulas eius ordinandi.

3. DICIT, "nos decernere, episcopos, presbyteros & dia- " conos esse tres distinctos ordines, quæ vero res controuersa sit " & plena dissensionis inter ipsos doctissimos pontificios". Quid vero hinc sequitur? An hoc, vt damnemus & abscindamus homines propter illud, quod ipsi pontificii liberum relinquant? Veniam petere necesse habeo declarandi iterum, BAXTERVM falli argumentatione sua. Ecclesia enim nostra non damnat nec abscindit omnes, qui episcopos, presbyteros & diaconos non existimant esse tres distinctos ordines, eo sensu, quo pontificii ordines accipiunt, tamquam distinctos iurisdictione; neque omnes, qui eos tres distinctos ordines isto sensu esse negant, legitimam episcoporum, presbyterorum vel diaconorum nostrorum rationem in dubium vocant, aut formulas nostras ordinandi declarant nullas. Multi scriptores *Gallicani* putant, episcopos & presbyteros esse vnum eumdemque ordinem; neque tamen dicunt, formulas nostras

ſtras ordinandi verbo Dei aduerſari, nec eos veri nominis vel epiſcopos vel presbyteros eſſe negant, quia iuxta illas initiati fuerint. Neque ab altera parte eccleſia *Anglicana* illos vel damnat vel a communione ſua abſcindit, quia epiſcopos & presbyteros vnum eumdemque ordinem eſſe ſtatuunt. Nonnulli ex optimis theologis epiſcopalibus & genuinis eccleſiæ *Anglicanæ* filiis idem dixerunt, diſtinguendo inter ordinem & iuriſdictionem, & hac doctrina atque diſtinctione ad eccleſiarum reformatarum ordinationes a calumniis *Romanenſium* vindicandas viſi ſunt. Ita FRANCISCVS MASONIVS [x], IOANNES FORBESIVS [y], IACOBVS VSSERIVS [z] & alii, qui tamen epiſcopalem poteſtatem & iuriſdictionem tanquam diuinæ inſtitutionis defendunt eo ipſo tempore, vbi epiſcopos & presbyteros vnum tantum ordinem eſſe dicunt. Num igitur argumentum BAXTERI perſuadere orbi chriſtiano poterit, hoſce viros non approbaſſe formulas noſtras ordinandi, vel eccleſiam damnare ſuos ipſius filios & propugnatores eoſque a communione ſua abſcindere? Et hæc tamen methodus BAXTERI eſt, qua probare conatur, ordinationis formulas, apud nos vſitatas, eſſe vitioſas; quia omnes eos damnent, qui non ſtatuant, epiſcopos, presbyteros & diaconos eſſe tres diſtinctos ordines. Reſpectus ad veritatem & modeſtiam, ſi non ad eccleſiam *Anglicanam*, habitus hominem prudentem ad omittendum hoc argumentum, quod tam abſurdam concluſionem parit, impellere potuiſſet.

4. AIT, nos ordinare homines ad officium, cuius ſcriptura nullam faciat mentionem. "HAMMONDVM enim dicere, non "poſſe probari, fuiſſe vllos presbyteros epiſcopis ſubiectos tem"pore, quo ad ſacras ſcripturas eccleſia gubernata ſit, nec vllos "niſi epiſcopos: Nullos, quin habuerint poteſtatem ordinationis "& clauium; nec vllos epiſcopos multarum eccleſiarum & "presbyterorum, cuiuſmodi heic ordinentur: Ergo formas ordi"nationis, apud nos vſitatas, eſſe vitioſas".

VERVM, 1. Quid, ſi HAMMONDVS erraſſet? Quale tum futurum eſſet hoc argumentum? 2. Poſito, nullos fuiſſe presbyte-

(x) Maſon's *Defence of the Ordination of the Proteſtant Miniſters beyond Seas*, p. 132.
(y) Forbeſ. Irenic. lib. II. cap. XI.
(z) Uſher's *Judgment of Ordination by Presbyters &c.* p. 10.

 ros,

ros, epiſcopis ſubiectos, quorum ſacra ſcriptura mentionem fecerit: Quomodo hinc ſequitur, vt formulæ ordinationis, apud nos vſitatæ, ſint vitioſæ? Num HAMMONDVS hoc dicit? Nullo modo. Num eccleſia *Gallicana?* Nequaquam. Num vetuſtæ eccleſiæ praxis formulas noſtras damnat? Minime; nam epiſcopos, presbyteros & diaconos ad eumdem modum ordinauit. Modo BAXTERVS omnibus viribus connititur, vt nos, quamcumque opponamus auctoritatem, obtundat & efficiat, formulas noſtras eſſe vitioſas. Sed mittamus auctoritatem & reſpondeamus ad hanc rationem: Fac, tempore, quo ad ſolas ſcripturas eccleſia CHRISTI gubernata eſt, vnamquamque eccleſiam epiſcopalem fuiſſe tantum ſingularem aliquam congregationem, & eo tempore epiſcopo non fuiſſe opus presbyteris, qui ipſi adſiſterent: quidni vero poteſtate inſtructus eſſe potuerit per ſe ordinandi tot presbyteros ſiue adiutores, quot ſibi opus eſſe videret, numero eorum, qui CHRISTO nomen darent, in ciuitate quadam vel diœceſi ita augeſcente, vt ſingularis quædam congregatio illos non caperet? Ita non ſequetur, vt, quum primis illis temporibus nulli fuerint presbyteri epiſcopis ſubiecti, ideo nec ſcriptura vllam officii faciat mentionem; aut, quum non fuerint eiuſmodi presbyteri, vbi epiſcopi ope illorum non indigerent, vt ideo nulli vmquam futuri eſſent, ſi epiſcopis opus eſſet eorum auxilio. Verumtamen hæc ratio eſt, quam BAXTERVS init, ordines epiſcoporum & presbyterorum, in eccleſia noſtra vſitatos, illicitos & vitioſos eſſe probaturus. Quod non minus ſententiæ HAMMONDI, ſenſui ſcripturæ, opinioni eccleſiæ catholicæ & eccleſiæ *Gallicanæ*, quam eccleſiæ *Anglicanæ*, aduerſatur.

5. QVINTVM & vltimum argumentum illius eſt, "Ordinationes noſtras eſſe vitioſas, quia faciant, vt epiſcopi obedientiam iureiurando promittant archiepiſcopis eorumque ſedibus; et presbyteri obedientiam polliceantur ſuis ordinariis". Enimvero in capite primo oſtendi, eccleſiam *Gallicam* idem illud reuera facere, dum iuramentum obedientiæ canonicæ a filiis ſuis requirat, eosque colloquiis & ſynodis ſeſe ſubiicere iubeat, quæ vices gerunt ordinariorum in eccleſia *Anglicana*.

IN ſumma planum eſt, non obſtantibus hiſce obiectionibus, formulas noſtras ordinandi ex opinione eccleſiæ *Gallicæ* eſſe legitimas;

gitimas; et licet homines veniam habuerint dissentiendi dissensumque suum modesta ratione declarandi, vti BAXTERVS contendit; tamen si hoc fiat periculoso illo & turbulento modo, cuius meminit canon, & qui ad subuertendam & pessundandam vniuersam ecclesiæ constitutionem tendit, tum crimen fuerit dignum pœna excommunicationis in ecclesia *Gallica* æque ac in ecclesia *Anglica*, quamtumuis BAXTERVS diuersam ab vtriusque opinione sententiam propugnet.

LIBRI QVARTI
CAPVT SEXTVM.

De canone nono, decimo & vndecimo: Quod ecclesia *Gallica* schismaticos eorumque defensores extra visibilem ecclesiam catholicam esse statuat, illisque communionem neget, vsque dum reuertantur & ecclesiæ satisfaciant.

PROXIMI canones, quos castigat BAXTERVS, sunt nonus, decimus & vndecimus, contra schismaticos & schismaticorum defensores, defensores item conuenticulorum conditi.

CANON nonus, *Quicumque posthac se ipsi separauerint a communione sanctorum, vti per regulas apostolicas in ecclesia Anglicana approbata est, & in nouam aliquam fraternitatem concesserint, rati christianos, qui doctrinæ, regimini, ritibus & cærimoniis ecclesiæ Anglicanæ conuenienter viuunt, profanos esse nec aptos, vt cum illis in christiana professione se coniungant: Excommunicentur ipso facto*, cetera.

CANON decimus, *Quicunque posthac adfirmauerint, istos ministros, qui formæ & rationi cultus diuini in ecclesia Anglicana, in libro communium precum præscriptæ, subscribere recusant, eorumque asseclas sibi nomen alius ecclesiæ, per legem non stabilitæ, adsumere posse &c. excommunicentur nec restituantur ante, quam resipiscant.*

CANON vndecimus, *Quisquis posthac adfirmauerit, esse in hoc regno alios conuentus seu congregationes eorum, quos natiuitas regiæ maiestati subiectos fecit, quam illas, quæ per leges huius regionis*

gionis permittuntur & frequentantur, quæ ſibi verarum & legitimarum eccleſiarum nomen iure vindicare poſſint: Excommunicetur &c.

IAM vero nihil in his canonibus habetur, niſi quod cum praxi & diſciplina eccleſiæ *Gallicæ* conuenit, quæ omnes excommunicatos & ſchiſmaticos pro abſciſſis & ſeparatis ab eccleſiæ viſibilis catholicæ communione habet, dum ſeparati ſunt ab iſtis particularibus eccleſiis, quarum membra eſſe debebant: adeoque omnes conuentus ſeu congregationes iſtorum hominum pro illicitis conuenticulis, non pro veris & legitimis eccleſiis, reputat, quia tales extra viſibilis catholicæ eccleſiæ communionem eſſe nequeunt.

INTER epiſtolas BEZAE reperitur quædam ad eccleſiam *Gallicam* in vrbe *Londino* ſcripta, in qua ſententiam ſuam de certis articulis pronuntiat, quos conſcriptos ad eum miſerant eiuſque rogauerant opinionem: quorum duo ad præſens noſtrum inſtitutum faciunt. Articulus viceſimus primus ita habet: *Qui legitime excommunicati ſunt, aut qui illegitime ac cum offenſione ab aliqua eccleſia deſciuerunt, quandoquidem a CHRISTI regno & ſalute exulant, ad nulla publica eccleſiæ miniſteria obeunda aut ſacramentorum vſum in vlla eccleſia admitti poſſunt, donec eccleſiæ legitime ſatisfecerint*, cetera.

DECIMVS TERTIVS in eamdem ſtatuit ſententiam, *Quemadmodum quiuis fidelis fidem profitendo & ſacramentis vtendo in particulari aliqua eccleſia inſeritur in catholicam Dei eccleſiam: ita e diuerſo, quicunque aut ab eadem particulari eccleſia ob ſuam malitiam legitime excommunicatur, aut ſe ipſum ob vllas cauſſas illegitime aut cum data offenſione exſcindit, eo ipſo omnibus catholicæ Dei eccleſiæ priuilegiis excidit, nec hanc ob cauſſam in vllam vſquam aliam particularem eccleſiam vlla ratione admitti poterit, donec ad meliorem mentem redierit, ac pro dicta ſua malitia ſatisfecerit.* [a]

NONNE hi articuli tam ſeueri ſunt contra ſchiſmaticos quam canones eccleſiæ *Anglicanæ?* Quando dicunt, ſchiſmaticos ſe

(a) Bez. epiſt. XXIV. ad eccleſ. peregrin.

ipſos

ipſos excludere omnibus eccleſiæ catholicæ priuilegiis; exulare a CHRISTI regno & ſalute; non poſſe admitti ad vlla publica eccleſiæ miniſteria obeunda, nec ad vllius eccleſiæ particularis communionem, donec legitime ſatisfecerint? Quod ſi eiuſmodi homines in ſocietatem aliquam coiſſent & ſe vocaſſent eccleſiam, an BEZA vel alii eccleſiæ *Gallicæ* miniſtri veræ & legitimæ eccleſiæ nomen illis tributuri fuiſſent, quos pro membris eccleſiæ catholicæ haud reputarunt, eosque communione in quacumque eccleſia indignos habuerunt, donec ad mentem meliorem redierint & legitime ſatisfecerint?

CANONES eccleſiæ *Gallicæ* non minus ſeuere decernunt contra ſchiſmaticos, dum veterem illum priſcæ eccleſiæ canonem renouant, Quod nemo, qui propriæ ſuæ eccleſiæ communionem deſeruerit, in aliam ſit recipiendus. Canones eorum communiter in hanc ſententiam loquuntur, ſpeciatim ille *Lugdunenſis* ad an. MDLXIII. *De errabundis hæreticis & ſchiſmaticis admoneantur omnes eccleſiæ, vt ſibi ab illis caueant.* [b]. Hoc eſt, mea quidem ſententia, vt illos ne ſinant vllum publicum officium obire pro miniſtris, nec ad communionem admittant tanquam chriſtianos priuatos. Ita profecto eis daturi non erant licentiam conuentus agendi ſeparatos, nec verarum & legitimarum eccleſiarum nomen tributuri. Et ſi IOANNES QVICKIVS [c] confeſſionem *Gallicam* recte publicauit, in articulo viceſimo ſexto multo durioribus verbis de illis vtuntur confeſſores, quando dicunt, *eos ſeſe ipſos ſeiungere a cætu ſanctorum DEI, reſiſtere ordinationi DEI, & ſi alios ſecum abſtrahant, pro peſte mortifera habendos eſſe.*

(b) Synod. Lugdun. cap. IX. artic. XXV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 35. n. II.)

(c) Confeſſ. Gallic. artic. XXVI. ex editione & interpretatione Io. Quickii Anglicana tom. I. p. XII.

Editio Latina in corp. & ſyntagm. confeſſionum Geneuæ MDCXII. ſic habet: Credimus, nemini licere ſeſe cœtibus ſubducere & in ſe ipſo acquieſcere, ſed potius omnibus ſimul tuendam & conſeruandam eſſe eccleſiæ vnitatem, ſeſe communi inſtitutioni & iugo Chriſti ſubiiciendo, vbicumque Deus veram illam diſciplinam eccleſiaſticam conſtituerit, etiam ſi magiſtratuum edicta reclament, a quo ordine quicumque ſe ipſos ſeiungit, ordinationi Dei reſiſtunt.

Si quis dixerit, vti dicit BAXTERVS, nos concedere ecclesiæ *Romanæ* nomen veræ ecclesiæ, atqui schismaticos ad minimum tam veram esse ecclesiam, quam sit ecclesia *Romana;* Respondeo, hoc nihil aliud esse, quam æquiuoco vocabulorum *veræ ecclesiæ* sensu ludere, quæ significare possunt vel ecclesiam, cum qua communicare liceat in omnibus capitibus, vt vocabulum vera & legitima ecclesia in canonibus accipitur, vel ecclesiam tantopere corruptam, vt nemo legitime & tuto cum ea communicare possit, non obstante, quod tantum reliquiarum christianismi in illa supersit, vt Deo filios generare possit per baptismum, qui iterari non debeat. Quo sensu protestantes communiter concedunt, ecclesiam *Romanam* esse veram ecclesiam [*d*], & idem de quibusdam hæreticis & schismaticis congregationibus dici poterit. Verumtamen propterea non erit statuendum, ecclesiam *Romanam* vocari posse veram & legitimam ecclesiam, prout legitime stabilitæ ecclesiæ *Anglicanæ* opponitur. Nihilo magis ecclesia schismatica isto sensu vera & legitima ecclesia dici potest; atque hoc omne esse puto, quidquid canon intendit.

LIBRI QVARTI
CAPVT SEPTIMVM.

Quod ecclesia *Gallica* quosdam dies festos obseruet & ipsis diebus festis pontificiorum eadem officia fieri permittat, quæ diebus festis apud nos ex canonis decimi tertii ecclesiæ nostræ præscripto requiruntur.

CANON decimus tertius hic est, *Omnes, qui sunt in ecclesia Anglicana, obseruabunt diem dominicam aliosque dies festos secundum voluntatem Dei & statuta ecclesiæ Anglicanæ; hoc est, audiendo verbum Dei, quod legitur & docetur, faciendo publicas & priuatas preces, agnoscendo peccata sua in Deum eademque emen-*

(*d*) Vid. Crakanthorp. contr. Spalat. cap. XVI & XXI. *Vt intelligat lector, quatenus Protestantes concedant ecclesiam Romanam vocandam esse ecclesiam, consulere poterit epistolam* Caluini *ad* Zozimum p.17. *Epist.* Bezæ *decimam & articulum vicesimum octauum confessionis Gallicanæ, quem alio loco produxi, vbi doctrinam articuli decimi octaui ecclesiæ nostræ vindicaui.*

dando,

dando, redeundo in gratiam cum aliis, a quibus dissidio dissederint, frequenter recipiendo communionem corporis ac sanguinis Christi, visitando pauperes & aegrotos, vtendo pia & honesta conuersatione.

HAEC regula pro obseruatione dierum festorum nequaquam superstitionis vel idololatriæ argui potest. Neque enim adorationem sanctis deferri iubet, neque dies illis dedicati sed diuino cultui præstituti sunt. Tantum sancti historice honorantur, dum bonæ eorum actiones commemorantur, debitisque laudibus adficiuntur & Deo gratiæ aguntur pro hisce donis & muneribus, quæ illis & per illos ecclesiæ concessit; vt omnes mortales hac occasione fidei, vitæ ac conuersationis eorum reminiscantur & ad imitanda illorum exempla excitentur. Notum est, hosce dies eatenus in plerisque ecclesiis protestantibus celebrari; et in *Palatinatu* vnus præterea est, cuius heic ob insolentiam mentionem faciam, quia cum paucis dumtaxat notum esse existimo. Hic dies iubilæi est pro reformatione, PHILIPPO PARAEO memoratus in epistola dedicatoria ante catechismum ZACHARIAE VRSINI, vbi hæc habet verba: *Anno MDCXVII celebratum iubilaeum restituti euangelii.*

VERVM instituto meo alienum est vlterius in praxin alius cuiusdam ecclesiæ protestantis, præterquam *Gallicæ*, inquirere, de qua tria obseruo.

1. QVOD festos dies natiuitatis, circumcisionis, passionis, resurrectionis, adscensionis dominicæ, descensus spiritus sancti, perinde ac nos, precibus celebrent & sermonibus &c.

2. EDICTO *Nannetensi* obstringuntur ad omittendas operas manuarias festis pontificiorum diebus. Et in libro disciplinæ canon habetur, quo ministri iubentur curare, vt huic edicto mos geratur. *Fideles*, inquit, *admonentor, ne quod scandalum committant, contra edictum regium operando diebus festis.* [*e*]

3. TANTVM abest, vt *Galli* reformati alios dies festos, in memoriam sanctorum in ecclesia *Anglicana* celebrari solitos, damnent, vt idem exercitium, in canone nostro memoratum, peragi permittant ipsis festis pontificiorum diebus, idque decreto duarum synodorum nationalium.

(*e*) Discipl. eccles. Gall. cap. XIV. can. XXI.

SYNODVS *Gergoliensis* an. MDCI, "audita appellatione cu-
" iusdam *Iouberti* ex ordine synodi prouincialis *Burgundiae* de
" hoc capite; sanctionem dictae synodi approbauit, relicta eccle-
" siis libertate faciendi publicas preces & habendi sermones festis
" ecclesiae *Romanensis* diebus". [*f*]

SYNODVS secunda *Vitriacensis* an. MDCXVII ex diuersorum illustri conditione hominum desiderio idem decretum renovauit. *Quum artifices nostri edicto regis teneantur festis diebus, qui ab ecclesia Romana praeter diem dominicam obseruantur, feriari; prudentiae consistoriorum relinquitur, populum istis diebus convocare, vt vel verbum Dei praedicari audiant, vel in publicis precibus sese coniungant, prout expedire deprehenderint.* [*g*]

PRAETEREA scriptores *Gallicani* festorum dierum vsum in ecclesia nostra a culpa superstitionis diserte vindicant. Obiectum fuerat IOANNI DALLAEO ab aduersariis suis pontificiis ADAMO & COTTIBIO, Quod *Galli* reformati papistas damnarent ob eiusmodi rerum obseruationem, quas in *Germanis* & *Anglis* protestantibus permitterent, & exempli loco obseruationem festiuitatum sanctorum induxerant. Ad hoc respondet DALLAEVS; *Nonnullos dies festos, fateor, obseruant, dies videlicet memoriae sanctorum apostolorum sacros & fortassis paucos quosdam alios, ad perpetuandam pietatis eorum memoriam. Num vero vota, preces & supplicationes suas ad eos dirigunt, sicut vos facitis? Num vllos alios cultus religiosi actus exercent, quos vos sanctis offertis? Nequaquam. Ipsi illos reiiciunt & inpugnant non secus ac nos, & dicunt, esse ἐθελοθρησκείας & inuentiones humanas, hoc est, sacra superstitiosa. Sed vero, inquis, templa habent, quae nomina gerunt sanctorum. Nonne Geneuates, quos vobis proximos fratres esse haud negaueritis, loca religiosorum conuentuum suorum nominibus SANCTI PETRI & SANCTI GERVASII appellant? Neque vero illi neque alii reliquias vllorum sanctorum in ecclesiis suis consecrant, neque vllum cultum religiosum eis deferunt, quae proprie res illae sunt, quas in ecclesiis vestris ferre non possumus.* [*h*]

(*f*) Synod. Gergol. cap. IV. artic. XX. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 243. n. XXI.)
(*g*) Synod. Vitriac. II. cap. IX. art. III. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 108. n. II.)
(*h*) Dall. *Replique à Messieurs* Adam & Cottiby. Part. II. cap. X. p. 71.

PRAE-

PRAECLARVM hoc testimonium est & generosa praxeos ecclesiarum *Germanicarum* & *Anglicanae* vindicatio a superstitionis, idololatriae ἐθελοθρησκείας obiectione in obseruatione festiuitatum. Et bene notandum est, quod si ecclesiam nomine alicuius sancti vocare idem sit atque eam honori istius sancti consecrare aut vlla alia ratione superstitiosum, vti quidam inter nos contendunt: ipsa *Geneua* huius culpae tam rea sit, quam locus quisquam alius, ideo quod ecclesias siue templa sua nominibus *S. Petri* & *S. Geruasii* appellant. cetera.

PLVRA alia huiusmodi testimonia adduci poterant, addam autem tantummodo iudicium CALVINI, & dicam nonnihil de praxi *Geneuensium* respectu obseruationis dierum festorum.

ECCLESIAE *Geneuensis* consuetudo quasdam mutationes hae in re subiit, quemadmodum CALVINVS in epistola sua ad *Hallerum* theologum *Tigurinum* narrat, quam sui defendendi caussa scripsit, vt *Heluetiis* persuaderet, se non fuisse suasorem nec impulsorem ad abrogandos dies festos, vti quidam ipsum falso accusauerant. *Ego sancte testari possum*, inquit, *me inscio ac ne optante quidem hanc rem fuisse transactam. - - Priusquam vrbem vmquam ingrederer, nullae prorsus erant feriae praeter diem dominicum. Quae apud vos celebrantur, eodem plebiscito acceptae sunt, quo ego & Farellus fuimus expulsi: idque improborum violentia tumultuose extortum magis fuit, quam legitimo ordine decretum. Ex quo sum reuocatus, hoc temperamentum quaesiui, vt CHRISTI natalis celebraretur vestro more: aliis autem diebus extraordinariae supplicationes, tabernis mane clausis, fierent: a prandio ad suas operas aut res agendas quisque rediret. Erant tamen interea praefracti quidam, qui praepostera quadam malitia a communi more dissiderent. Et varietas quum in ecclesia rite composita tolerabilis non foret, atque etiam apud exteros suspicionem gigneret, non bene ciuibus inter se conuenire: senatum hortatus sum, vt commodo remedio in posterum hoc dissidium tolleretur. Verum simul illa, quam hactenus coluerant, moderatio disertis verbis ac nominatim a me laudata est. Aliquanto post, tanquam nouus aliquis hospes, de abrogatione audiui. - - Ego tametsi neque suasor neque impulsor fui, sic tamen accidisse, non moleste fero. - - Hoc tamen testatum esse volo, si mihi delata optio fuisset,*

quod nunc constitutum est, non fuisse pro sententia dicturum. Nec tamen est, cur homines adeo exasperentur, si libertate nostra, vt ecclesiæ ædificatio postulat, vtimur; quemadmodum nec vicissim præiudicio esse morem nostrum, æquum est. [i]

HABEMVS heic CALVINI iudicium hac de re æque ac consuetudinem ecclesiæ *Geneuensis*. Quælibet ecclesia instituendorum & abrogandorum dierum festorum habet potestatem, prout ad ædificationem omnium optime facere iudicet; et regulæ ac consuetudo vnius ecclesiæ non debent esse præiudicio aut præscribere vlli alii. Mos autem cuiusque ecclesiæ sequendus est a suis ipsius membris, et illi peruicaces & refractarii sunt, qui ad eum se componere recusant. Prima sacrorum *Geneuensium* reformatio nullos dies festos præter diem dominicum concessit: et quamdiu istud decretum duraret, CALVINVS & reliqui ministri ei obtemperarunt.[k] Postea vsus festorum dierum introductus est ann. MDXXXVII ad imitationem consuetudinis ecclesiarum *Helueticarum.* Atque tum CALVINVS de illis obseruandis libenter consensit: vti non solum ex ante citata epistola, sed multis etiam aliis locis apparet. Hoc enim decretum vim & valorem retinuit vsque ad an. MDLI. quo toto durante tempore sermones habuerunt in natali CHRISTI & sollemnes preces in diebus festis aliis. CALVINVS in epistola, ad FARELLVM an.MDLI scripta, loquitur de se tanquam concionato in die memoriæ nati CHRISTI sacro, *Quum die natali*, inquit, *concione babita, inspectioni priuatæ per vnam decuriam operam dedissem, fessus domum redeo*, cetera. Et in alia epistola ita scribit: *Ex quo fuimus expulsi, quatuor festi dies cum aliis quibusdam ritibus instituti sunt. Reuersus, quum momento possem, quidquid me absente actum erat, magnæ partis applausu conuellere, placide quieui: nisi quod dissimulare non poteram, præpostere celebrari CHRISTI circumcisionem, præterito mortis die.* [l]

(i) Caluin. epist. ad Haller.

(k) Caluin. epist. ad ministr. Burensem p.63. Antequam vrbem hanc primo aduentu ingressus essem, abrogati erant dies festi omnes præter dominicum. Farello & Vireto hoc vtile visum fuerat. Ego receptæ consuetudini libenter acquieui.

(l) Caluin. ibid. p. 63.

TAN-

TANTVM igitur abest, vt horum festorum dierum, per leges præscriptorum, obseruationi se opposuerit CALVINVS, vt æquum duxerit, vnum saltem illis fuisse addendum. Eodem loco in hæc verba loquitur: *Sic mihi temperaui, vt compescerem ex aduerso, qui dies illos prorsus tollendos clamitabant. Nam qui inter principia nomen euangelio dederant, adeo ægre tulerant nouationem postea inductam, vt mihi interdum non pepercerint, quod nimis tepidus videbar. Quin etiam ad gladios semel ventum est. Quum vtrinque immodicus contentionum feruor præualeret, media ratio nobis placuerat, vt mane clausis tabernis feriæ agerentur, a prandio se conferrent ad operas ordinarias. Id ante annos nouem statutum fuit: neque tamen hoc modo sedata fuerunt certamina. Varietas enim in clausis tabernis vel apertis dissidium prodebat. Quum nec finis nec remedium inueniretur, anno elapso veni in curiam, rogaui senatum, vt modum aliquem pro sua prudentia excogitaret, quo populus in meliore consensu retineretur. De abrogatione nominatim locutus non sum. Quin potius laudaui, quod hactenus fouendæ pacis studio se ad Bernatium morem accommodassent. Quum plebiscito audiui abrogatos esse dies illos, adeo res erat inexspectata, vt propemodum obstupuerim.* [m]

REPETII hæc loca paullo fusius, vt suum CALVINO ius attribuerem & ostenderem, ipsum nec principio nec postremo ad abrogandos dies festos adiutorem fuisse *Geneuæ*, sed statuisse, in eiusmodi rebus omnes homines ad receptas leges & consuetudines ecclesiæ, in qua viuant, sese accommodare oportere. Hæc regula erat, ad quam incedebat, hoc consilium, quod dabat aliis, vti apparet ex epistola ad *Monsbelgardenses* [n], ex illa ad MENSONEM POPPIVM [o], ex tertia quadam ad Anonymum [p]; item ex libro de vera ratione reformandæ ecclesiæ [q], vbi istos dies admittit, qui quædam veluti inuitamenta sint ad colendam virtutum memoriam, quæ nos ad imitationem prouocet. Quod ipsum est omne, quidquid per regulam siue canonem ecclesiæ *Anglicanæ* requiritur.

(*m*) Caluin. ibid.
(*n*) Caluin. ep. ad Monsbelg. p. 25.
(*o*) Ep. ad Menson. Popp. p. 205.
(*p*) Ad Anonym. p. 218.
(*q*) De vera ratione reform. eccles. p. 293.

LIBRI

LIBRI QVARTI

CAPVT OCTAVVM.

De canone decimo octauo, vicesimo primo, vicesimo quarto, vicesimo quinto & vicesimo sexto: speciatim de inclinatione corporis ad nomen IESV, canone decimo octauo requisita: Quod non damnetur ab ecclesia *Gallica.*

VERBA canonis sunt, *Quando tempore diuini cultus IESV domini nostri fit mentio, debita ac submissa reuerentia ab omnibus præsentibus adhibetor, vt fuit adhuc moris vsitati.* Vbi notandum, 1. Quod hoc non præscribatur, tamquam necessarium ex mandato diuino, sed tamquam laudabilis mos ecclesiæ. 2. Reuerentia deferenda non est ipsi nomini vel vocabulo, sed personæ domini nostri IESV ad mentionem nominis eius. 3. Si quis credere non potest, hoc legitime fieri, communionem tamen cum illis, qui id faciunt, tanquam christianis fratribus colere potest. Et eatenus nobiscum sentire, ecclesiam *Gallicam* persuasus sum. Quamuis enim nullum canonem habeat, qui hunc morem iniungat, non habet tamen, qui eum damnet, neque vllus ex scriptoribus eius contra illum, vt superstitiosum & illicitum, loquitur. PETRVS MARTYR dicit aliquid, quod eum omnino vindicaverit. *Multi,* inquit, *pie genu flectunt & adorant, illis verbis euangelii auditis, ET VERBVM CARO FACTVM EST, nec tamen ipsa verba dicenda sunt adorari, verum significata.* [r]

SI res licita est & mos pius, genu flectere & CHRISTO exhibere reuerentiam, audito nomine λόγου, h. e. *verbi*, quod ex nominibus CHRISTI est: annon etiam licite & pie idem facere possumus audito alio quodam eius nomine, quandoquidem reuerentia non exhibetur ipsi nomini, sed personæ, cuius nomen est? PETRVS MARTYR sine dubio hoc æque de vno atque de altero adfirmaturus fuisset, si sermonis argumentum ipsum eo de-

(r) Petr. Mart. loc. commun. class. IV. cap. X. n. 50.

deduxiſſet. Exemplum autem ſuum modo adfert ad vindicandam genuflexionem in euchariſtia, de qua loco ſuo diſputaui copioſius.

VERVM nonnulli quærunt ex nobis, Cur eccleſia iniungat corporis inclinationem ad nomen IESV, neque vero ad nomen CHRISTI ac DEI, vel SPIRITVS SANCTI &c. Quibus reſpondeo, ſi nulla alia ratio huius rei dari poſſet, quam quod moris ſit eccleſiæ Dei, ſane ſufficiens eſſet ratio: Si vero primam huius moris originem ſpectamus, magis idonea ratio de cauſſa huius differentiæ adferri poteſt, quæ hæc fuit: Nomen IESV factum erat nomen probroſum inter *Iudæos;* Seruatori noſtrò ſemper conuiciabantur hoc nomine, vocantes ipſum per contumeliam *Ieſum magum*, et *Ieſum impoſtorem;* quæ vocabula infamiæ & opprobrii ei adfigere & propagare ſtudebant non ſolum in *Iudæa*, ſed etiam per omnem terrarum orbem. IVSTINVS enim MARTYR in dialogo ſuo cum *Tryphone* narrat, ipſos cognito, ſeruatorem noſtrum ex mortuis reſurrexiſſe, eximios delectos viros in omnem terrarum orbem *Hieroſolymis* miſiſſe, qui renuntiarent, hæreſin & ſectam quamdam impiam & iniquam excitatam eſſe ἀπὸ Ἰησȣ̃ τινος Γαλιλαίȣ πλάνȣ, a IESV *quodam Galilæo plano & ſeductore.* [s] Vt adeo nomen IESV factum eſſet nomen contumelioſum apud *Iudæos;* quum nomina *Meſſiæ* ſiue *Chriſti*, *Dei* & *Spiritus Sancti* ſemper nomina honorifica & plena reuerentiæ inter illos fuerint. Quam ob cauſſam eccleſia CHRISTI, vt peculiari dominum ſuum honore adficeret, hunc morem induxit, vt audito hoc ipſo nomine reuerentiam ei ſuam teſtaretur, quo *Iudæi* conuicium ei faciebant; oſtenſuri, IESVM, quem ipſi odio & contumeliis proſequerentur, a ſe honorari tanquam dominum ſuum ac CHRISTVM.

IAM ſi hæc huius moris origo fuit, vti HIERONYMVS ZANCHIVS [t] & alii quidam viri docti ſtatuunt, et ex teſtimonio IV-

(s) Iuſtin. Mart. dial. cum Tryphon. p. 335. Οὐ μόνον οὐ μετενοήσατε, μαθόντες αὐτὸν ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν, ἀλλ' ἄνδρας χειροτονήσαντες ἐκλεκτοὺς εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐπέμψατε, κηρύσσοντας, ὅτι αἵρεσίς τις ἄθεος καὶ ἄνομος ἐγήγερται ἀπὸ Ἰησȣ̃ τινος Γαλιλαίου πλάνου.

(t) Zanch. comm. in Phil. II, 10. tom. VI. p. 128. Hæc eſt cataſtrophe huius nominis Ieſu, quod, quum antea ab omnibus fere Iudæis blaſphemaretur,

STINI MARTYRIS, quod modo citaui, probabile & prope verum videtur; fatendum omnino est, fuisse eum in principio vere pium; et nisi grauis quædam superstitio tractu temporis in illum irrepsit, nunc tanquam vitiosus damnari nequit. Quæ corruptela in priuatorum hominum mentes irrepserit, ego nescio. Si qui nomen ipsum adorant aut genua flectunt CHRISTO sine deuotione animi, ipsi suæ culpæ pœnam luent; ecclesia eiusmodi superstitionis & præposteræ deuotionis adiutrix non est. Quidquid illa exigit, hoc est, " Vt homines externo gestu internam " animi deuotionem debitamque confessionem testentur & hac " re declarent, Dominum IESVM CHRISTVM, æternum " Dei filium, esse vnum solum redemtorem mundi, in quo so- " lo omnis misericordia, gratia & promissio Dei erga mortales " pro hac & futura vita plene & omnino comprehendatur," quemadmodum canon reddit. Quam rem *Iudæi* adhuc negant, nec solum negant, sed *IESV Nazareno* in hodiernum vsque diem in libris suis ritualibus et scriptis Talmudicis maledicunt & conuiciantur: vti SIXTUS SENENSIS & HVGO GROTIVS [u] & alii viri docti, qui de illis compertum habent, fidem nobis faciunt.

QVID igitur noxæ fraudiue nobis est, vbi reuerentiam aduersus CHRISTVM ad istius nominis mentionem adhibemus, quod *Iudæi* adhuc odisse & blasphemare pergunt? ZANCHIVS dicit, " initio fuisse consuetudinem non improbandam & confirma- " tam contra *Arianos* & alios hæreticos; sed postea versam esse " in superstitionem, vt multa alia pie & sancte instituta". [w] Si vero ab omni superstitione liberari potest, tum vsus eius laudabilis adhuc erit. Atque ita ABRAHAMVS SCVLTETVS rem pru-

post mortem, patefacta eius deitate, ab omnibus adoratur, ita vt ad solam mentionem nominis Iesu omnes ei genua flectant. Atque hinc non dubito, quin profecta sit illa antiquissima consuetudo in ecclesiis, vt quum nominetur Iesus, omnes aperiant caput in testimonium reuerentiæ & adorationis.

(u) Grot. in Luc. VI, 22. Otho lexic. Rabbin. p. 79. Sixt. Senens. bibliothec. lib. II. p. 129. Ter quotidie orantes in odium Iesu Nazareni.

(w) Zanch. l. c.

den-

denter determinat; *Si cum animi deuotione,* inquiens, *id fiat, laudandum; sin autem, vituperandum.* [x]

SVNT aliæ quædam præceptiones in eodem hoc canone, contra quas nonnulli excipiunt, cuiusmodi illa est, quod præsentes oporteat esse aperto capite per omne tempus diuini cultus & genu flectere ad confessionem, litaniam aliasque preces, & adsurgere ad recitationem symboli, euangelii, &c. Verum de his libro proxime antecedente verba feci, adeoque illa heic repetere necesse non habeo. [y]

EAMDEM ob caussam exceptiones prætereo, quæ contra canonem vicesimum primum offeruntur, qui omnes parochianos ad eucharistiam ter quotannis sumendam, & ministros ad tradendum panem & vinum singulis communicantibus separatim obstringit. De illis enim dixi, quando de communione tractaui. [z]

CANONES vicesimus quartus & vicesimus quintus loquuntur de vestibus, superpelliceo, trabeis &c. Enimuero argumenta BAXTERI, quæ obtendit, iam dilui, tractans de rubrica in precibus communibus, quæ dicit, omnia ornamenta in vsu retinenda esse, quæ anno secundo regni *Eduardi* VI instituta sint. [a]

CANON vicesimus sextus prætermittendus non est, non quod vllas obiectiones contra illum inueniam, sed quia quorumdam confidentiam pariter & ignorantiam refellit, qui ecclesiam nostram priuatis ministris nullum disciplinæ exercitium ordinarie permittere dictant, quum tamen expressa huius canonis verba hæc sint: *Nullus minister vlla ratione illos ex curæ suæ commissis ad recipiendam sacram eucharistiam admittat, quos in manifestis flagitiis viuere constat, sine resipiscentia, nec vllos, qui malitiose & aperte cum vicinis litigant, donec reconcilientur, nec hierophylaces &c. qui iusiurandum violant, dum eiusmodi facinora & publica scandala deferre nolunt, quæ in parœciis eorum committi ipsi norunt.* Hoc congruit cum rubrica in officio pro communione, quæ mi-

(x) Scultet. idea concion. in Iesai. XLV, 23.

(y) Vid. supr. lib. III. cap. IX & XI.

(z) Vid. lib. III. cap. XIV.

(a) Vid. lib. III. cap. VII.

niſtro auctoritatem dat homines manifeſte nequam & improbos a menſa Domini arcendi; id quod non debet accipi cum illa reſtrictione, quam ei nonnulli adfingunt, quaſi tantum homines formaliter & iudicialiter excommunicatos, aut per legem ciuilem ſceleſtos declaratos intelligat, ſed eiuſnodi homines omnes, quos miniſter certo nouit publicorum plenorumque offenſionis criminum reos eſſe, in quibus ſine reſipiſcentia perſiſtant; quemadmodum viri eruditi [b] id ſcite interpretantur.

LIBRI QVARTI
CAPVT NONVM.

De canone viceſimo ſeptimo, qui ſchiſmaticos ad communionem admitti vetat: canone viceſimo octauo, qui communionem peregrinis denegat; Canone viceſimo nono, qui patres liberorum ſuorum ſuſceptores ad ſacrum fontem eſſe prohibet: triceſimo, qui vſum crucis in bapriſmo explanat: triceſimo ſexto, qui miniſtrorum ſubſcriptionem exigit: triceſimo octauo, qui cenſuram rebellibus poſt ſubſcriptionem denuntiat.

HOSCE canones vniuerſos, ſi ab vltimo diſceſſeris, iam ſupra conſiderauimus. De viceſimo ſeptimo, qui ſchiſmaticos ad communionem admitti vetat, niſi reſipiſcentiam profiteantur; et de viceſimo octauo, qui peregrinos ad ſuam ipſorum parochiam remittit, vt illic euchariſtiam participent, diximus libro I. cap. VI. vbi de communione ſic dicta occaſionali loquuti ſumus. Viceſimus nonus, qui patres vetat eſſe ſolos ſuſceptores liberorum ſuorum, etiam ſupra libr. III. cap. XX. vindicatus eſt, vbi de ſponſorum ſeu ſuſceptorum vſu in eccleſia *Gallicana* diſſeruimus. De triceſimo, qui vſum ſigni crucis in baptiſmo explanat, eodem libro cap. XVII actum eſt. Triceſimus ſextus, qui miniſtrorum ſubſcriptionem requirit, conſideratus eſt vberius libr. I. cap. III. vbi de ſubſcriptione in genere egimus, & libr. II. cap. I.

(b) Vid. Stillingfl. *Unreaſonableneſs of Separation*, part. III. n. 15. p. 295. Et Sherlock's *Defence of* Stillingfleet p. 103.

quod

quod de ſubſcriptione articulorum tractat. Et libr. III. cap. I. II. & III. vbi de negotio adſenſus & conſenſus & de vſu præſcriptarum formularum in libro communium precum agitur. Et de ſubſcriptionibus libri de ordinandis epiſcopis, presbyteris & diaconis iam tractauimus in hoc ipſo libro cap. V. vbi de canone octavo diximus. Vnus igitur & ſolus ille canon, de quo aliquid hoc ipſo capite ſumus dicturi, viceſimus octauus eſt, qui rebellibus poſt ſubſcriptionem cenſuram denuntiat in hunc modum: *Si quis miniſter, poſtquam memoratis tribus articulis ſemel ſubſcripſit, vſum formularum precum, aut vllos ordines cærimoniarum, in libro communionis præſcriptarum, omiſerit, ab officio ſuſpendatur: Et ſi poſt elapſum menſis ſpatium non reſipiſcat nec ſe ſubmittat, excommunicetur: Et ſi intra alius menſis interuallum ſe non ſubmittat, miniſterio excludatur.*

BAXTERVS ait, " hoc eſſe excommunicare homines ideo, " quod de peccato doleant, & eiuſmodi excommunicationis " abuſum, de quo loquatur ſeruator noſter", *Veſtrum nomen tamquam malum abiicient*, cetera. [c]

PERICLITEMVR autem, annon eccleſia *Gallica* excommunicatione in eumdem modum abutatur, vt phraſin BAXTERIANAM hac de re adhibeamus. Canon habetur in libro diſciplinæ, quem iam ſæpius recitauimus, heic autem adhuc ſemel producere neceſſum habemus, ita decernentem: *Si quis paſtor vel ſenior vnionem ſoluerit eccleſiaſticam, aut contentionem de capite quodam doctrinæ vel diſciplinæ, cui ſubſcripſit vel de formula catechiſmi, vel de adminiſtratione ſacramentorum, vel de publicis precibus & benedictione coniugum excitauerit; nec ſe ad colloquii determinationem conformare voluerit: miniſterii ſui functionibus arceatur, a ſynodo prouinciali vel nationali vltra perſequendus.* [d]

HVNC autem canonem puto exacte congruere cum canone noſtro. Rebelles poſt ſubſcriptionem ſuſpendendi ab officio ſunt a colloquio; et ſi ſe non emendauerint, nec ſubmiſerint, a ſynodo prouinciali & nationali dicuntur vlterius perſequendi. Quid enim vlterior perſecutio eſſe poteſt, niſi depoſitio vel excommu-

(c) Baxt. *Engl. Nonconf.* cap. XXXI.

(d) Diſcipl. eccleſ. Gallic. cap. V. can. XXXII.

nicatio? Et si synodus eos excommunicat, quilibet minister in *Gallia* iuramento obedientiæ canonicæ tenetur excommunicationem publicare, si id quidem ab ipso requiratur. Vt proinde, si canon noster tam duris nominibus insigniri meretur, quæ BAXTERVS ei tribuit, quando dicit, eum nos adigere ad excommunicandos homines ideo tantum, quod de peccato doleant, subscriptionem intelligens; non video, quo modo disciplina ecclesiæ *Gallicæ* purgari possit, aut qua via regulæ illius effugere queant eamdem animaduersionem.

PRAETER hunc canonem multas habent regulas eiusdem argumenti. In eodem libro disciplinæ inter alia crimina, propter quæ ministri officio moueri possunt, "vnum est repudiatio con-" "filiorum consistorii, alterum schisma, tertium aliquod rebellio" " contra disciplinam ecclesiasticam". [e] Si post admonitionem & suspensionem ad ecclesiæ ordinem sese non conformant, tunc deponendi dicuntur.

SYNODVS *Alesiensis* an. MDCXX habita, loquens de rebellibus aduersus disciplinam ecclesiæ, ait, *Colloquia, consistoria & synodi infligent eis extremam censuram excommunicationis.* [f]

SYNODVS *Montalbanensis* an. MDXCIX celebrata. *Ministri nihil mutabunt*, inquit, *in formula publicarum precum & administrationis sacramentorum: quum omnia prudenter & pie maximaque ex parte planis & disertis scripturæ sacræ verbis præscripta sint.* [g]

IAM compara hosce canones & vide, quo redeant. Ministri vetantur quidpiam in formula precum &c. mutare; Si faciant, suspensioni sunt obnoxii; si suspensi obstinate persistant, pro rebellibus contra disciplinam ecclesiæ habendi, & vt tales depositione vel excommunicatione plectendi dicuntur.

ALIOS canones habent *Galli*, quibus homines suspendi iubent ob neglectionem regularum, de concionando præscriptarum; quorum vnum vel duo heic memorare non ab re fuerit. Liber disciplinæ canone quodam hæc mandata concionatoribus

(e) Discipl. eccl. Gall. cap. I. art. XLVII.

(f) Synod. Alef. cap. X. art. XXII. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 182.)

(g) Syn. Montalb. cap. IV. artic. XIX. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 181.)

dat:

dat: *Numquam concionabuntur, nisi sermonis sui argumentum habeant textum aliquem e scriptura sacra. - - Vitabunt omnes minus necessarias amplificationes, longas digressiones, nimiam locorum scripturæ sacræ accumulationem & vanam variarum ac diuersarum explicationum recitationem. Admodum raro adducant veterum patrum scripta, numquam vero historias & auctores profanos; Non tractabunt doctrinam, methodo quadam scholastica vtendo linguasque orationi admiscendo. In summa, fugient id omne, quod ad ostentationem facit, aut vllam eius suspicionem dare potest. Ad quæ diligenter obseruanda consistoria, colloquia & synodi operam suam commodent.* [*b*] Quid vero per operam commodandam intelligant, explanatur in synodo *Vapincensi*, quæ eos omnes ab officio suspendi iubet, qui ante memoratas regulas non obseruauerint. *Omnibus synodis prouincialibus, colloquiis & consistoriis mandatur, vt, si grauissimas censuras effugere velint, illis diligenter attendant, qui articulo duodecimo libri primi disciplinæ nostræ contraria faciunt, eosque suspendant a ministerio: Iidem censuris obnoxii sint, qui vero & genuino sensu scripturæ relicto glossas patrum & scholasticorum adsumunt, in allegorias se diffundunt, sermonibus suis ratiocinationes philosophicas admiscent, patrum scripta in pulpito producunt, item illi, qui tempore quadragesimali eosdem textus, quos concionatores pontificii, sibi eligunt.* [*i*]

PLANVM heic est, omnes, qui has regulas de concionandi ratione præscriptas, transgrediuntur, esse suspendendos; quod si vero rebelles fuerint contra disciplinam ecclesiæ, aut consistorii consilia reiecerint, per regulam illam synodi *Alesiensis* & disciplinæ cap. I. art. XLVII. officio mouendos & excommunicatione plectendos esse. Equidem nescio, quid BAXTERVS de his canonibus cogitaturus vel dicturus, aut quatenus se ad illos accommodaturus fuisset in habendis concionibus, vel adficiendis censura transgressoribus: certus tamen sum, post omnes tragicas vociferationes illius contra ecclesiæ *Anglicanæ* canonem, nihil in eo reperiri, nisi quod per regulas disciplinæ ecclesiæ reformatæ *Gallicæ* defendi possit & vindicari.

(*b*) Discipl. eccl. Gall. cap. I. art. XII.
(*i*) Syn. Vapinc. cap. III. art. IV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 260.)

LIBRI

LIBRI QVARTI
CAPVT DECIMVM.

De canone vndequinquagesimo, qui ministros, concionandi licentiam haud habentes, vetat scripturam explicare &c. Quod idem re ipsa fiat in ecclesia *Gallica.*

VERBA huius canonis sunt, *Nemo, qui non est examinatus & approbatus ab episcopo diœcesis, nec licentiam tamquam idoneus & aptus concionator nactus, audeat scripturam aliquam aut materiam doctrinalem in parochia sua aut alibi explicare, sed tantum homilias iam editas aut posthac cum legitima auctoritate in veræ fidei confirmationem & salutarem populi instructionem atque ædificationem publicandas, sine vlla commutatione, plane & recte legere studeat.*

BAXTERVS grauiter in hoc canone offenditur & more solito argumentatur. *Obligat nos*, inquit, *ad committendum sacrilegium, perfidiam & crudelem inhumanitatem.* 1. *Homines efficiuntur ministri CHRISTI & simul prohibentur id facere, ad quod ordinantur.* 2. *Rei reddimur dissoluti voti nostri, vbi ad faciendum illud nos adduxerunt; et proditarum humanarum animarum, dum omittimus officium, ad quod nos religiose obstrinximus.* 3. *Prohibemur ab eo faciendo, quod est cuiusuis christiani laici, qui aptus est, officium: quasi ipsam religionem & caritatem suppressam velint.*

HAEC beneuolentia & caritas omnis est, quam habet in religionem filiorum ecclesiæ *Anglicanæ!* Ego primum ostendam, quæ fuerit ecclesiæ *Gallicanæ* praxis hac in re, deinde rationes eius contra canonem *Anglicanum* examinabo.

QVOD ad ecclesiam *Gallicanam* attinet, obseruamus, eam eidem infelici necessitati multis annis post reformationem subiacuisse, cui subiacuit ecclesia *Anglicana;* hoc est, eam in multis regni *Galliarum* partibus non potuisse cœtibus suis aptos & idoneos inuenire concionatores, qui sermones de suo penu in vsum popu-

populi componerent; ſed talibus deficientibus coactam eſſe mandare, vt homiliæ CALVINI in librum *Iobi* publice prælegerentur. Et BEZA hoc maximo cum fructu illis in locis, quibus quotidiani paſtores deeſſent, factitatum eſſe adfirmat. [k]

LVDOVICVS CAPPELLVS hanc materiam dedita opera conſiderauit ſententiamque ſuam verbis declarauit ſequentibus: *Poſtillæ & homiliæ aliæque eiuſmodi ſacrarum concionum certæ & præſcriptis verbis conceptæ formulæ, quantum fieri poteſt, ab eccleſiæ vſu arceri debent, non quod ſit earum vſus prorſus & ſimpliciter illicitus penitusque prohibitus, ſed quod paſtoribus ſit puluinar ignauiæ & ſocordiæ & fomes ignorantiæ. Quia tamen vbique, ruri maxime & in pagis atque villis, in tanta eccleſiarum ruſticanarum frequentia & multitudine, non facile haberi poſſunt tot paſtores docti, eruditi & idonei, qui ipſi per ſe conciones ad populi ædificationem perpetuo nouas pro re nata & diuerſis occaſionibus cudere & condere poſſint, ſatius eſt multo, vel poſtillas dominicales, vel integras etiam homilias, publica eccleſiæ auctoritate a viris piis & doctis confectas, populo ab iis legi & recitari, quam nihil omnino dici.* Ad confirmandam hanc ſuam opinionem & ſententiam auctoritatem & morem eccleſiæ *Anglicanæ* adducit, atque ita pergit: *Id factum etiam eſt olim in Anglia, quum reformatio illic eſt primum introducta; vna enim cum liturgiæ formula confectum eſt homiliarum craſſum volumen, quæ ſingulis dominicis & diebus feſtis populo prælegebantur ab illis paſtoribus, qui de ſuo proprias habere non poterant. Idem dicunt olim a Carolo Magno in Gallia procuratum eſſe, cuius iuſſu Alcuinus eius præceptor fertur homilias conſcripſiſſe, quæ toto anno ſecundum ordinem feſtorum & dominicarum populo prælegebantur. Quis vero neſcit, toto pene Oriente, meridie & Septentrione, extra Europam in Aſia & Africa nullos pene eſſe hodie inter chriſtianos paſtores idoneos, qui ſacras conciones ad populum de ſuo penu habere poſſint? Annon ſatius eſt, illic alienas, quam nullas omnino habere?* Hactenus CAPPELLVS. [l]

(k) Bez. præfat. in Caluin. homil. in Iobum.
(l) Capp. differt. de liturgiæ formulis conceptis, part. III. n. IX. X. inter theſes Salmur. p. 658. 659.

VIDEMVS, rationem ecclesiæ *Gallicæ* & *Anglicæ* fuisse eamdem. Non optio sed necessitas fuit, quæ vtramque adegit ad ineundas optimas, quas poterant, vias. Tantum etiam abest, vt scriptores *Gallicani* ad damnandam hoc nomine ecclesiam *Anglicanam* BAXTERO se adiungant, vt auctoritate ecclesiæ nostratis vtantur ad vindicandum ecclesiæ suæ morem, homilias populo prælegi iubentis illis in locis, vbi pastores ad habendos sermones, a se ipsis conscriptos, non satis apti & idonei sunt. Alibi [m] ostendi, ecclesias *Belgicas* idem fecisse, siquidem HENRICI BVLLINGERI decades loco sermonum ab initiis reformationis legi iusserunt.

AVDIAMVS iam BAXTERI argumenta contra ecclesiæ nostræ canonem & consideremus, quo redeant. 1. *Homines*, inquit, *efficiuntur ministri Christi & simul probibentur id facere, ad quod ordinantur.* Num vero aliqui ordinantur ad habendos sermones de suo compositos, siue ad eos componendos apti fuerint, siue non? Supposito, ordinationem esse votum, siue dedicationem sui ad sacrum illud officium, quemadmodum ipse & nos dicimus: An officium omne consistit in habendis sermonibus, ab ipso ministro confectis? Quid tum statuendum erit de omnibus ecclesiis *Orientis*, *Meridiei* & *Septentrionis*, in *Asia* & *Africa*, vbi CAPPELLO commemorante ministri haud idonei sunt, qui sacras conciones ad populum de suo penu habeant, sed homilias alienas legunt? Num isti ministri dissoluti voti rei sunt? An nulla sacri officii administratio inter illos? An omnes istæ ecclesiæ *Gallicæ* & *Belgicæ* sine sacro officio concionandi fuerunt, quæ nullos sermones habuerunt præter homilias CALVINI & decades BVLLINGERI ipsis prælegi solitas? Cur hoc non fuerit prædicare verbum Dei populo, si hi sermones legantur ex libro quodam typis excuso, æque ac si primum a BVLLINGERO vel CALVINO pronuntientur, dummodo id fiat a publico ministro, ad diuinum ministerium obeundum debitis ritibus constituto? Contraria notio, quam tuetur BAXTERVS, tam absurda est in se & tam contumeliosa in dimidium pene orbem christianum, (ecclesias, de quibus BAXTERVS alias honorifice lo-

(m) Lib. II. cap. XI.

quitur

quitur ad easque ſæpe prouocat) vt in gratiam illorum cœtuum huic argumento parcere potuiſſet, etiamſi nullam eccleſiæ *Anglicanæ* habuiſſet rationem.

2. AIT, *Hic canon reos nos facit diſſoluti voti noſtri, quando eccleſia ad faciendum illud nos adduxit, & proditarum humanarum animarum, dum omittimus officium, ad quod religioſe nos obſtrinximus.* Optime hæc intelligentur, ſi promiſſum miniſtri in ordinatione ſua conſiderauerimus, quod eſt pactum & votum, de quo tam multa loquitur BAXTERVS. Si enim nihil in promiſſo, quod in ordinatione facimus, ineſt, niſi quod cum hoc canone conſiſtere poteſt, et cum praxi reliquarum eccleſiarum omnium congruit, totum argumentum eius concidit.

IAM vero pactum, quod fit in ordinatione, mea quidem ſententia idem eſt, quod in aliis fit eccleſiis. In noſtra formula ſic habet. " *Quæſt.* Statuiſtine, populum curæ tuæ commiſſum " ex ſcripturis inſtruere? *Reſp.* Sic, ſtatui per Dei gratiam. " *Quæſt.* Viſne omnem ſemper diligentiam adhibere, vt ſic tradas doctrinam & ſic miniſtres ſacramenta & diſciplinam CHRISTI, vti Dominus mandauit, cetera; vt doceas populum fidei " & curæ tuæ commiſſum cum omni diligentia, vt eamdem cuſtodiant & obſeruent? *Reſp.* Volo, adiuuante Domino. *Quæſt.* " Viſne eſſe paratus, cum omni fidelitate & diligentia, ad repudiandas & expellendas omnes erroneas & peregrinas doctrinas, verbo diuino contrarias, et ad adhibendas publicas & " priuatas admonitiones, tam in ægrotos, quam in vniuerſam " plebem curæ tuæ commiſſam, prout neceſſitas requiſierit & tulerit occaſio? *Reſp.* Volo, adiuuante Domino ".

BAXTERVS inurbane & pene inhumane commouetur animo ad hæc, *Nonne eſt perfidia*, inquiens, *homines ad hæc vota omnia adlicere, deinde autem illis non permittere, vt concionentur aut vllam doctrinam exponant*, cetera? *Nonne hoc ad ſacrilegam religionis prohibitionem accedit prope?* Non reponam maledicto maledictum, ſed paucas quaſdam quæſtiones æquiores magiſque appoſitas inſtituam. 1. Num hoc votum quempiam obligat ad prædicandum euangelium vna eademque ratione? 2. Num legere ſcripturas & homilias non eſt prædicare verbum Dei populo? An, ſi quis, qui plus præſtare nequit, hoc fideli-

ter & ſtudioſe faciat, non ſoluit votum, in ordinatione nuncupatum, quam poteſt optime? Si quis dixerit, Nequaquam; is reſpondeat oportet pro conſuetudine eccleſiæ *Gallicanæ*. 3. Nonne omnes paſtores, non obſtante voto ordinationis, certis regulis legumque eccleſiaſticarum & diſciplinæ limitibus, quod ad particulare functionis ipſorum exercitium, circumſcribuntur? Perſuaſum habeo, eos in eccleſia *Gallica* circumſcribi. Nam capite vltimo probaui, miniſtros illic præciſa forma & methodo concionandi adſtrictos eſſe, quam transgredi eis non liceat ſub pœna ſuſpenſionis, depoſitionis & excommunicationis. Tenere ſe debent eccleſiis ſuis parochialibus, nec huc & illuc vagari ac concionari, vbicumque ipſis libeat. *Miniſtri ne vagentur*, inquit diſciplina, *per eccleſias nec libertatem habeant propria auctoritate ſe ingerendi, vbi eis placuerit.* [*n*] Quod ſi fecerint, depoſitioni ſe reddunt obnoxios. Iam autem hoc puto dici poſſe, homines certis regulis & præceptionibus in habendis ſermonibus adſtringere, quas niſi obſeruent, concionari eis prorſus non licet, non obſtante pacto & voto, quod fecerint in ordinatione. 4. Quæro, Annon omnes concionatores ad cuiusvis eccleſiæ regulas & ordines ſe conformare oportet, quibus ſubſcripſerunt, & quos in concionibus, precibus, adminiſtratione ſacramentorum ſe obſeruare velle promiſerunt? 5. Si ſeſe non conformant, annon propterea legitime ab officii adminiſtratione ſuſpendi aut prorſus excludi poſſunt, æque ac ſi doctrinam hæreticam proponerent? 6. Annon, ſi per legitimam auctoritatem ſilentium eis impoſitum, aut officium abrogatum eſt propter iſtam regularum repudiationem, ſeſe ſubmittere & a concionando deſiſtere debent (vſque dum ab eadem auctoritate nouam licentiam adipiſcantur) non obſtante voto, quod in ordinatione fecerunt? Si quis ad has quæſtiones vniuerſas reſponderit negando, quemadmodum BAXTERVS vi principiorum ſuorum facere cogitur, & exiſtimauerit, neceſſitatem ſibi imponi prædicandi euangelium, nulla regularum & ordinum eccleſiæ, qui ipſum vllo modo ab iſto negotio prohibere velint, habita ratione: eum cupio reſpondere & cauſſam dicere pro diſciplina & praxi eccleſiæ *Gallicæ*,

(*n*) Diſcipl. eccl. Gall. cap. I. art. XXIV.

quæ

quæ omnes miniſtros ſuos obligat ad ſubſcribendum regulæ, quam de concionibus, precibus, ſacramentorum adminiſtratione & reliquis diſciplinæ partibus omnibus dedit; et ſi hiſce regulis non agant conuenienter, a functionibus ſacris eos ſuſpendit ipſoque munere exuit: ſi vero rebelles contra diſciplinam eius & concionati fuerint, ad ſilentium redacti, grauiſſimæ excommunicationis cenſuræ obnoxios reddit, quemadmodum ſupra tam dilucide demonſtraui, vt contradictioni locus nullus ſuperſit.

CONSECTARIVM eorum omnium eſt hoc: Aut hominibus certi fines & termini, ratione officii concionandi, conſtitui poſſunt, non obſtante voto in ordinatione facto; aut eccleſia *Gallica* grauiter peccat, dum miniſtros ſuos tot limitibus circumſcribit, ratione exercitii donorum & talentorum ſuorum, poſtquam eos ordinauit. Vt phraſi vtamur *Baxteriana*, perfide homines ad vota concionandi adlicit, & hoc facto illis non permittit, vt concionentur. Quod ſi vero hic ſit iniuſtus eccleſiæ *Gallicæ* character, non minus iniuſta criminatio eſt, qua in eccleſiam *Anglicam* vtitur auctor noſter.

3. ID, quod tamquam nouum argumentum BAXTERVS offert, adhuc maior criminatio eſt, quando, *Prohibemur*, inquit, *ab eo faciendo, quod eſt cuiusuis chriſtiani laici, qui aptus eſt, officium; quaſi ipſam religionem & caritatem ſuppreſſam velint.* Miror, vbi fuerit BAXTERI caritas, quando hæc verba pronuntiauit. Quaſi ſit cuiusuis chriſtiani laici, componere ſermones eosque publice habere ad populum? Canon haud vllis inſtructionem prohibet priuatam, ſiue ſint concionatores licentia inſtructi, ſiue non ſint; ſed eos, qui ad ſermones de penu ſuo componendos non ſatis apti ſunt, tantum coërcet ad prædicandas ſcripturas & homilias, legitima auctoritate in populi inſtructionem editas. Idem vero neceſſitate flagitante fit in eccleſia *Gallicana.*

4. QVID autem hoc ſibi vult, quod ſacerdos prohibetur populum docere in eccleſia? Si per docere intelligit prædicare ſcripturas, vel homilias aut alias publicas formas ab eccleſia compoſitas, falſum eſt, quod vllus ſacerdos prohibeatur populum docere in eccleſia. Si vero exiſtimat, non poſſe populum doceri, niſi ſermones recitentur, quos miniſter ipſe per ſe cuderit & condiderit; iam probaui, id eſſe abſurdum & ſenſui eccleſiæ *Gallica-*

næ contrarium, quæ vrgente necessitate eiusmodi sacerdotibus tantum homilias legere permittit, neque tamen illis se putat interdicere, ne populum doceant.

5. *ENIM VERO si lectio scripturarum & homiliarum homines idoneos reddit ad sacerdotium, potest omnino quispiam esse sacerdos, qui nihilo plus cognitionis habet, quam homo infidelis & atheus; et si legendi scientia quempiam ad beneficium ecclesiasticum aptum reddit, multi non studebunt fieri doctiores & plebs eos adeo ex ista scientiola æstimabit.* Fac, rem ita se habere, annon æque in *Gallia* ita se habebit atque in *Anglia*? Ignorare BAXTERVS non potuit, regulas nostras eiusmodi homines non admittere, si manifesti athei sint vel infideles. Quod si tales sint secreto, plus scientiæ habuerint, quam requiritur, vt sacerdotes efficiantur; quin immo fieri potest, vt ordinentur sacerdotes, neque tamen vlla ecclesia rem norit, aut ei mederi possit. *Iuliani* & *Iudæ* fortassis in quauis communione ecclesiastica sunt, non obstante, quæcumque ad præueniendum hoc malum adhibetur, cura. At enim vero si legendi scientia quempiam aptum reddit ad beneficium ecclesiasticum, multi non studebunt fieri doctiores, & plebs adeo eos ex ista scientiola æstimabit. Quid hoc ad rem? Ecclesia nostra nunquam admittit meros lectores, nisi vrgente quadam necessitate, vti omnes ecclesiæ facere coguntur, vbi meliores habere non possunt. Non est hæc, Deo sit laus, in præsenti ecclesiæ nostræ conditio, neque proinde tantum ab otioso quodam & indocto clerico periculum est. Quum enim ecclesia sufficienti idoneorum concionatorum numero instructa sit, hominibus aut elaborandum est, vt maiorem quam legendi scientiam acquirant, aut verendum, vt beneficia ecclesiastica consequantur. Atque ita BAXTERO metus hinc exspectandi contemtus clericorum ademtus est.

6. VERVM superest adhuc grauissima obiectio, propter quam reliquæ omnes factæ sunt. *Hic canon*, inquit, *facit, vt ministerium ex arbitrio & voluntate pendeat episcopi. Ille nos muneri atque officio præesse iubet, quod quum fecit, ab eo nos probibet. Quemadmodum multi ab illo probibentur per nouum actum vniformitatis, quibus licentia concionandi negatur sine noua professione,* cetera. *Et olim excellentes viri, quibus dignus non erat mundus,*
Guili-

Guilielmus Amesius, *Rudolphus Bainus*, *Henricus Parkerus*, *Arthurus Hildershamus*, *Ioannes Dodus*, ceteri, *a concionando prohibiti sunt.*

SVMMA huius incusationis eo tantum redit, Quod episcopi sint homines arbitrarii, quia agunt secundum legem & canonem. Ego putabam, potestatem arbitrariam significare rem prorsus aliam, nec fieri posse, vt homines sint arbitrarii, quoad secundum regulas agere debent, quemadmodum certus sum episcopos nostros debere, quum licentiam concionandi & eiusmodi res alias largiuntur. Si homines idonei sunt per legem, vt licentiam obtineant, episcopus illis eam denegare non potest; sin autem non sunt idonei, non est episcopi arbitrium & voluntas, sed lex, quæ illam eis denegat. Atque hæc est Nonconformistarum conditio, Non est episcopi voluntas, sed lex, quæ illis denegat licentiam. Eadem quoque lex in *Gallia* illis licentiam denegat; quemadmodum ex caussa *Morelli* & *Ioannis Welchii* atque ex iis, quæ capite antecedente aliisque huius libri locis [o] disseruimus, apparet. Vt adeo, si qui fuerint vel excellentissimi viri aliis respectibus, si ad leges & disciplinam ecclesiæ *Gallicæ* se conformare recusauerint, colloquia & synodi tantum potestatis arbitrariæ (si rem sic vocare nobis necesse est) habeant denegandi eis licentiam aut imposito silentio eripiendi, aut officio eos mouendi, quantum vllus episcopus in *Anglia* habet. Neque vero ministri in *Gallia* hanc potestatem crediderunt esse illicitam, aut sibi licere contra illam agere. Quin etiam hoc addam, oportet, hosce excellentes viros, de quibus loquitur BAXTERVS, in eadem fuisse opinione. Præditi erant hac excellenti animi indole, (quam rem, etsi mentionem illius faciendam haud duxit auctor, in laudem eorum heic commemoro) vt, quum ob nonconformitatem suam silentium illis impositum esset, non existimarent, se pacto & voto ordinationis obstringi ad instituendos conuentus separatos, aut ad concionandum contra ecclesiæ regulas suorumque antistitum voluntatem. Tres ex quinque istis, quorum meminit BAXTERVS, hanc opinionem habuisse, certo scio. PARKERVS contra separatio-

(o) Vid. lib. I. cap. V. & lib. IV. c. III.

nem

nem ſcripſit, inter alia his verbis de illa vſus: *Vtinam*, *o vtinam*, *nata numquam fuiſſet?* [p]

HILDERSHAMO, *Eliſabetha*, *Iacobo I.* & *Carolo I.* regnantibus, quater impoſitum fuit ſilentium, neque tamen ex impreſſis eius prælectionibus in pſalmum quinquageſimum primum apparet, eum vmquam in iſtis interuallis ſibi arrogaſſe concionandi libertatem. [q]

DODVS concionari recuſauit, ob negatam ſubſcriptionem anno tertio regni *Iacobi* concionandi licentia priuatus. Quid? quod certo cuidam miniſtro, qui illum argumento *Baxteriano*, a voto ordinationis petito, vrgebat, *Eſſe eum miniſtrum non hominis ſed Ieſu Chriſti*, reſpondit, *eſſe ſe vtique miniſtrum Ieſu Chriſti*, *ſed per hominem non a Chriſto, vti ſoli apoſtoli fuerint; adeoque ſi per leges hominum prohibeatur concionari*, *ſe debere obedire*. Neque vmquam concionatus eſt, donec, *Knightlius* patronus ipſius a *Georgio Abboto*, archiepiſcopo *Cantuarienſi*, licentiam ei procuraſſet. [r]

FACTVM hoc non eſt, ſecundum principia BAXTERI, qui officium concionandi ſine licentia tam neceſſarium propter votum ordinationis eſſe putat, vt ſi is, cui auctoritate antiſtitis ſilentium impoſitum eſt, non concionetur, non minus peccatum committat, quam ſi pactum infirmet & votum a ſe nuncupatum diſſoluat. Veteres iſti Nonconformiſtæ aliam fouerunt opinionem; et ſi principia & praxis hodiernorum Nonconformiſtarum magis congruunt cum notione BAXTERI, conſiderabunt, ea tantum differre ab horum excellentium virorum principiis, quantum a regulis eccleſiæ *Gallicæ* pariter & eccleſiæ *Anglicæ* differunt.

CONFIDO, me omnibus BAXTERI obiectionibus contra hunc canonem feciſſe ſatis, qui miniſtros ordinatos a concionando ſine licentia certis in caſibus, vbi lex id poſtulat, reſtringit; dum planum feci, nihil ſingulare eſſe in eccleſiæ noſtræ praxi, nec dari vllam obiectionem contra illam, quæ non pariter contra regulas & diſciplinam eccleſiæ reformatæ *Gallicæ* offerri poſſit.

(p) Parker. de politia eccleſ. lib. I. cap. XIV. n. I.

(q) Vid. G. G's *Hiſtory of the Church of* Great Britain p. 302. & Hildersham's *Lectures on* 51 Pſalm.

(r) Vid. Henr. Yeluertoni præfat. ad libr. Io. Martoni *of Epiſcopacy* p. 47.

LIBRI

LIBRI QVARTI
CAPVT VNDECIMVM.

De canone quinquagesimo quinto, qui de precibus ante sermonem loquitur; et de quinquagesimo septimo, qui homines vetat ex suis ipsorum ecclesiis parochialibus concedere ad recipiendum baptismum & communionem, quia proprius eorum minister non sit concionator.

CANONIS quinquagesimi quinti mentionem ideo tantum heic facio, vt communem morem ministrorum nostrorum vindicem, qui formula precum vti solent ante concionem diuersa ab illis, quae in communi precum libro praescriptae reperiuntur. BAXTERVS omnes ministros rupti foederis incusat, "quia, quum " subscriptione promiserint, se in publicis precibus formulas, " in libro communium precum praescriptas, nec vllas alias ad- " hibere velle, tamen in pulpitis ante sermones aliis formulis " vtantur." [s] Quasi subscriptio canonis tricesimi sexti non possit sensu communi aliter intelligi, quam ita, vt quinquagesimo quinto contradicat & aduersetur; quum tamen candido cuique & ingenuo lectori satis manifestum sit, eos de rebus diuersis loqui, quae vna possint bene consistere. Tricesimus sextus canon de illis officiis loquitur, pro quibus formulae praescriptae habentur in libro precum communium, et sensus subscriptionis est, Quod pro illis officiis, quae liber communium precum enarrat, et pro quibus formulae praescriptae sunt, minister illis formulis, nec aliis vti velit: Non autem hoc vult illa subscriptio (vti quidem BAXTERVS hunc sensum ei minus ingenue adfingit) quod in aliis officiis, pro quibus nulla forma ibi exstat, minister nulla prorsus formula vti debeat, quantumuis alias permissa vel iniuncta, vti hoc officium precandi ante sermonem per canonem quinquagesimum quintum permittitur. Canones intelligendi sunt pro substrata materia, de qua agunt, ad eamque restringendi,

(s) Baxt. *Engl. Nonconf.* cap. VIII. p. 43.

atque ita nulla inter eos pugna est. Alioquin ecclesia *Gallica* & reliquæ ecclesiæ omnes, quæ liturgias præfinitas habent, reæ forent rupti fœderis non minus quam ecclesia *Anglicana*. Verum hac de re dixi, quantum satis est, antea. [r]

Hoc loco tantum adhuc obseruo, canonem quinquagesimum quintum ministros non præcise adstringere ad certam formulam, sed liberum eis relinquere, vtrum illa formula aut alia quadam in eumdem finem vti velint. Quare, si qua est differentia in praxi ministrorum, dum alii his ipsis verbis, in canone consignatis, vtuntur, alii autem ab illis paullum variant; nec illi nec isti in modesto istius libertatis, quam canon illis concedit, vsu reprehendendi sunt. Quod eo dico, ne illi istos tamquam Formalistas nec isti illos tamquam Nonconformistas damnent.

Proximvs canon, cui contradicit baxtervs, est quinquagesimus septimus, qui sacramenta ex manibus ministrorum, qui non sint concionatores, repudiari vetat. At vero ratio condendi huius canonis eum satis superque vindicat ab omnibus illius exceptionibus, quæ tantum quarumdam rerum, ad quas capite antecedente iam responsum est, repetitio sunt. Ratio canonis in canone ipso redditur: *Quum nonnulli a falsis doctoribus decepti liberos suos ministro, qui non est concionator, baptizandos offerre recusent, nec communionem de manibus eius recipere eodem respectu velint, quasi horum sacramentorum virtus ex facultate pendeat concionandi: quandoquidem doctrina de baptismo & cœna dominica, in libro communium precum, in administratione memoratorum sacramentorum adhibendo, tam sufficienter perscripta sit, vt nihil, quod alicuius momenti vel necessarium sit, addi possit: Mandamus & præcipimus singulis eiusmodi deceptis, vt istam animi peruicaciam emendent, et ecclesiæ ordini hanc in rem præscripto sese submittant; quum vtrumque sacramentum vim & efficaciam suam habeat, siue a ministro exhibeatur, qui est concionator, siue ab alio quodam, qui non est concionator.* Ex hoc fundamento canon eos, qui hac in re obstinate repugnant, caussam dicere, suspendi & excommunicari iubet, si emendare sese nolint; et ministris interdicit, ne quem eorum ad communionem admit-

(r) Lib. IV. cap. V.

tant,

tant, qui non sit de sua ipsorum parochia, nec liberos eorum baptizent, in antememoratis erroribus suis eos confirmando, sub pœna suspensionis.

Hoc plane ostendit, hunc canonem tantummodo factum esse ad præueniendum, qui tunc inualescere cœpit, errorem, quem errorem inficiari ipse BAXTERVS non potest. Putant tamen, " nihilo secius omnibus hominibus libertatem relinquen-" dam esse eligendi meliores pastores præ indoctis lectoribus, " prout res ipsorum & lex Dei ab ipsis requirat; tum vero esse " officium eorum cum illo communicare, quem sibi adoptarint " pastorem." [u]

EXPLOREMVS, an hoc disciplinæ *Gallorum* conueniat; eumque in finem doctrinam & opiniones eorum de his tribus capitibus paullum discutiamus. 1. An populo, ministris suis, quos antistites eorum illis præposuerunt, desertis alios sibi pastores adoptare liceat, quos ad maiorem sui ædificationem eligendos sibi ducant? 2. An is, qui sacramenta de manibus ministri, qui non est concionator, ideo quod talis non est, recipere non vult, censuræ merito obnoxius sit? 3. An minister, qui hominibus in alterutra praxi animum addit, non sit dignus suspensione?

QVOD ad primam quæstionem attinet, ea per disciplinam *Gallicanam* plane determinatur, quæ, vt populum non sinit habere partem in eligendis pastoribus, vti euidenter ostendi supra; [w] ita illis non permittit, vt ecclesiam suam parochialem & ministrum deserant, seque ad aliam constanter adiungant. *Fideles*, (inquit disciplina,) *quorum mos est in ecclesia alia verbum Dei audire, in alia autem recipere sacramenta, redarguantur & a colloquio vel synodo prouinciali iubeantur ad eam ecclesiam sese adiungere, quæ illis proxima est & conuenientissima.* [x] Per hanc ecclesiam intelligi puto eorum ecclesiam parochialem.

ALIVS canon statuit: *Ministri admonentor, vt ne quem de aliis ecclesiis ad sacram cœnam admittant, qui non satis idoneum te-*

(u) Baxt. *English Nonconform.* cap. XXXII.

(w) Lib. IV. cap. V.

(x) Discipl. eccl. Gall. cap. XII. art. XIII.

ſtimonium, a paſtore ſuo vel ſenioribus exhibeat, dummodo haberi poteſt. [y]

TERTIVS quidam canon ait: *Synodi & colloquia deliberabunt, quouſque patere debeant limites eccleſiæ, in qua miniſter miniſterium ſuum exercere poſſit.* [z]

APPARET hinc, fuiſſe illis limites ſuos parochiales, cuiusmodi nos habemus: Fuiſſe etiam colloquiorum ac ſynodorum officium, eos conſtituere illisque præficere miniſtros; habuiſſe item illos poteſtatem coërcendi tam miniſtros quam populum ad eccleſias ſuas parochiales, nec permittere voluiſſe, vt quis paſtore ſuo derelicto meliorem ſibi eligeret & cum illo paſtore conſtanter communicaret in fraudem paſtoris iſtius, quem præſecerint. Hæc omnia tam clara ſunt in hoc canone, quam ſol eſt in meridie.

2. HINC etiam ſequitur, vt vbicunque miniſtri legentes admiſſi fuerint, hominibus non licuerit eos deſerere & ad recipiendum baptiſmum vel cœnam dominicam ad alias parochias concedere, hoc quidem obtentu, quod eiuſmodi miniſtri ad adminiſtranda ſacramenta non ſint idonei; quia loco concionum a ſe ipſis compoſitarum homilias CALVINI legant. Canones enim nullas addunt exceptiones earum eccleſiarum, quæ tantum eiusmodi lectores habeant, et conſequenter populum ſacramenta ab illis æque ac ab aliis volunt recipere.

ACCEDIT, quod ſcriptores huius eccleſiæ narrant, neceſſe non eſſe concionem, ab ipſo miniſtro compoſitam, in adminiſtratione ſacramentorum haberi. Satis erat, homiliam vel ſermonem legi de baptiſmo vel de cœna dominica, in liturgia ipſorum certa verborum formula, qua miniſtrum vti oportebat, præſcriptum, & continentem naturæ vtriuſque ſacramenti ac verborum inſtitutionis explicationem, cetera; quem ſermonem ideo *verbum concionatorium & prædicatum* vocabant, eumque ſtatuebant eſſentialem eſſe ſacramento, et neceſſariam conſecrationis eorum partem. Nam preces vna cum hac verborum inſtitutionis, naturam & vſum ſacramentorum declarantium, recitatione

(y) Synod. Pariſ. II. cap. XI. art. XXVI. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 69. n. III.)

(z) Syn. Rupell. II. cap. III. art. XXXVIII. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 152. n. XXXVII.)

for-

formam conſecrationis apud illos conſtituunt, ſicut noſtræ apud nos. Sermo autem miniſtri ante ſacramenta fieri poteſt vel omitti, ſine vllo ipſorum ſacramentorum detrimento, vel rei cuiusdam arduæ atque ad eorum adminiſtrationem neceſſariæ neglectu: Quemadmodum DANIEL CHAMIERVS *Bellarmino* reſpondebat, qui dixerat, proteſtantes facere concionem miniſtri neceſſariam ad ſacramentorum adminiſtrationem. Falſum hoc eſſe aiebat, eos enim diſtinguere concionem miniſtri a verbo concionatorio & conſecratorio, hoc eſt, a formula conſecrationis in liturgiis. Illam præire ſolere vtrique ſacramento, non propter eſſentiam ſacramenti, ſed propter ordinem eccleſiæ, hoc autem proprie pertinere ad ſacramenta, illisque tam eſſentiale eſſe, vt ſine eo nulla omnino ſint aut eſſe poſſint ſacramenta. [a]

Hoc doctrinæ canonis noſtri conſentaneum eſt, quod res omnes, quæ magni alicuius momenti & ſacramentis neceſſariæ atque eſſentiales ſunt, contineantur in noſtris formis adminiſtrationis, et quod adeo ſacramenta recte ac rite per has formas adminiſtrari poſſint a miniſtro, qui non ſermonem a ſe compoſitum habet, ſed eum tantum, quem hæ formæ continent, populo adſtante & audiente clare & reuerenter legit. Hoc eſt, quod *Galli* vocant *verbum ſacramentale prædicatum*, in oppoſitione ad morem demurmurandi verba conſecrationis papiſticum.

SED vero BAXTERVS regerit, *Si mera legendi ſcientia paſtorem efficit, quidquid eius eſt, fieri etiam poterit a femina vel*

(a) Chamier. panſtrat. tom. IV. de ſacram. lib. I. cap. XV. n. XI. Quid igitur illi veniebat in mentem, quum quæreret, vtrum concio ſit eſſentialis, an non? Aut concionem potius quid appellat? Cur mutat verbum concionatorium in concionem? Nam nos quidem ſolemus concionem appellare, paſtoris orationem, explicantis applicantiſque locum aliquem ex ſcripturis. Hanc cur ſuſpicaretur eſſentialem dici ſacramentis, nihil eſt prorſus cauſſæ. Nam ea eſt eiuſmodi plerumque, vt de baptiſmo peculiariter nihil agat; de cœna etiam duntaxat nihil, niſi ſeriam adhortationem ad eius vſum legitimum. Fateor præire concionem vtrique ſacramento: ſed id nos ſcimus fieri non propter eſſentiam ſacramenti, ſed propter ordinem eccleſiæ: - - Mitte ergo concionem, a qua prorſus diſtinctæ ſunt liturgiæ, in quibus vere continetur verbum illud conſecretorium ſimul & concionatorium, proprie pertinens ad ſacramenta, quod nos quidem tam eſſentiale ſtatuimus, vt ſine eo nulla omnino eſſe, aut eſſe poſſe ſacramenta certiſſimi ſimus.

puero duodecenni, *qui æque ac paſtor poſſunt legere.* Hoc conſentaneum fuerit principiis BAXTERI, qui alio loco ſacramenta valida ſtatuit, licet ab eiuſmodi puero, qualis fuit *Athanaſius*, adminiſtrata; non eſt autem principiis conſentaneum eccleſiæ vel *Gallicæ* vel *Anglicæ*, quæ non tantum legendi ſcientiam requirunt, ſed ſollemnem etiam ordinationem, ſeu vocationem & miſſionem miniſtrorum ad impertiendam illis auctoritatem adminiſtrandi ſacramenta; neque vllis vnquam feminis vel pueris duodecennibus hanc poteſtatem concedunt. Quare facta a BAXTERO comparatio locum non habet.

PARVM intelligentiæ æque ac modeſtiæ in altera, quam inſtituit, comparatione ineſt. *Turca*, inquit, *qui euangelio non credit*, *illud legerit: Columnæ etiam id inſcripſeritis*, *et illa homines docuerit*, *neque tamen columnæ & libri paſtores erunt.* Anne hæc ſunt valde modeſta verba de miniſtris legentibus, facere eos Turcos, columnas & poſtes, poſtquam eccleſia, ſumma neceſſitate ſic flagitante, eos lectores fecit, vbi alios habere non potuit? Fortaſſis iudicauit auctor noſter, eſſe ea tam benigna nomina, quam illi mereantur. Dicit enim, "Eos deſtitui eſſentiali quadam parte habilitatis, ad faciendos veros CHRISTI miniſtros requiſitæ: quia eſſentialis habilitas non minus ad docendi quam ſacramenta adminiſtrandi negotium extendatur." Fac, habilitatem docendi eſſe miniſterio eſſentialem; ratio tamen docendi ſiue per conciones, ab ipſo miniſtro compoſitas, ſiue per ſermones, auctoritate eccleſiæ publicatos, relinqui poteſt libera. Manifeſtum etiam eſt, eccleſiam *Gallicam* per negotium docendi non intelligere id, quod intelligit BAXTERVS, hoc eſt, recitationem ſermonis, ab ipſo miniſtro compoſiti, ſed ſollemnem recitationem iſtarum formularum eccleſiæ, quæ vniuerſam doctrinam de ſacramentis et de iis omnibus continent, quæ his in rebus cum ad recte peragenda hæc ſacra myſteria, tum ad populum in eorum cognitione inſtituendum dici aut fieri oportet. Vocant id docere euangelium, tametſi BAXTERO libet dicere, nihilo eſſe plus, quam quod feminæ & pueri duodecennes peragere, immo quod *Turci*, columnæ & libri docere mortales poſſint. Quaſi columnæ & libri linguis humanis loqui, aut *Turci* vel feminæ vel pueri, etſi loqui & legere calleant, facere id poſſint

possint cum auctoritate in publicis officiis, sine diuino mandato & ecclesiastica ordinatione. Disciplinam ecclesiæ *Gallicæ* non ita remissam fuisse credo, vt tam iniustas contumelias vel in minimum quemdam de clericis legentibus inultas dimissura fuisset. Certus autem sum, hoc populo non fuisse incitamento ad contemnenda officia, ab ista ecclesia pro baptismo & cœna dominica præscripta, ideo quod sine sermone administrarentur. Nam secundum doctrinam illius officia ipsa sunt sermo ad instruendum faciens; et qui contraria ductus opinione, ecclesia sua parochiali relicta, ad aliam concedit, is agit contra regulam disciplinæ & incurrit ecclesiæ animaduersionem.

3. POENAE autem multo magis obnoxii erant ministri, si vel vlli eiusmodi notioni fauerent, vel communicantes ex aliis parochiis contra communes regulas & disciplinam admitterent. Omnes enim ministri vi subscriptionis & iurisiurandi obseruare debebant disciplinam suam & censuræ colloquiorum ac synodorum obnoxii erant, si eam negligerent. Admoneri, ab officio suspendi, ad silentium redigi & munere ipso exturbari poterant, eam solam ob caussam, quod communicantes ex aliis parochiis in legum & disciplinæ contemtum reciperent. Quod si crimen non fuit, in ministros ita animaduertere in *Gallia*, ecclesiæ *Anglicanæ* id vitio dari iure non potest. Maxime, si consideremus, idoneam huius canonis rationem suppetere. Nam in casibus necessitatis, vbi ecclesia singulis parœciis ministros concionatores præficere non potest, expedit omnino earum curam alia, qua potest, optima ratione habere, minoris habilitatis ministros illis præponendo, qui diuina officia ex præscripto obeant: et si hoc fecerint, æquum & iustum est, illos ministros eorumque ministerium aduersus contemtum defendi, populumque ab eiusmodi erroneis opinionibus auocari, quod sacramentorum virtus ex ministri habilitate concionandi pendeat. Ad quæ mala auertenda hic canon potissimum factus est. Quum autem ratio canonis hodie magna ex parte, quod Dei est beneficium, cesset, admodum rara aut nulla occasio existit dandi hunc canonem in effectum; et consequenter æque exigua caussa suppetit, si homines, quod ratio præscribit & postulat, agere vellent, in illum declamitandi. Accedit, quod hic canon, si ab hoc vno negotio sacramentorum (quorum debitæ admini-

miniſtrationi per publicas formas noſtras tam bene prouiſum eſt) diſceſſum fuerit, populum non vetet ad alios miniſtros, occaſione ſic ferente, adire. Adhortatio, quæ euchariſtiæ celebrationi præmitti ſolet, hanc libertatem adflictis mentibus diſerte concedit, *Si quis ſit inter vos, qui hac ratione conſcientiam ſuam tranquillare non poſſit, ſed plus ſolatii vel conſilii requirat, ad me, vel alium quemdam prudentem & doctum verbi diuini miniſtrum accedat, & ſcrupulos ſuos aperiat.* cetera. Canon etiam viceſimus octauus eos ſolum notat, qui ſæpe & communiter ex aliis parochiis ad audiendas conciones veniant; quo in caſu miniſter obſervare eos debet, non autem occaſione quauis, niſi ad participandam ſacram cœnam ipſi ſe offerant; quo facto illos ad eccleſias ſuas parochiales remittere iubetur. Atque in hoc toto negotio eccleſia *Anglicana* non agit ex vllis aliis principiis aut regulis, quam quas regulis & diſciplinæ eccleſiarum *Gallicarum* conſentaneas eſſe demonſtraui.

LIBRI QVARTI
CAPVT DVODECIMVM.

De canone quinquageſimo octauo, qui de epomide & ſuperpelliceo agit: Sexageſimo quinto, qui miniſtros iubet nomina hominum ritus eccleſiæ refugientium & excommunicatorum exactis ſingulis ſex menſibus denuntiare. Et de ſexageſimo octauo, qui miniſtris iniungit, vt baptizent & ſepeliant ſine dilatione.

DVOS ex hiſce canonibus iam in antegreſſis huius diſſertationis partibus conſiderauimus. De quinquageſimo octavo loquuti ſumus libri tertii capite ſeptimo, quod agit de ornamentis eccleſiæ, anno ſecundo regni *Eduardi* ſexti viſitatis. Sexageſimum octauum vna cum obiectionibus, a BAXTERO contra illum oblatis, ſpectauimus eiusdem libri capite vndeuiceſimo & viceſimo ſecundo, vbi de formulis baptiſmi & ſepulturæ egimus. Supereſt igitur hoc capite, vt de canone ſexageſimo quinto diſſeramus.

ramus. Verba canonis sic habent: *Omnes ordinarii in sua quisque iurisdictione id diligenter curabunt & mandabunt, vt tum illi, qui ex animi obstinatione diuinum cultum frequentare recusant - - tum isti, maxime melioris sortis ac conditionis, qui ob manifestam contumaciam aut alia insignia crimina, legitimæ excommunicationi subiacent - - exactis singulis sex mensibus tam in ecclesia parochiali quam in ecclesia cathedrali diæcesis, in qua remanent, a ministro, tempore diuini cultus die quodam dominico, publice denuntientur & declarentur excommunicati, vt alii hac re admoneantur, & consuetudinem ac familiaritatem cum illis fugiant & excitentur potius ad procurandum scriptum de excommunicato capiendo*, cetera.

SCOPVS huius canonis manifesto non est alius, nisi vt obstinate delinquentes ecclesiæ notescant, vbi semel legitime sunt excommunicati, vt omnes eorum societatem euitent, sicut mandato apostolico facere iubentur. Erat hæc vetus regula ecclesiæ priscæ catholicæ, & adhuc fixa regula disciplinæ *Gallicæ* est, vti apparet 1. ex formula excommunicationis his verbis concepta. *In nomine & ex auctoritate IESV Domini nostri, ex consilio & auctoritate pastorum & seniorum in colloquio congregatorum & consistorii huius ecclesiæ abscidimus & abscindimus N. N. a communione ecclesiæ Dei. Excommunicamus & excludimus eum societate sanctorum, vt inter vos sit tanquam paganus & publicanus, & vt sit inter vere fideles anathema & exsecratio. Habeatur consuetudo illius contagiosa & exemplum eius mentes vestras horrore impleat*, cetera. Conclusio est: *Si quis non amat Dominum IESVM CHRISTVM, esto anathema, maran-atha Amen!* [*b*]

2. DEINDE notam faciunt excommunicationem illius omnibus reliquis ecclesiis, vt, qui in vna ecclesia esset excommunicatus, in reliquis omnibus excluderetur & euitaretur. Synod. *Lugdun.* an. MDLXIII *De errabundis*, inquit, *hæreticis & schismaticis admoneantur omnes ecclesiæ, vt sibi ab illis caueant.* [*c*]

(*b*) Vid. hæc formula in libro discipl. cap. V. artic. XVII. & in synod. Alef. MDCXX. cap. X. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 182.)

(*c*) Synod. Lugdun. cap. IX. art. XXV. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 35. num. II.)

IAM si excommunicatio sit initio legitima & publicari semel potest in congregatione & significari reliquis ecclesiis omnibus, non video, quid detrimenti habeat istorum excommunicatorum hominum repetita, elapsis singulis sex mensibus, denuntiatio, si nulla intercessit emendatio & absolutio. Neque BAXTERVS quiddam habet, quod contra hanc rem dicat. Exceptiones autem illius sunt. 1. *Quod ministros actores & administros excommunicationis laicæ*, et 2. *instrumenta excommunicationis & exitii piorum hominum faciat.* [d]

AD priorem exceptionem respondi, quantum satis est, capite huius libri primo, quod de obedientia canonica agit. Et ad posteriorem melius respondere possem, si declarasset auctor noster, quosnam per pios homines intelligat, quos ministri per hunc canonem excommunicare & ad exitium perducere necesse habeant. Vt autem aliquam coniecturam faciam de mente eius, suppono, 1. eum per pios homines non intelligere papistas, sacra nostra refugientes; nec 2. eos, qui ob manifesta crimina excommunicationi legitime subiacent: adeoque ipsum oportere intelligere 3. illos, qui propter apertam contumaciam aduersus ordines & disciplinam ecclesiæ sunt excommunicati. Nam præter hæc tria genera hominum nulli in canone memorantur. Ita vero quæstio est, An hi homines legitime possint excommunicari. Et si hoc per regulas disciplinæ *Gallicæ* determinari potest, res iam confecta & decisa est. *Galli* enim omnes excommunicant, quotquot vel consistorii admonitiones spernunt, vel contra disciplinam rebellant ecclesiæ; qua de re documenta quædam attuli antea [e] ex synodo *Alesiensi* cap. X. art. XXII & libro disciplinæ cap. I. art. XLVII. Addo heic duos canones synodi primæ *Parisiensis*, an. MDLIX (in qua prima forma disciplinæ eorum delineata fuit) vt hanc regulam immutabilem inter eos fuisse ostendam. In ista synodo homines excommunicandi & abscindendi, non solum a sacramento sed ab omni etiam totius ecclesiæ communione, recensentur & nominantur *hæretici*, *contentiosi*, *contemtores Dei*, *rebelles contra consistorium*, *proditores ecclesiæ*, ceteri. [f]

(d) Baxter. *Engl. Nonconform.* cap. XXII.
(e) Lib. IV. cap. IX.
(f) Synod. Paris. I. cap. II. art. XXIX. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 6. n. XXX.)

ET

Et canon proximus ait: *Illi, qui excommunicati fuerint propter hæresin, schisma, proditionem & rebellionem contra ecclesiam, declarabuntur excommunicati coram populo vna cum caussis excommunicationis eorum.* [g]

Non dicam, an hæc agendi ratio fuerit piorum hominum excommunicatio nec ne? Certus tamen sum, hominibus contumacibus illic tam dura nomina dari tamque seuere eos tractari, quam quidem in ecclesia fit *Anglicana.* Et licet heic scriptum nullum habeatur de *excommunicato capiendo*, synodis *Gallicis* memoratum; in statutis tamen ciuitatis *Geneuensis* habetur, vbi magistratus ecclesiam sustentat eiusque vindicat auctoritatem, homines contumaces carcere, exilio & non numquam ipsa morte plectendo. Quod vt probemus, haud longius quam ex epistolis CALVINI testimonia arcessere necesse habemus, quarum vna summa quædam disciplinæ ecclesiasticæ *Geneuensis* capita tradit, vbi articulus primus habet in hæc verba: *Si quis dogmata spargat receptæ in ecclesia doctrinæ contraria, amice & fraterne moneatur: si acquiescat, remittatur sine vlla infamiæ nota; si pervicax fuerit vel pertinacius addictus sit errori suo, serio moneatur, donec iudicet consistorium, maiori seueritate opus esse; ac tunc quidem interdicatur illi vsus cœnæ & deferatur ad senatum.* Proximus articulus eiusdem argumenti est: *Si qui sacros conuentus negligant, vt palam appareat, id contemtu fieri - - si qui obstinate in deterius pergant, postquam ter fuerint moniti, prohibeantur ab vsu cœnæ, idque magistratui indicetur.* [h]

Ratio vero deferendi eiusmodi sontium hominum caussam ad senatum erat, vti aliquanto post CALVINUS his verbis narrat, *vt duros & indomitos homines coërceatis, quibus contemtui est spiritualis correctio. - - Postquam consistorium suis partibus fuerit functum, iubetur ad vos magistratus deferre, ne contemtores impune aduersus ecclesiam lasciuiant. Atque ita distincta est ratio, vt penes consistorium ius excommunicandi maneat, vos autem imperio coërceatis rebelles, vbi ita visum fuerit.* [i] Vid. etiam epi-

(g) Ibid. artic. XXX. (Ap. *Aymon* art. XXXI.)

(h) Caluin. epist. ad magistr. Geneu. p. 76.

(i) Caluin. ibid. p. 77.

ſtola eius ad *Menſonem Poppium*, vbi loquens de iis, qui cenſuras eccleſiæ contemnunt, *Nihil*, inquit, *ſenioribus reſtare video, niſi vt magiſtratum exſtimulent ad eos durius coërcendos.* [k]

Hoc idem valere puto atque ſcriptum de *excommunicato capiendo*, et diſciplinam *Geneuenſem* non minus obnoxiam facere exceptioni BAXTERI, quouis reſpectu, quam præſentem canonem eccleſiæ *Anglicanæ*.

LIBRI QVARTI
CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De canone ſeptuageſimo ſecundo, qui miniſtris interdicit, ne vel publica vel priuata ieiunia celebrent, aut dæmones exorciſent, ſpecialem ab epiſcopo licentiam haud nacti. Quod eadem regula ipſo effectu obſeruetur in eccleſia *Gallica*.

INTER alia, contra quæ excipiunt Nonconformiſtæ, præſcriptio eſt canonis ſeptuageſimi ſecundi. Iſte canon ſic decernit: *Nulli miniſtri ſine licentia & mandato epiſcopi diæceſis prius obtento, manuque eius & ſigillo ſignato, inſtituant & celebrent vlla ſollemnia ieiunia vel publice vel in ædibus priuatis, præter ea, quæ lege iniuncta ſunt aut publica auctoritate iniungentur; neque ſcientes vllis eorum interſint ſub pœna ſuſpenſionis ob primam culpam, excommunicationis ob ſecundam, excluſionis autem a miniſterio ob tertiam. Neque vllus miniſter (licentiam haud nactus, vti ſupra diximus) audeat inſtituere aut celebrare conuentus ad ſermones habendos, nec conetur ieiunando & precando vllum dæmonem expellere.*

BAXTERVS pro more ſuo ſcurrili hoc cum interdictione chriſtianiſmi vel lectionis ſcripturæ in lingua cognita, cum interdictione legis & vſus rationis comparat, et interrogat: *Nonne hi homines plus quam ſubiecti ſunt auctoritati epiſcopali, qui obedientiam hac in re iurant, magis quam contra prædicationem euangelii?* [l]

(k) Caluin. ep. ad Menſon. Poppium p. 205.
(l) Baxt. *Engl. Nonconf.* cap. XXXV.

VERVM

VERVMENIMVERO vtcunque canon ille hos homines auctoritati episcopali subiectos facit, ministri *Gallici* non minus subiecti sunt iussis presbyterii, eisque eamdem obedientiam canonicam iureiurando pollicentur. Nam per canonem quemdam disciplinae ecclesiasticae omnia ieiunia celebranda sunt tantum ex praescripto & arbitrio ecclesiae, *tempore dirae persecutionis vel belli, pestis, famis aut alius cuiusdam magnae adflictionis. Item quando ministri euangelii ordinandi sunt, aut vbi quaestio mouetur de conuocanda synodo nationali, vnus vel plures dies publicis & extraordinariis precibus & ieiuniis constitui poterunt; sine vllo tamen scrupulo vllaue superstitione. Atque haec omnia fiant, caussis & rationibus huius instituti studiose diligenterque consideratis. Ecclesiae etiam admoneantur, vt quantum locorum & temporis ratio permittat, simul ieiunium celebrent.* [*m*]

ANNON hoc innuit, solorum gubernatorum ecclesiae, non singularis cuiusque ministri esse, sollemnium ieiuniorum tempora constituere? Cur alioquin ecclesias particulares tum caussis tum temporibus ieiunandi adstringerent, vti in hoc canone fieri planum est?

ALIVS autem canon factus est in synodo *Rupellana* an. MDCVII. qui adhuc clarius hanc in rem loquitur, *Permittitur*, inquit, *ecclesiis particularibus, vt ieiunium celebrent, ecclesiis vicinis prius consultis, magnisque & grauibus caussis vrgentibus, de quibus rationem colloquiis & synodis prouincialibus reddere debebunt.* [*n*] Ex quibus liquet, non arbitratu suo hoc facere eis permissum fuisse, sed ex consilio cuiusdam colloquii. Nonne autem rationi tam consentaneum est, ad episcopum refugere in ecclesia episcopali, quam ad colloquium in ecclesia presbyteriana? Mutentur modo pauca vocabula, & BAXTERI quaestiones ecclesiam *Gallicam* aeque ferient atque ecclesiam *Anglicanam*. *Anne putas*, inquit, *eos facere plane indignos homines ministros, aut mutare ac mutilare officium pastorale, quandoquidem nullus minister, ne sapientissimus quidem, auctoritatem aut potestatem habet ieiunandi aut supplicandi cum vicinis suis? Quaenam inter eius-*

(*m*) Discipl. eccl. Gall. c. X. art. III.

(*n*) Synod. Rupell. III. cap. III. artic. XXI. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 306.)

modi clericos est æmulatio concionandi, ieiunandi & precandi? Quid, si vicini quidam grauibus quibusdam tentationibus, graui quodam reatu, graui quodam periculo conflictentur ex quadam plaga, aut graui aliqua adflictione, dum vel amici quidam morti propinqui sunt, aut ipsis quoddam maximi momenti negotium est, exempli gratia, matrimonium, iter, nauigatio, cetera. *An episcopum scire oportet,* (an colloquium, aut vicinas ecclesias scire oportet) *omnia arcana eorum, quæ pastorem domi scire oportet? An non hi indigni ministri sunt, quibus non expedit dari auctoritatem ieiunandi & supplicandi cum populo suo, quum lex sit publica, punire omnes abusus illius rei?* (quum colloquiis & synodis prouincialibus de abusibus illius rei rationem reddere debent?) *Anne hi plus quam subiecti sunt episcopali auctoritati* (plusquam subiecti presbyterio) *qui obedientiam hac in re iurant magis, quam contra prædicationem euangelii?*

QVIS est, qui non videt, in ecclesia *Gallica* non minus quam in ecclesia *Anglica* hanc culpam esse, quod indignos homines ministerio præficiat, quibus non possit dari auctoritas ieiunandi & supplicandi cum populo suo, nisi colloquio quodam siue vicinis ecclesiis prius consultis?

HABEO autem adhuc, quod de hoc capite obseruem, nempe canones *Gallicos* ministris suis interdicere, ne quid sine venia in multis aliis negotiis æque grauibus, atque sunt sollemnia ieiunia, faciant. Generalis quædam regula in libro disciplinæ habetur. *Nulla ecclesia negotium aliquod magni momenti suscipere potest, in quo emolumentum vel damnum aliarum ecclesiarum versetur, insciente & inconsulta synodo prouinciali, si quidem fieri potest, vt conueniat. Et si res vel maxime vrgeat, saltem cum aliis istius prouinciæ ecclesiis eam communicet earumque petat & recipiat consilium.* [o]

HAEC generalis regula ad speciale quoddam exemplum ibi applicatur de suscipiendis disputationibus cum pontificiis de religione, quando sic statuunt: *Ministri ne ingrediuntor in disputationem publicam nisi ex consistorii sui consilio, et cum quibusdam pastoribus, hunc in finem a colloquio aut synodo prouinciali selectis.*

(o) Disciplin. eccles. Gall. cap. VI. art. II.

Neque

Neque suscipiunto consultationem quamdam generalem, nisi de omnium ecclesiarum, in nationali quadam synodo congregatarum, consilio; qui secus fecerint, apostatæ & vnionis ecclesiasticæ desertores declarabuntur. [*p*]

IAM VERO quæritur, Annon æque expediat, episcopum prius consuli, quam quis sollemne ieiunium indicat, aut ad expellendum dæmonem eat, atque id facere debet ante, quam sollemnem disputationem ingrediatur? Atqui vero videmus, ecclesiam *Gallicam* hoc noluisse priuato cuidam ministro permittere, colloquio vel synodo inconsulta, ne qua incommoda hinc orirentur, quæ existimationi vniuersæ ecclesiæ fraudi forent. Et hanc quoque puto veram rationem esse canonis septuagesimi secundi ecclesiæ nostræ; et quæcunque contra eum a BAXTERO aliisque obiiciuntur, is nihil est nisi iusta & commoda cautio. Satius enim est, doctissimos quosque ministros certis cancellis circumscribere, quam ecclesiæ existimationem stultitia & imprudentia offendi quorumdam, quibus facultas non est iudicandi, quid in istis extraordinariis casibus, cuiusmodi est sollemnium ieiuniorum indictio & dæmonum expulsio, fieri expediat.

LIBRI QVARTI
CAPVT DECIMVM QVARTVM.

De reuerentia aduersus synodos nationales adhibita in ecclesia *Gallica*, & quod maior sit, quam quæ per canonem centesimum tricesimum nonum ecclesiæ *Anglicanæ* requiritur. Item de duobus vltimis canonibus & de contumelia, qua *Baxterus* ecclesiam adficit propter numerum canonum, quod sint CXXXXI.

PROXIMVS canon, quem BAXTERVS aliique impugnant, est centesimus tricesimus nonus, his verbis constructus: *Quisquis posthac adfirmauerit, sanctam huius nationis synodum, in nomine CHRISTI & ex auctoritate regia congregatam, non esse veram ecclesiam Angliæ per repræsentationem, excommunicetur,*

tur, nec restituatur, vsque dum resipiscat & hunc suum prauum errorem publice reuocet.

DVAS res contra istum canonem excipiunt. 1. Nationalem synodum non esse veram ecclesiam *Angliæ* per repræsentationem; et 2. Si vel maxime esset, se tamen non posse iureiurando consentire ad publicandam excommunicationem contra quempiam, qui id neget, vti quidem hic canon exigat.

VERVM ENIM VERO si isti homines ecclesiæ *Gallicæ* essent ministri, ad vtrumque consentire deberent. Illi enim subscribere & iusiurandum confessioni fidei, tanquam confessioni ecclesiæ *Gallicæ;* disciplinæ, tamquam disciplinæ ecclesiæ; canonibus synodorum, tanquam, synodorum ecclesiæ canonibus dare debent. Iam vero, vnde est, quod ista confessio sit confessio, quod illa disciplina sit disciplina, quod isti canones sint canones ecclesiæ *Gallicæ*, nisi inde, quod synodi, in quibus hæc omnia facta sunt, fuerunt ecclesia *Gallica* per repræsentationem? Num inde est, quod postea recepta & confirmata sunt in ecclesiis particularibus? Neutiquam; sed inde, quod pastores eorum in synodis prouincialibus quosdam delegerunt, suoque nomine & cum mandatis suis miserunt, vt ecclesias suas omnes repræsentarent. Hinc est, quod synodus quædam nationalis facta est ecclesia eorum repræsentatiua. Neque vllum discrimen inter synodos *Gallorum* & nostras hoc respectu video, nisi quod illi in antecessum iurant, se omnia decreta, quæ in synodo, ad quam eos mittunt, facta fuerint, obseruare & exsequi velle, quod nos non facimus. Nam in *Anglia* non habemus eiusmodi iusiurandum anticipatum, in *Gallia* autem habent, a synodo *Vitriacensi* an. MDCXVII præscriptum in hanc sententiam: *Promittimus in conspectu DEI, nos illis omnibus, quæ in sancto vestro consessu concludentur & determinabuntur, nosmet esse submissuros, & omnibus viribus elaboraturos, vt ea faciamus & exsequamur: quandoquidem futurum plane confidimus, vt DEVS vobis præsideat & per SPIRITVM suum SANCTVM ad verbi sui normam vos ducat in omnem veritatem & æquitatem in ecclesiæ suæ salutem & ædificationem*, cetera. [q] Hoc iusiurandum in litteris, quas delegatis ex prouinciis pastores dant, syno-

(p) Discipl. eccl. Gall. cap. VI. artic. IV.

(q) Synod. Vitriac. II, cap. II. art. I. (Ap. *Aymon*. tom. II. p. 81. n. XX.)

do na-

do nationali exhibendas, ſemper interponitur, quo ipſo ſynodum non ſolum eccleſiam repræſentatiuam, ſed etiam fere infallibilem agnoſcunt.

Porro, num cogitare poſſumus, *Gallos* quempiam paſſuros fuiſſe nationalis cuiuſdam ſynodi auctoritatem aperte vocare in dubium & diſceptare, vtrum eſſet eccleſia repræſentatiua annon? Et quum excomunicationem in multis particularibus caſibus contra eos decernant, qui quoſdam ſingulares canones transgreſſi fuerint, ſituros fuiſſe, eos impune abire, qui fundamenta auctoritatis eorum conuellerent, ipſamque conſtitutionis eccleſiaſticæ eſſentiam negarent? Si omnes paſtores ad obſeruandam hanc diſciplinam iureiurando ſe obſtringunt, annon etiam iureiurando tenentur eos excommunicare, qui ei ſe ſubmittere recuſant? Et multo magis illos, qui de ſynodis, quæ illam diſciplinam condunt, contemtim loquuntur? Et ſi hæc conditio omnium miniſtrorum in eccleſia *Gallica* eſt, numquam exiſtimare potuerunt (quidquid exiſtiment a noſtra eccleſia in *Anglia* diſſentientes) obedientiæ, canoni centeſimo triceſimo nono præſtandæ, requiſitionem iuſtam cauſſam eſſe ſeparationis. Nam ſæpius ac iterum declararunt, nationalium ſynodorum contemtum crimen eſſe maxime pernicioſum nullaque ratione tolerandum. Liber eorum, qui diſciplina inſcribitur, iubet *omnes eccleſias inſtitui ac doceri, conuentus eccleſiaſticos colloquiorum & ſynodorum, tam prouincialium quam nationalium, vincula ac fulcra eſſe concordiæ & vnionis contra ſchiſmata, hæreſes & reliqua incommoda omnia: vt ita officio ſuo in ineunda ratione continuandi & ſuſtinendi hoſce conuentus eccleſiaſticos ſatisfaciant.* [r]

Et ſynodus *Montalbanenſis* hunc præterea canonem addit: *Si quæ eccleſiæ pecuniam ſoluere recuſant, quam ad ſumtus conferre debent, qui in itinera & comitatum in ſynodalibus aliisque conuentibus, communi omnium eccleſiarum bono habitis, ineuitabiliter facti ſunt, miniſterio euangelii priuabuntur, & ſanctam vnitatem, quam inter nos conſeruari oportet, deſeruiſſe exiſtimabuntur. Et omnibus miniſtris interdicitur, ne in illis eccleſiis miniſterium ſuum exerceant, niſi ſchiſmatici declarari velint.* [s]

(r) Diſcipl. eccleſ. Gallic. cap. VI. artic. V.

(s) Synod. Montalb. cap. III. artic. X. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 177.)

Qvid vero hoc est nisi seuerissima excommunicatio, ecclesias interdicto submittere illisque denegare ministerium euangelii? Ministri tamen hoc canone & iuramento obedientiæ, quod iurarunt, tenentur integras ecclesias sic tractare propter contemtum synodorum, nisi ipsi velint schismatici declarari.

Dantvr multa alia decreta eiusdem generis in synodis ipsorum nationalibus. Vnum dumtaxat addam ex synodo *Rupellana* an. MDCVII, vbi etiam synodus quædam prouincialis acriter reprehenditur, quod decretum aliquod synodi nationalis *Vapincensis* neglexerit; et res pessimi exempli & plena periculi dicitur, si synodi prouinciales auctoritatem nationalium vilipendere audeant, vtpote quæ ianuam innumeris malis & incommodis apertura sit. [t]

Si ne synodis quidem prouincialibus synodos nationales licet contemnere, multo minus hominibus priuatis licebit de illis contemtim vel contumeliose loqui: Quod autem si fecerint, crimen fuerit dignum excommunicatione: atque hoc omne est, quidquid canon centesimus tricesimus nonus adferit.

Qvae iam diximus, ea etiam loco responsionis esse possunt ad illas exceptiones BAXTERI, quas contra duos canones postremos obtulit. Eorum prior est canon centesimus quadragesimus: *Quisquis adfirmauerit, nullos vel clericorum vel laicorum, qui non fuerint in dicta sancta synodo particulariter congregati, decretis illius in caussis ecclesiasticis, per supremam regiæ maiestatis auctoritatem factis & confirmatis, subiectos esse, vtpote quibus non sint suffragati: excommunicetur.*

Exceptio illius est: "Iniustum sibi videri, vllum eiusmo-
" di hominem excommunicare, quia ipsis conciliis generalibus
" absentes non obstringantur ante, quam ea receperint; *Gallos*
" longo tempore non recepisse concilium *Tridentinum*, multas-
" que ecclesias non admisisse concilia alia". [u]

Vervm ego iam ostendi, *Gallos* reformatos aliam opinionem de synodis suis nationalibus habuisse (quamcumque de concilio *Tridentino* habuerint pontificii) & existimasse, se oportere illis sese submittere earumque obtemperare decretis, licet non nisi

(t) Synod. Rupell. III. cap. IX. art. I. (Ap. *Aymon.* tom. I. p. 317.)
(u) Baxt. *English Nonconform.* c. XXXVI.

per

per vicarios præſentes adfuerint, quum conderentur. Non exſpectabant in ſynodis conſcripti patres, vt ſcirent, an eccleſiæ decreta ſua recepturæ eſſent, ſed ab omnibus & ſingulis præciſe exigebant, vt illis obedirent. Cuius rei vnum tantum exemplum dabo ex ſynodo *Iuliodunenſi*, ad an. MDCLIX, in qua hæc leguntur: *Omnibus noſtris ſynodis prouincialibus præcipimus, faciant canones de hac materia* (curatiore diei dominicæ obſeruatione), *quos maxime neceſſarios & conuenientes iudicabunt & ſingulis noſtrarum eccleſiarum membris mandamus, vt eos ſancte & religioſe obſeruent.* [w]

NON ſperem, fore quempiam, qui ſingula eccleſiæ membra in ſynodis coram adfuiſſe exiſtimet, religione tamen ad obediendum decretis illarum obſtricti erant. Si vero religione ad obediendum illis obſtricti fuerunt, credo, eos non dubitaſſe, quin illi excommunicatione digni eſſent, qui poteſtatem faciendi ea pro nihilo ducere atque deridere ſibi religioni non ducerent.

POSTREMVS canon ſic habet: *Quisquis adfirmauerit, ſanctam congregatam ſynodum, de qua ante diximus, eſſe ſocietatem hominum, qui contra pios & religioſos euangelii profeſſores conſpirauerint, adeoque tum illos ipſos, tum agendi rationem, quam in canonibus & conſtitutionibus, ex auctoritate regia in cauſſis eccleſiaſticis faciendis, ineant, deſpiciendos & contemnendos eſſe; etiamſi a dicta regia poteſtate rati habiti, confirmati & iniuncti fuerint: excommunicetur*, cetera. BAXTERVS nec huic canoni conſentire poteſt.

LEGES & gubernatores eccleſiaſtici videntur negligi, contemni, ſugillari & derideri poſſe, vt libet, & deriſores tamen pro melioribus chriſtianis haberi debere, quam vt excommunicationem hanc ob rem commereantur. Cur alioquin quiſpiam recuſet eiuſmodi homines excommunicare, ſi a legitimo antiſtite id facere iubeatur? Hac de re dubitatur in *Anglia*, in eccleſia autem *Gallicana* nunquam dubitatum fuit. Clerici illius non recuſauerint vniuerſum corpus diſciplinæ ſuæ obſeruare, nec dubitaverint iureiurando promittere, ſe id facturos, tametſi illic canones reperiantur, qui homines excommunicari iubent ob minora crimina, quam ſunt alta dominatus deſpectio & inſectatio dignitatum.

(w) Synod. Iuliodun. cap. X. art. IV. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 774.)

ANTEQVAM hoc caput finiam, non possum, quin mentionem faciam iniustæ cauillationis BAXTERI de numero etiam canonum, quod sint CXLI. *Pro tot præceptis ecclesiæ, quæ habemus*, inquit, *decem præcepta Dei non nisi exigua religionis nostræ portio sunt.* [x]

NIHIL tam vulgare est, quin, si argumentum ex eo cudi possit, in contumeliosam animaduersionem conuertatur. Innuere hoc ipso vult BAXTERVS, quasi omnes canones ecclesiastici sint res, verbo Dei & decem præceptis additæ. Quidquid autem eius fuerit, ecclesia *Gallica* rationi de multiplicatis canonibus reddendæ multo magis obnoxia est, quam nostra. Nam numerus canonum illius fere altero tanto maior est in libro disciplinæ, qui ducentos quinquaginta quatuor canones continet, præter canones vndetriginta synodorum nationalium, qui corpus legis canonicæ efficiunt & regulæ sunt, ad quas illic gubernantur ecclesiæ. Dicere quoque heic poteram, formam politiæ ecclesiasticæ KNOXI [y] pluribus consistere canonibus, sed dedita opera me adstringo ad ecclesias *Gallicas*, quarum canones, vti me ostendisse credo, vsitatum in ecclesia *Anglicana* morem promittendi iureiurando obedientiam canonicam sensu, quo accipi potest, strictissimo, satis vindicant.

LIBRI QVARTI

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Ecclesiam *Gallicam* communionem permittere cum ecclesiis *Lutheranis* ex hoc quidem principio, Quod omnes defectus, qui non sint nostra vitia, potius tolerari, quam schisma in vlla ecclesia conflari expediat.

PERCENSVI iam omnes constitutionis *Anglicanæ* partes, et ostendi, res præcipuas, quas contra abalienati ab ecclesia nostra *Angli* excipiant, ex principiis & praxi ecclesiæ *Gal-*

(x) Baxt. *Engl. Nonconf.* p. 125.
(y) Vid. histor. Spotswoodi lib. III.

licanæ

licanæ defendi posse & vindicari. Ex quibus omnibus concludere nobis licebit, separationem ob eiusmodi res aut illicitam esse in *Anglia*, aut licitam & necessariam esse in ecclesia *Gallica*, et eos, qui a nostra communione se abstinent, ab altera etiam se abstinere oportere. Si enim ea, quæ disserui, recte se habent, regulæ *Gallicæ* & *Geneuenses* certissime homines efficerent Nonconformistas, perinde ac leges *Anglicanæ*, si illic degerent & ex iisdem principiis contra alterutram agerent constitutionem.

VNVM vero adhuc habeo, quod addam ante, quam finem huic dissertationi imponam, nimirum, Quod, si admittamus, fieri nonnulla in ecclesia *Anglicana*, quæ vocari possent errores, incommoda, aut defectus constitutionis illius: non tamen cuiusvis generis errores & defectus hominibus faciendæ separationis dent auctoritatem, si ecclesiæ *Gallicæ* iudicio hac in re stare voluerimus.

CALVINVS & BEZA sæpius hunc locum communem vrgent, idque faciunt magno & ardenti studio, quippe qui sciebant, esse hoc ex optimis argumentis contra schisma & singulare conseruandæ pacis atque vnitatis in ecclesia remedium. CALVINVS *Defectus multos*, inquit, *tolerandos iudico, vbi emendari non possunt. Quare non censeo, vt quisquam fratrum ea de caussa instet, vt ab ecclesia, cui addictus est, recedat, si maior pars gregis feratur in contrarium; quia in eiusmodi casibus satis esse mihi videtur, si quod rectum esse nouimus, a nobis procuratum sit. Quamuis enim, quod obtruditur, & scandalum adferat & malam caudam trahat; quia tamen per se Dei verbo non repugnat, concedi potest: maxime vbi maior numerus peruincit, quando ei, qui membrum est tantum illius corporis, nulla ratio suppetit vlterius pergendi.* [z]

MVLTA in hac responsione notatu digna sunt, in eaque diversa capita, inter nos controuersa, dirimuntur. 1. Non cuiusvis generis defectus in quadam ecclesia dicendi sunt directe repugnare verbo Dei. 2. Non debemus ab ecclesia, cuius membra sumus, nos separare ob eiusmodi defectus tolerabiles, ad quos conformare nos possumus sine peccato, etiamsi peccent,

(z) Caluin. resp. ad duo certa capita inter epist. p. 218.

qui hanc nobis neceſſitatem imponunt. 3. Etiam illi defectus, qui ſcandalum adferunt aliaque incommoda, nobis licentiam non dant faciendi ſeceſſionem ab eccleſia, quod per ſe non ſunt ſimpliciter mala. 4. Si pacis cauſſa in eiuſmodi caſibus cedamus parti maiori, nullam nobis culpam contrahimus, nec participes nos reddimus peccatorum alienorum. Quæ omnia communi opinioni ſchiſmaticorum noſtrorum repugnant, et præcipua principia deſtruunt, quibus præſentem ſeparationem eunt ſtabilitum.

CALVINVS eadem pacifica ratione ad IOANNEM KNOXVM *Scotum* ſcripſit: *In cærimoniis*, inquit, *confido*, *tuum rigorem quamuis multis diſpliceat, moderatum tamen fore. Danda quidem opera eſt, vt eccleſia ſordibus omnibus purgetur, quæ ex errore & ſuperſtitione manarunt: Sedulo etiam eniti oportet, ne fœdentur DEI myſteria ludicris vel inſipidis mixturis. Hac exceptione poſita, quædam etſi minus probentur, toleranda eſſe non ignoras.* [a]

IN alia quadam epiſtola iterum agens de cærimoniis ſic ſcribit: *Illæ res eiuſmodi non ſunt, quarum occaſione ſponte nobis ipſis cœnam Domini interdicamus. - - Si non licet obtinere, quod cupimus, feramus illos defectus, non approbemus, modo ne ſubſit illic impietas aliudue Dei verbo repugnans. - - Vbi doctrina ipſa ſana atque pura eſt, ac cærimoniæ ad ciuilem quamdam honeſtatem vel decorum vſurpantur, ſilentio nobis prætereunda ſunt iſta magis, quam vt eorum occaſione ad diſceptationes & grauiores motus veniendum ſit.* [b]

MVLTVM facerent moderata CALVINI conſilia ad ſananda noſtra diſſidia, ſi omnes crederent, oportere ſe non ſolum hoc monitum in praxin deducere, ſed etiam, quidquid poſſent, pacis & vnitatis cauſſa cum ſilentio ferre, nec graues motus ea de re excitare.

MVLTA alia exempla eiuſmodi ſapientis conſilii ex CALVINI operibus, maxime ex epiſtolis eius [c], poſſem producere, ad-

(a) Caluin. ep. ad Ioan. Knox. p. 150.
(b) Caluin. ep. ad N. N. p. 147.
(c) Caluin. ep. ad Farell. p. 6. ad popul. Geneuenſ. p. 12. ad Farell. p. 17. ad eccleſ. Monsbelgard. p. 25.

dam

dam autem vnum duntaxat locum, quem puto hanc materiam diligentius pertractare quam quidquid hactenus attuli. In epistola quadam ad *Farellum*, quum *Geneua* expulsi essent, narrat, *Sonerium* quemdam a se quæstionem discuti voluisse, an liceret sibi ac similibus cœnam dominicam cum ex eorum, qui in eiectorum ministrorum locum obtrusi essent, manibus accipere, tum etiam cum tanta hominum colluuie participare? Ad has quæstiones, adhibito in consilium CAPITONE, in hæc verba *Argentorato* respondit: *Mihi cum Capitone nihil fuit in hac re dissensionis. Summa hæc fuit: Tantum debere inter christianos esse odium schismatis, vt semper, quoad liceat, refugiant. Tantam ministerii ac sacramentorum reuerentiam esse oportere, vt, vbicunque extare hæc cernunt, ecclesiam esse censeant. Quando igitur Domini permissu fit, vt per illos, qualescunque tandem sint, ecclesia administretur; si ecclesiæ signa illic conspiciunt, satius fore, si non se a communione alienent. Nec obest, quod impura quædam dogmata illic tradantur; reliquias enim ignorantiæ vix vlla est ecclesia, quæ prorsus nullas retineat. Nobis sufficit, si doctrina, qua ecclesia CHRISTI fundatur, locum habeat atque obtineat. Nec illud nos moratur, quod legitimus haberi pastor non debet, qui in locum veri ministri non tantum irrepserit fraudulenter, sed nefarie irruperit. Non enim est, cur se priuatorum vnusquisque istis scrupulis implicet: Sacramenta cum ecclesia communicant; per eorum manus dispensari sibi sustinent: quos enim tenere locum intelligunt, iure an iniuria, quamquam ad ipsos pertinet, de eo tamen iudicium suspendere vsque ad legitimam cognitionem possunt. Itaque si eorum ministerio vtantur, non tamen periculum erit, ne aut cognoscere, aut approbare, aut vllo pacto ratum habere videantur.* [d]

HAEC omnibus apparentibus difficultatibus & scrupulis respondent, quos nonnulli contra ministros & communionem ecclesiæ *Anglicanæ* habent. Fac enim, non solum quosdam defectus, sed quasdam etiam corruptiones in hac & in istis inesse, tamen, quoad vera signa ecclesiæ illic conspiciuntur, nec creditæ illæ corruptiones sunt eiusmodi, vt vel puram verbi diuini

(d) Caluin. ep. ad Farell. p. 5.

præ-

prædicationem, vel debitam ſacramentorum adminiſtrationem impediant; vel homines compellantur ad approbandos iſtos defectus: In eiuſmodi caſibus, CALVINVS putat, tantum debere eſſe odium ſchiſmatis, vt homines potius iſtos defectus in eccleſia ferre, quam communionem eius propterea deſerere oporteat. Siquidem vix vlla eccleſia ſit, quæ prorſus nullas ignorantiæ reliquias retineat.

BEZAE iudicium omnino idem fuit, quemadmodum ex reſponſione apparet, quam iis dedit, qui eaſdem quæſtiones eoſdemque ſcrupulos ei propoſuerant. In epiſtola ſecunda ad *Thomam Tilium* dicit, eſſe nonnullos, qui magnopere offendantur iſtis eccleſiis, quæ, omiſſa cærimonia frangendi panis in euchariſtia, rationem ingerendi panem in ora, loco tradendi in manus communicantium, retineant, vti fiat apud pontificios, et qui ob hos defectus damnent illas eccleſias, tamquam in quibus cœna dominica profanetur, neque adeo communionem cum illis habendam iudicent. Hiſce igitur hoc reddit reſponſum: *Quidquid recte fit, non eſt tamen ſimpliciter & abſolute neceſſarium. Ac proinde, qui iſtam manus ſumtionem ſic vrgent, vt cœnam in iis eccleſiis profanari iudicent, vbi abſque ſuperſtitione ac multo magis abſque impietate, ſed vel ex paſtorum aut magiſtratus oſcitantia, aut quia periculoſa ſit repentina nouatio, adhuc oris ſumtio retinetur, vereor, vt ipſi potius vel non nulla rerum iſtarum ignorantia vel αὐθαδείᾳ peccent.* [e]

SI recte iudicat BEZA, retineri in quadam eccleſia poſſunt nonnullæ inconuenientes conſuetudines & cærimoniæ, idque ipſorum paſtorum & magiſtratuum culpa, et tantum tamen abeſt, vt eccleſia his rebus profanetur, vt illi, qui eam damnant ab eaque hanc ob cauſſam ſeceſſionem faciunt, rerum iſtarum ignari & αὐθάδεις iudicandi ſint.

MVLTO plura hac de materia loquitur in illa epiſtola, cuius concluſio habet in hanc ſententiam: *Sentio grauiſſime & in ſemetipſos & in fratres reliquos peccare, qui næuis iſtis, aut etiam, ſi mauis, corruptelis & ſuas & aliorum conſcientias non leuiter perturbant, perinde ac ſi de chriſtianiſmo ſemel ſublato ageretur.* - -

(e) Bez. ep. ad Tilium p. 26. (p. m. 195.)

- *Eſt*

Esto, vitiose hoc vel illud a nonnullis fiat, aut prætermittatur, an propterea christiani non sunt nec pro fratribus habendi? Nam certe fratres non ducimus, quibuscum sacram communionem habere nobis nefas esse ducimus. At enim, inquiunt, sic videmur illorum peccatis communicare. Immo falsissima est hæc consequutio. Nec enim, vt rite ad cœnam accedam, scrutandum est mihi, qua quisque conscientia ad eam mecum accedat, sed de mea ipsius conscientia mihi laborandum est. Itaque & cum adulteris & cum homicidis & cum sceleratissimis quibusuis, modo nulla mea culpa tales sint, si ad cœnam castus & sceleris purus accessero, nihil illorum impuritas mihi nocuerit. Et quod de moribus dico, etiam de doctrina dico, quam interdum nec pastores satis pure tradunt, nec auditores satis recte percipiunt. Dicam etiam amplius, si vel Turcam vel Iudæum pastor quispiam siue prudenter siue imprudenter admitteret, tota illius facti culpa in illum recideret, nec ego propterea cunctanter ad mensam Domini accessero: quoniam alterius conscientia impura, modo extra culpam sim, meam, quæ pura est, non polluit, & ea ipsa cœna mihi pura est, quam impurus ille profanat. An igitur, obsecro, eius ecclesiæ corruptela polluimur, quæ vel ignorantia vel infirmitate peccet aliquatenus in cœnæ administrandæ ritu, ideoque tanto nos ipsos beneficio vltro priuabimus, et infirmorum conscientias perturbabimus? Verum, inquient, vt non inquinemur eorum peccato, attamen fouere eorum errorem sic videbimur: Immo ne hoc quidem satis recte dicitur. Quid enim magis absurdum est, quam eum accusare tanquam alieni vitii fautorem, qui vt fratrem lucretur, eius infirmitatem tolerat? Tibi non frangitur panis, sed integer datur, tibi in os, non in manus, præbetur, nulla tamen vel superstitione vel impietate probabili, laudari sane id non potest nec debet: at tu certe peccatum non committis, quod in te potius committitur. Condemna igitur apud te atque etiam, prout sese occasio offeret, reprehende id, quo in te delinquit infirmus frater, et commodam quærito ædificandi illius rationem. Interim sedulo caue, ne quasi de christianismi summa agatur, offensus resilias & præpostera tua seueritate illum quidem perdas & destruas, te ipsum autem oblato illo beneficio priues. [f]

(f) Bez. ibid. p.29. (p. m. 196.)

HAEC sunt prudentiæ plena consilia & salutaria monita, quibus CALVINVS & BEZA protestantium mentes moderari atque in officio retinere studuerunt, quando vel minimi momenti propensionem ad separandum se ab ecclesia in illis animaduerterunt. Supra [g] ostendi, BEZAM ecclesiæ *Anglicanæ* bona officia præstitisse, dum similia monita nonnullis anxie religiosis hominibus suggessit, qui ritibus ac cærimoniis tantopere offendebantur, vt propterea de deserenda ecclesiæ communione cogitarent. BEZA autem rogatus sententiam hac de re, hunc in modum eis respondit: *Possunt ac etiam debent multa tolerari, quæ tamen recte non præcipiuntur. Itaque primum respondemus, etsi ista, nostro quidem iudicio, non recte reuehuntur in ecclesiam, tamen quum non sint ex earum rerum genere, quæ per se impiæ sunt, non videri nobis illas tanti momenti, vt propterea vel pastoribus deserendum sit potius ministerium, quam vt vestes illas adsumant, vel gregibus omittendum publicum pabulum potius, quam ita vestitos pastores audiant. Ista, quæ mutare pastores non possunt, ferant potius, quam ecclesias ob eam caussam deserendo maioribus & periculosioribus malis occasionem Satanæ, nihil aliud quærenti, præbeant. Gregibus autem, integra manente doctrina, suademus, vt doctrinam ipsam nihilo minus attente audiant, sacramentis religiose vtantur,* cetera. [h]

IDEM monet de musica ecclesiastica, crucis consignatione, puerorum baptizandorum interrogatione, crusto azymo & rotundo, & geniculatione in cœna Domini. *Quum ista*, inquit, *per se non sint idololatrica, idem de illis, quod de proxime præcedentibus, sentimus. Hoc est, nec ministros stationem suam nec populum communionem ecclesiæ deserere debere, etsi res istas vniuersas haud comprobent.* [i]

HAEC firmissima argumenta sunt, ex opinione saltem CALVINI & BEZAE, defectus quosdam in omnibus ecclesiis tolerandos, nec separationem faciendam esse propter ista incommoda, quæ satius sit ferre, quam schisma de illis in ecclesia excitare.

PORRO obseruandum mihi est, ecclesiam *Gallicanam* ex hoc principio semper fuisse propensam ad coniungendum se in com-

(g) Lib. I. cap. V.
(h) Bez. epist. XII. p. 107, 108. (p. m. 259.)
(i) Bez. ibid.

muni-

munione cum ecclesiis *Lutheranis*, non obstantibus multo pluribus, siue veris siue falso creditis, defectibus, quam ecclesiæ *Anglicanæ* obiici possunt. Nam ferunt, *Lutheranos* recipere vsum exorcismi in baptismo & nomen missæ pro eucharistia, altaria item lapidea loco mensarum communionis; celebrare eos eucharistiam in pane azymo, & cantare hymnos quosdam lingua latina; retinere imagines propter historiam in ecclesiis suis, ac requirere quodammodo confessionem auricularem cum aliis rebus eiusdem generis. Vt ne meminerim, doctrinam de consubstantiatione, vbiquitate, ceteris, qui noti errores sunt, quos istius communionis homines communiter amplectuntur. [†] Verumtamen his omnibus non obstantibus tantum abest, vt reformati *Galli* separationem ab ecclesiis *Lutheranis* suadeant aut comprobent, vt occasionem nacti animo libenti & sincero semper cum illis communicauerint. CALVINVS non solum confessioni *Augustanæ* subscripsit, (vti ipsemet narrat in epistola ad MARTINVM SCALINGIVM [*k*]) sed præterea etiam profitetur, & suam ipsius & MARTINI BVCERI [*l*] opinionem fuisse, non esse committendum, vt ob externas illas obseruatiunculas, quas retineat in ecclesia LVTHERVS, ab ipso disiungerentur, nec sane iustas esse dissidii caussas.

(†) Doctrinam de reali præsentia corporis ac sanguinis Christi in sacra cœna, quam sic dictæ ecclesiæ Lutheranæ profitentur, & quam Cl. Binghamus heic notat, ab erroris incusatione liberare & ostendere, verbo diuino esse consentaneam, non est huius loci. Qui eam plane & simpliciter ipsius b. Lutheri verbis traditam legere volet, euoluat Form. Concord. p. 752. seqq. edit. Lipsiensis. Vindicias autem huius doctrinæ scripserunt ex theologis nostratibus bene multi, quos omnes heic nominare nihil attinet. Ex recentioribus tantum ad vnum IO. FRANCISCVM BVDDEVM lectorem remittere libet, qui in institutionibus theologiæ dogmaticæ lib. V. cap. I. §. XV. p. m. 1158 seqq. hanc materiam diligenter tractat aliosque auctores indicat, quæ eamdem doctrinam aduersus obiectiones PETRI BAELII aliorumque tuiti sunt. Idem de ceteris, quos non nominauit BINGHAMVS, erroribus statuendum fuerit. *Gr.*

(*k*) Epist. Schalingio p. 117. Nec vero Augustanam confessionem repudio, cui pridem volens ac lubens subscripsi, sicuti eam auctor ipse interpretatus est.

(*l*) Ep. Farello p. 9. Non patitur Bucerus, vt ob externas illas obseruatiunculas a Luthero disiungamur. Nec sane iustas esse puto dissidii caussas.

ATQVE hanc communem opinionem theologorum reformatorum fuisse, qui BVCERVM & CALVINVM sunt sequuti, HENRICVS ALTINGIVS nobis fidem facit. In problematibus enim suis hanc quaestionem proponens, *Vtrum apud Lutheranos orthodoxi bona conscientia ad sacram coenam accedere possint?* Respondet adfirmando, sententiamque suam quatuor argumentis confirmat, desumtis 1. a consensu in doctrina fundamentali fidei & salutis. 2. a studio retinendae vnitatis in ecclesia & odio schismatis. 3. ab exemplis veteribus prophetarum, CHRISTI & apostolorum, qui vsi sint communione multo corruptiorum ecclesiarum, quam sint ecclesiae *Lutheranae*. 4. a testimoniis clarissimorum theologorum, CAPITONIS, BVCERI, CALVINI, MARTYRIS, ZANCHII, VRSINI, TOSSANI, PAREI, SCVLTETI & aliorum; quorum nonnulli occasione sic ferente cum illis communicauerint. [*m*]

IPSE IOANNES QVICKIVS narrat, TOVSSAINTIVM, ecclesiae *Aurelianensis* olim pastorem, grauissima persecutione eiectum in *Germaniam*, cum ecclesiis illic se libenter coniunxisse, de earumque communione honorifice loquutum esse, etiam tum, quum a IOANNE BRENTIO, IACOBO ANDREAE aliisque theologis *Stutgardiensibus* ad reddendam rationem de concionibus a se habitis esset citatus. Confirmasse cum illis, pauperes CHRISTI ecclesias in *Gallia* adspirare ad pacem cum ipsis & omnibus ecclesiis, *Augustanae* confessioni addictis, scripsisse & orasse pro iisdem, nec per hosce decem annos aliud atramentum, quam sanguinem suum in veritatis defensionem adhibuisse. [*n*]

VERVM ENIMVERO maius his omnibus testimonium habemus synodi nationalis, *Tonninii* an. MDXIV celebratae, in qua theologi, agentes de rationibus reuocandi in concordiam ecclesias protestantes, *Est*, inquiunt, *de quibusdam capitibus inter nos & Lutheranos dissensio, de quibus facillime cum illis transigi poterit; huiusmodi sunt caerimoniae ecclesiarum Lutheranarum, quae facile excusari possunt & tolerari, quia potius decentiae sunt quam necessitatis.* [*o*]

ET iterum, *Si quis communicat ad mensam Domini cum aliquo homine, qui errat in doctrina de praedestinatione, aut de natu-*

(*m*) Alting. theol. problem. part. II. problem. XVIII. p. 331.

(*n*) Quick. introduct. in synod. p. 58. 59.

(*o*) Synod. Tonnin. cap. XVIII. art. XIII. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 59.)

ra

ra IESV CHRISTI, aut qui corpus Domini nostri in omnibus locis vno eodemque tempore præsens esse credit; licet hic error omnino grauis sit, tamen eum, qui cum illo communicat, non est quod moretur. - - Et quod ad istas externas cærimonias attinet, quæ apud Lutheranos in vsu sunt, differentia non est tanta, quin facili negotio possit componi. [*p*]

SVNT hæc profecto sana principia & ad pacem & concordiam maxime accommodata. Quod si omnes, qui ab ecclesia *Anglicana* inter nos dissentiunt, his principiis se gubernari, & rationes, a synodo *Tonninienfi* initas, persequi vellent, verbis huius synodi dicere ausim, controuersiam de cærimoniis, in ecclesia nostra vsitatis, facile componi posse. Nam illas excusare saltem & tolerare possent, si non approbare & defendere. Nostræ ecclesiæ praxis, si eam ponamus vitiosam esse, nihilo magis corrupta est quam *Lutheranorum*, nec communio eius magis illicita, quam horum communio. Et si cui per ecclesiæ *Gallicæ* principia cum *Lutheranis* tuto communicare licet, non obstantibus eorum erroribus & næuis tam in doctrina quam in praxi, qui manifesto grauiores sunt quam in ecclesia *Anglicana* dici possunt inueniri; non video, cur ex iisdem principiis non sequatur, vt ecclesiæ *Anglicanæ* communio omnino amplectenda & separatio ab eadem fugienda sit, etiamsi probatum fuerit, esse illic res quasdam vitiosas vel in doctrina vel in praxi, quæ legitimam & opportunam emendationem requirant. Quibus dictis concludo, quacumque ratione hanc materiam considerauerimus, ecclesiæ *Anglicanæ* communionem vindicatam & aduersariorum obiectiones omnino confutatas esse ex principiis ecclesiæ *Gallicæ*, quæ vel ipsa eadem facit, contra quæ in nostra communione fiunt obiectiones, (vti eam ostendi in plerisque exemplis facere,) vel laudat & approbat, quæ non facit; vel certe ea permittit tanquam tolerabilia, & ferenda potius, quam vt communio dissoluatur & rumpatur pax ecclesiastica. Atque hæc sunt, quæ ex actis & decretis synodorum nationalium *Gallicarum*, quarum maxima in ecclesia reformata *Gallica* auctoritas est, initio mihi proposui demonstranda.

(*p*) Ibid. art. XVII. (Ap. *Aymon*. ibid. p. 61.)

CONCLVSIO,

CONTINENS

SERIAM INVITATIONEM CVM ANGLORVM, QVI AB ECCLESIA NOSTRA DISSENTIVNT, TVM GALLORVM, QVI RELIGIONIS CAVSSA IN PATRIA VEXATI AD NOS SE RECEPERVNT, VT CONSTANTEM ET PLENAM CVM ECCLESIA ANGLICANA INEANT COMMVNIONEM.

NIHIL supereſt, niſi vt hanc diſſertationem finiam cum ſeria adhortatione eorum, ad quos potiſſimum pertinet, qui illi præcipue ex diſſentientibus ab eccleſia *Anglicana* apud nos ſunt, qui argumentis, quæ in hoc libro examinaui, vtuntur, vt ſeceſſionem ſuam ab eccleſia *Anglicana* defendant. Hiſce ego, ſiue ſint laici, ſiue doctores, libere dico & adhuc ſemel denuntio, eos agere eiuſmodi nixos principiis, quibus induci poſſint, vt ſe ab eccleſia *Gallicana* & fortaſſis a reliquis eccleſiis proteſtantibus omnibus ſeparent.

QVOD ſpeciatim ad communionem laicorum attinet, planum feci, vix vllas conditiones in eccleſia *Anglicana* ab illis requiri, quæ non æque requirantur in eccleſia *Gallicana*, cum in officiis baptiſmi & cœnæ dominicæ, tum in aliis diuini cultus partibus. Quando eccleſia *Anglicana* poteſtatem ſibi vindicat decernendi ritus & cærimonias, & ab omnibus membris ſuis exigit, vt ſedate placideque illis ſe ſubmittant: eccleſia *Gallicana* idem facit in conciliis ſuis & ſynodis, dum leges condit de rebus indifferentibus populumque ad obediendum illis religione obſtringit. Huius poteſtatis beneficio omnibus præcipit, vt orent flectentes genua; vt ſtantes recipiant ſacram euchariſtiam; vt infantes ſuos baptiſmo offerant illis tantum diebus, vbi concio habetur; vt illis ne imponant nomina gentilium, vel *Angeli, Baptiſtæ, Emanuelis*, cetera; Vt cœnam dominicam recipiant in pane fermentato & communi, conſecrato per formulam, tradito cum formula & ſumto de ſolius miniſtri manibus: vna cum aliis conſimili-

similibus cærimoniis, de quibus apertissime & planissime exposui in tractatu antecedente. Iam vero aut concedere vnumquemque oportet, ecclesiam *Anglicanam* non nisi legitima vti potestate in præscribendis eiusmodi ritibus, omnesque homines regulis illius morem gerere, & modo christianos decenti in plena communione cum illa sese coniungere debere; aut dicere, ecclesiam *Gallicanam* potestate sua similiter abuti, adeoque hominibus religiosis tam necesse esse ab eius se communione separare, quam necesse sit a communione secedere ecclesiæ *Anglicanæ*. Si vero ad damnandam ecclesiam *Gallicam* consentire nequeunt, nec *Anglicanam* iure damnare poterunt: siquidem rationes & communionis & separationis eædem sunt in vtraque, & qui vnius communionem deserit, is principiis suis ad alterius quoque communionem deserendam obstringitur. Si homines aliquid otii & temporis consumere voluerint in his rebus sine partium studio considerandis, (ad quod faciendum heic inuitantur, & in hac dissertatione instituuntur, quo modo de vtriusque ecclesiæ praxi inter se comparata verum iudicium ferre debeant) spes fuerit, fore, vt omnes præiudicatas opiniones contra ecclesiam *Anglicanam* deponant eaque missa faciant principia, quæ, recte quidem adhibita, eos adductura sunt ad separandum se ab ecclesia *Gallica* & ab omnibus fortassis ecclesiis, a pontificis *Romani* tyrannide per salutarem reformationem liberatis.

IDEM dico, respectu habito ad doctores, illos iisdem rationibus iisdemque principiis, quibus ad instituendos & tuendos separatos conuentus in *Anglia* inducuntur, ad idem illud faciendum in *Gallia* inductum iri, si easdem, quas heic, vias persequendas ducerent. Nam conformitas & vniformitas non minus exacte per regulas ecclesiæ *Gallicanæ*, quam per regulas ecclesiæ *Anglicanæ*, requiritur. Eadem subscriptio, idem iusiurandum, idem adsensus & consensus, idem votum & pactum, eadem obedientia canonica a ministris *Gallis*, quæ a nostratibus exigitur, & quisquis aut non vult, aut non potest conditionibus istis stare, is more rato minister ecclesiæ *Gallicæ* esse nequit. Aut initio statim ab introitu in ministerium prohibendus, aut censura ecclesiastica adficiendus, ad silentium redigendus & officio mouendus est,

eſt, ſi poſtea, quam articulis, liturgiæ, diſciplinæ & canonibus ſubſcripſit, nonnulla faciat, ſubſcriptioni contraria de illisue moveat contentionem. Ita depoſitus depoſitioni placide ſeſe ſubmittere debet atque ab omnibus miniſterii functionibus deſiſtere, neque vero ipſi ſeparatos conuentus inſtituere vel (ad ſilentium redacto) concionari, inuitis antiſtibus, licet. Prius illud tam eccleſiæ *Gallicæ* quam *Anglicæ* regulis conſentaneum eſt, Nonconformiſtæ autem *Anglicani* id vocant ſacrilegam deſertionem: Et idcirco aliam ingrediuntur viam, & ſeparatos inſtituunt conventus redactique per legem ad ſilentium concionantur, tametſi id regulis & diſciplinæ eccleſiæ *Gallicæ* non minus quam eccleſiæ *Anglicæ* repugnet. Vnde manifeſtum eſt, eos, qui in *Anglia* ſeparatos conuentus inſtituunt & defendunt, ex iisdem rationibus & principiis ſentire debere, idem ſibi quoque faciendum eſſe in eccleſia *Gallica*. Neque enim eſt, quod quiſpiam dicat, conditiones miniſterii in eccleſia *Anglicana* tantopere differre a *Gallicanis*, vt miniſtri heic quidem cogantur ſeparatas congregationes inſtituere, quod illic facere neceſſe haud habeant. Siquidem hanc excuſationem omni fundamento carere, oſtendi, vbi obiectiones, contra ſubſcriptionem in *Anglia* oblatas, excusſi, easdemque, ſi non maiores, difficultates in ſubſcriptionibus in eccleſia *Gallica* vſitatis, occurrere demonſtraui.

NEQVE video, quid præterea hac in cauſſa obiici poſſit, niſi forte negotium reordinationis, in quo nonnulli decretum vniformitatis magnopere accuſant; quia a ſingulis beneficiariis exigit, vt ordinationem epiſcopalem ſecundum formulam ac ritus eccleſiæ *Anglicanæ* recipiant. Enim vero quid noxæ in hoc inſit, fateor, me nondum poſſe perſpicere, & perſuaſus ſum, nihil in eo eſſe, quod principiis & praxi eccleſiæ *Geneuenſis*, vel fortaſſis totius eccleſiæ *Gallicæ* repugnet. Nam, 1. Moris eſt *Genevatium*, vt, quum miniſtrum ex eccleſia alia in aliam promoueant, nouam ei & ſollemnem ordinationem per manus impoſitionem & preces conferant. Diſcimus hoc ex epiſtola miniſtrorum *Geneuenſium* miniſtris *Bernenſibus* ſcripta, quæ inter epiſtolas CALVINI habetur, vbi loquentes de quodam AMEDEO CAMPERELLO, miniſtro *Geneuenſi*, qui in eccleſiam ruralem ablegatus

tus fuerat, *Paſſus eſt*, inquiunt, [q] *ſe ordinari illic a fratre noſtro Caluino. - - Ludum puerilem eſſe non putamus, quum ſollemni ritu addicitur vni eccleſiæ miniſter cum publica nominis Dei inuocatione.* Iam ſi per regulas eccleſiæ *Geneuenſis* miniſtro licet nouam & ſollemnem ordinationem recipere, vbi ex eccleſia alia ad aliam mittitur: Cur homines in *Anglia* conſentire non poſſunt ad nouam ordinationem recipiendam, vbi leges id requirunt, eo fini, vt more rato eccleſiæ cuidam præficiantur? Maxime ſi id fiat pacis & vnionis cauſſa & ad tollendam populo omnem dubitationem? Non diſputo iam, an priores eorum ordinationes validæ ſint: Certum eſt, illas non eſſe validiores ordinationibus *Geneuenſibus;* neque ipſi eas validiores habere poſſunt, quam miniſtri *Geneuenſes* ſuas. Quare ſi *Geneuæ* recte fieri creditur, vt miniſtri nouam accipiant ordinationem, quia leges ſic præcipiunt: Non video, cur illicitum ſit in *Anglia*, miniſtros eidem rei ſe ſubmittere in obtemperationem legibus, inſtitutisque eccleſiæ, vbi homines aliam legitimam obtinendi cuiusdam beneficii eccleſiaſtici viam non inueniunt. Sentiant de priore ordinatione, quidquid velint, neque enim hoc in præſentem venit controuerſiam. Nam ſuppoſito etiam, priorem ordinationem eorum eſſe validam, nouæ tamen ordinationi eos ſeſe ſubmittere ſine peccato poſſe, oſtendo. Et ſi pacis ſtudio ducantur, exemplo *Geneuenſium* id potius debent facere, quam ſeparatos conuentus inſtituere, et contra antiſtitum ſuorum voluntatem cum pacis eccleſiaſticæ diſturbatione concionari.

2. AN idem in omni *Gallia* fiat, quod *Geneuæ*, nondum obſeruaui: De hoc autem mihi certum eſt, miniſtros *Gallos*, qui in *Angliam* veniunt, ad recipiendam epiſcopalem ordinationem generatim paratos eſſe, ſi eam habere poſſint. Quæ res argumento nobis eſt, eos nec inimicos eſſe epiſcopali poteſtati & iurisdictioni ipſi, nec exiſtimare, illos in regulas eccleſiæ ſuæ vel regulas euangelii peccare, qui nouam recipiant ordinationem. Quod ſi illi, apud quos iam loquor, palam demonſtrare voluerint, ad imitandam praxin & ſequendas regulas eccleſiæ *Gallicanæ* paratos ſe eſſe, miniſtros illius in hoc peculiari negotio, æque ac in

(q) Inter Caluin. epiſt. p. 254.

reliquis rebus omnibus, in quibus vtriusque ecclesiæ consensionem ostendi, debent imitari. Admonentur heic denuo, vt animum conformandi sese ostendant imitando praxin ecclesiæ *Gallicæ* in illis rebus, in quibus cum ecclesiæ *Anglicanæ* praxi conuenit. Et sane, qui pacis studiosi sunt, hoc recusare non possunt, quod regulæ, quam ipsi in reformatione præscribunt, est consentaneum. Ad illos igitur hunc sermonem dirigo, non ad eos, qui rationibus suis aut animi adfectibus seruiunt (apud quos probabile non est hoc magnum aliquod momentum habiturum) sed ad viros æquos & placidos, quos spero id etiam atque etiam diligenter esse consideraturos.

DENIQVE ad illos ecclesiæ *Gallicæ* ciues mea se conuertit oratio, qui nouissimæ persequutionis procellis ac fluctibus iactati in *Angliam* nostram tanquam in tutum portum confugerunt. Quod eos monendum duco, est: Vt, quemadmodum venerabilem synodorum suarum nationalium auctoritatem suspiciunt & publica principia illius ecclesiæ sequuntur, in qua baptizati sunt; cuius doctrinam profitentur, & cuius disciplina se gubernari cupiunt: Ita caussam ecclesiæ *Anglicanæ* strenue tueantur & adserant aduersus omnes, quotquot separatas communiones instituunt ab eaque se inique seiungunt. Ecclesiam *Gallicam*, certum est, per principia sua non fauere separationi. Omnes eius filios, quotquot principia illius intelligere putantur, mecum hac in re sese coniungere necesse est. Quare si qui sunt, qui secus agunt, & vel clandestine vel manifeste separationem fulciunt atque sustentant, aut principia eo tendentia fouent, illi sane non minus contra verum emolumentum & principia suæ ecclesiæ, quam contra ecclesiam *Anglicanam*, agere existimandi sunt. Quod quum dico, haud quempiam accusare, sed eos omnes animo beneuolo tantum præmonere volo, vt sibi ab impetu & subtilitate periculosæ cuiusdam tentationis caueant, cui obnoxii fuerint, si vel suæ ipsorum vel nostræ ecclesiæ principia & constitutionem non satis perspexerint. Nonnulli enim fortassis cogitabunt, quod, quum differentes ritus ac cærimoniæ in hisce duabus ecclesiis obtineant, idcirco etiam principia earum differant: aut quod, quum dissen-

tien-

tientium *Anglorum* praxis in nonnullis rebus ad praxin ecclesiæ *Gallicanæ* propius accedat, quam praxis ecclesiæ nostræ *Anglicanæ*, propterea principia dissentientium eadem sint, quæ ecclesiæ *Gallicæ*, adeoque eorum potius, quam ecclesiæ *Anglicanæ*, communionem eligere expediat. Si qui sic persuasum habent, illis pace eorum libere dico, quod ecclesiæ suæ principia non recte intelligant directeque contra illa agant. Est enim vnum de præcipuis principiis in ecclesia *Gallica*, commune quidem illi cum ecclesia *Anglica*, Quod vnaquæque ecclesia nationalis potestatem habeat decernendi ritus ac cærimonias indifferentes, quas commodas & ad populi sui ædificationem aptas iudicet; et quod omnia membra eiusmodi ecclesiæ per conscientiam oporteat quiete & tranquille his eius institutis sese submittere; et quod illi, qui de istis rebus rixas & contentiones excitent, iniustæ separationis culpam sustineant. Aliud quoddam principium est, ex priore isto per se fluens. Quod differentes ritus in distinctis ecclesiis nationalibus non importent differentiam in fide, neque adeo impedire debeant, quo minus membra vnius ecclesiæ communione sese coniungant cum altera; sed quod vnumquemque ritibus & cærimoniis istius ecclesiæ vti oporteat, cum qua communicet, etiamsi ab suæ ipsius ecclesiæ ritibus & cærimoniis differant. *Gallus* in ecclesia *Anglicana* eucharistiam genu flectendo, *Anglus* autem in ecclesia *Gallicana* stando illam debet accipere, quia vtriusque ecclesiæ leges & consuetudines sic postulant. Tertium aliquod principium ecclesiæ *Gallicæ* est, Quod, qui sine iusta caussa ab ecclesia sua se separant, in separatione ista ab alius cuiusdam ecclesiæ membris confirmari non debeant, nec in communionem recipi, vsque dum suæ ipsorum ecclesiæ fecerint satis. Iam supposito, hæc omnia ita se habere, fieri non potest, vt illi, qui sincera ecclesiæ *Gallicæ* membra sunt, dummodo principia sua tueantur & ad regulas suas agant, vel ecclesiæ *Anglicanæ* cærimonias damnent, vel vlla ratione præsenti faueant subveniantue schismati. Etsi enim nostrorum rituum nonnulli a ritibus eorum differant, in his tamen communibus principiis conspiramus, quæ diuersos vtrorumque ritus vindicant, idque licitum immo necessarium esse probant, vt ad consuetudines alter-

Tt tt 2 vtrius

vtrius ecclesiæ nos conformemus, si cum illa communicemus. Qui vero ab alterutra ecclesia ob illas res se separant, vtriusque principiis damnantur. Vt adeo *Anglorum* ab ecclesia nostra dissentientium praxis per ecclesiæ *Gallicæ* principia damnetur in his ipsis rebus, in quibus consuetudinem eius se imitari dictitant: quia contra hæc communia vnionis principia agunt, quæ omnes homines impellunt, vt ad receptas leges & consuetudines suæ ipsorum ecclesiæ sese conforment, nec de peregrinis ritibus ad faciendam dissensionem & minus necessariam separationem contendant.

Haec si ab ecclesiæ *Gallicanæ* ciuibus recte ponderentur atque expendantur, non possunt, quin per principia sua tum principiis tum praxi schismaticorum nostrorum renuntient, caussæque ecclesiæ *Anglicanæ* contra præsentem separationem sincere patrocinentur. Id si qui non faciunt, ratio est, quod aut sua ipsorum principia non intelligant, aut ex propriæ vtilitatis respectu contra communem vtilitatem & principia suæ ecclesiæ agant; quam ob rem per disciplinam suam ac canones, & multo magis per synodos nationales, digni sunt, qui censuræ submittantur, si Deo aliquando placuerit illos in liberum religionis suæ vsum & exercitium in patrio solo restituere. Est certe grauis quædam caussa, quæ eos impellat, vt ad communionem ecclesiæ *Anglicanæ* animo sincero sese adiungant, dum heic vitam degunt; quia hoc facientes suis principiis constanter insistunt, disciplinam suam obseruant atque ex regulis agunt synodorum suarum nationalium, quæ eos docent sese componere ad leges ecclesiæ nationalis, in qua commorentur, maxime vero ad leges ecclesiæ *Anglicanæ*, de quibus synodi eorum numquam nisi honorificentissime loquuntur. Hac ratione suam ipsorum ecclesiam honorabunt, illiusque & suæ existimationi consulent. Maximum quoque beneficium dabunt cum ecclesiæ *Anglicanæ* ipsi tum ab ea inter nos abalienatis, quin & sibimet ipsis, si illis contigerit esse tam felicibus, vt per ipsos infausta nostra dissidia componantur, & aduersæ parti addicti conuincantur, quod separatio eorum nullis principiis nullisque similibus consuetudinibus ecclesiæ *Gallicæ* nitatur. Hac ratione rei bonæ faciendæ operam suam nauare, ex suis tantum prin-

principiis & professionis legibus fideliter agendo, vti iustum officium est, quod religioni & ecclesiæ suæ debent, ita ea res præmio carere non potest. Siquidem non minus gloriosa & meritoria actio est, tollendo schismati in ecclesia Dei manus commodare, quam veritatem diuinam tempore persecutionis confiteri. Ita cum ecclesia *Anglicana* & tuto & honorifice ex suis ipsorum principiis sese coniunxerint atque consociauerint, nullam vmquam inuenturi caussam dolendi, quod regulis suis iuste ac fideliter obedierint, siue heic in *Anglia* permaneant, siue Deo duce in patriam suam aliquando reuertantur.

Contra ea si cum vllius generis schismaticis societatem inierint, ex eiusmodi principiis id faciant, oportet, quæ propriis ipsorum principiis apertissime repugnant; ex principiis, quæ nec tuta, nec honorabilia, nec diuturna sunt; quæ ad destruendam ecclesiæ *Gallicæ* non minus, quam *Anglicanæ*, constitutionem tendunt. Si cum Independentibus se coniunxerint aut isti instituto vlla ratione gratificati fuerint, ab aliqua ipsorum synodo nationali [r] iam, sunt damnati, quæ Independentium principia declarat ecclesiæ Dei perniciosa & eiusmodi, quæ omnem ordinem & pacem tam in ecclesia quam in republica subvertant. Si ad rationes se adiunxerint Presbyterianorum, haud amplius tueri eos oportet principia ecclesiæ *Gallicæ*, quæ & episcopatum diœcesanum *Angliæ*, tanquam verbo Dei consentaneum agnoscit, et omnis generis separationem ab ecclesia *Anglica* (siue respectu episcopatus, siue alia quacumque de caussa factam) damnat vt maxime vitiosam & illicitam. Hæc principia cum hodiernis principiis & moribus Presbyterianorum *Anglicanorum* consistere non possunt, qui de exstirpando episcopatu, tanquam re verbo Dei contraria, laborant, multasque alias ratiunculas, ad separationem suam ab omni vitiositate liberandam, suggerunt. Vt adeo omnia ecclesiæ *Gallicæ* membra, quatenus principia sua curant et synodorum suarum nationalium auctoritatem reuerentur & religionis suæ constitutionem saluam cupiunt, honoris, vtilitatis & conscientiæ respectu impelli debe-

(r) Synod. Carenton. III. cap. XII. art. XIII. cit. lib. I. cap. I.

ant, vt hac occaſione ab illis ſe ſecernant ſuamque a præſenti ſchiſmate alienationem oſtendant. Alioquin hæ ipſæ ſynodi, quas ſibi iam gloriæ ducunt, ipſis perpetuo opprobrio erunt; quemadmodum fide digni annales & bonarum legum ſyſtemata nihil niſi tabulæ & notæ turpitudinis hominum ſunt, ſi vitæ improbitate principia ſua confutant. Spero, confeſſorum *Gallorum* nullos eſſe in *Anglia*, qui non ſint daturi operam, vt hanc reprehenſionem effugiant, et qui non æque honeſto ac generoſo animo principia ſua heic profiteantur, ſicut alibi alia occaſione, duriſſimis perſecutionis temporibus, profeſſi ſunt. Ita demum, ſi Deus ipſos in antiqua iura & priuilegia ſua reſtituere voluerit, triumphantes ſine dedecore & ignominia reuerti poterunt; vt qui fidem ſuam non abnegarunt, principia ſua non deſeruerunt, diſciplinam ſuam non reſciderunt, nec malo quodam exemplo viam aliis aperuerunt ſimili modo in conſtitutionem eorum irrumpendi vnionemque eccleſiarum ipſorum deſtruendi; ad quam tuendam ac conſeruandam ſynodi eorum nationales tantam ſapientiam tantamque curam adhibuerunt. Ita cum dignitate epiſcopali, ſi libuerit, reuerti poterunt, arctius nobis vniti; et hæc res forte viam commonſtrabit ad generaliorem omnem chriſtianorum vnionem; *quæ ſi aliquando confici poſſet & conſtabiliri*, (vt quædam eorum ſynodus [*s*] loquitur) *religio noſtra multo illuſtrior foret & miniſtri maiore cum auctoritate & proſperiore ſucceſſu, quam antea vmquam, verbum Dei prædicarent.* DEVM precor, vt omnia honeſta conſilia, quæ ad rem tam glorioſam pertinent, fortunet, et vnicuique homini inſpiret eam mentem, vt ea ſectetur, quæ ad pacem faciunt & mutuam ædificationem.

(*s*) Synod. Tonnin. cap. VIII. art. XXI. (Ap. *Aymon.* tom. II. p. 62.)

SER-

SERMO

DE

MISERICORDIA DEI

ERGA


RESIPISCENTES

PECCATORES;

VSVI

HOMINVM ANIMO ADFLICTORVM

DESTINATVS.



Pſalm. CIII, 13.

Vt miſeretur pater filiorum, ſic miſeretur Iehoua timentium ipſum.

VT nulla in Deo proprietas magis amabilis eſt in ſe, nec in ſui conſideratione plus conſolationis humanæ naturæ dare poteſt, quam attributum *miſericordiæ:* Ita ſcriptura ſacra nihil nobis potentioribus verbis commendare videtur, quod credamus & recte percipiamus, quam hoc ipſum. Deum nobis repræſentat vt delectantem hoc charactere in eoque gloriantem, quod ſit miſericors & gratioſus, longanimis & multus benignitate ac fide: cuſtodiens benignitatem millibus, condonans iniquitatem & defectionem & peccatum; quemadmodum Deus *Moſem* tranſiens in monte *Sinai* pronuntiauit Exod. XXXIV, 6. Quod vt eo melius pernoſcamus, ad imbecillitatem noſtram ſeſe accommodans ratione vtitur loquendi nobis perquam familiari, notiones miſericordiæ Dei in animis noſtris excitando per res, quas penitus perſpectas & cognitas habemus, dum actiones & propenſionem Dei comparat cum actionibus & propenſione miſericordis patris in filios ſuos. Viuide ac ſignificanter hoc proponit ſaluator noſter in parabola de filio prodigo Luc. XV, atque hoc loco pſaltes, *Vt miſeretur pater filiorum, ſic miſeretur Iehoua timentium ipſum.*

Ex quibus verbis propoſitum mihi eſt dicere de *Miſericordia* Dei, non generatim, quatenus ad res creatas omnes ſpectat, (nam *in omnia opera ſua miſericors eſt*) ſed quatenus ſpeciatim ad pœnitentes ac reſipiſcentes peccatores refertur, qui heic deſcribuntur nomine timentium ipſum.

Hoc dum facio,

I. *Illustria quædam exempla notabilis misericordiæ Dei erga pœnitentes peccatores dabo.*

II. *Difficultatibus non nullis occurram & medebor, quæ sæpius faciunt, vt pœnitentes peccatores putent, misericordia Dei se destitui, vbi revera illa fruuntur.*

III. *Hunc sermonem obseruationibus quibusdam practicis & moralibus applicabo.*

Dicenti mihi I. de illustribus quibusdam exemplis notabilis misericordiæ Dei erga pœnitentes peccatores necesse iam non est, vel *primo* meminisse, quod Deus filium suum miserit, vt pro genere humano mortem oppeteret; etiamsi plane singularis actus diuinæ misericordiæ fuerit, quando amorem erga nos suum in eo commendauit, quod *quum adhuc nocentes essemus, Christus pro nobis mortuus est;* vel *secundo,* quod Deus *Spiritum suum sanctum mittat, vt nos vocet & gratia sua auxiliatrice præveniat:* quoniam hi ambo actus actus sunt misericordiæ, resipiscentiam nostram antecedentes & peccatoribus eum in finem oblati, vt eos faciant pœnitentes, et ad Deum conuertant, antequam vllam potestatem voluntatemque habeant se conuertendi. Actus vero misericordiæ, de quibus iam dicturus sum, illi sunt, quos in pœnitentes peccatores Deus exercet, quando resipiscere primum incipiunt, et in ipsa via sunt ad Deum redeundi. Atque hi ipsi tres sunt. 1. Quod prima specimina & initia pietatis in illis obseruat eorumque fert imbecillitatem, vsque dum vires acquirant & perfectius emendentur. 2. Quod illis semper opitulatur & succurrit progredientibus. 3. Quod pios conatus illorum coronat benigna receptione & perfecta omnium peccatorum suorum venia.

1. Prima specimina & initia pietatis in illis obseruat, eorumque fert imbecillitatem, vsque dum vires acquirant & perfectius emendentur. Non exspectat pater a filiis suis idem virile offi-

officium, dum pueri ſunt, quod ab illis requirere poteſt, vbi ad adultorum virorum ſtatum pertigerunt. Neque eamdem in rebus agendis celeritatem, ſollertiam & ſagacitatem ab illis exigit, qui natura imbecilliores ſunt, minusque habent virium, quam ab iis requirit, quos illuſtriore & celeriore ingenio, vel firmiore corporis conſtitutione præditos eſſe nouit. Similem in modum Deus cum reſipiſcentibus peccatoribus agit. Non exſpectat ſtatim in primis conuerſionis initiis ab illis omnes iucundas gratiæ dotes & perfectiones chriſtianorum adultorum. Eſt heic quædam imbecillitas & tarditas, ſunt heic præiudicia, eſt & quædam fidei paruitas; quæ omnia ad tempus in illis paratus eſt ferre, vti in diſcipulis ſuis ea tulit CHRISTVS. Quoad animo integro ſunt & ſincero, plura non exigit, quam offerre ei poſſunt. Tantummodo preces eorum requirit & ſtudium acquirendi vberiorem gratiam, vt ad perfectionem tendant. Valde ipſum iuuat, audire clamantem ſincero animo & ore, *Credo, Domine, ſuccurre incredulitati meæ.* Conſiderat etiam, quod homines a ſe creatos non eadem animi magnitudine ac ſollertia inſtruxerit, nec vniuerſis prorſus æqualem menſuram ac portionem gratiæ ſuæ conceſſerit. Sunt enim, qui plus temporis & otii, plus opportunitatis & minus impedimenti, præſtantius ingenium & memoriam excellentiorem habent quam alii. Sunt, qui educatione & doctrina liberalius inſtituti & idonei ſunt, qui oracula diuina per ſe ipſi conſulant, dum alii leuiter tantum eruditi ex aliorum caritate pendere neceſſe habent. Idcirco non exigit, vt officium ſuum, fidem ac pietatem eodem omnes modo præſtent, ſed tantum vult, vti fideliter ſe gerant in iis, quæ cognoſcunt, et ad quæ idonei ſunt. *Cui multum datum fuerit, multum repetetur ab eo; cui vero parum datum fuerit, parum repetetur ab eo.* Exſpectat tantum probum & promtum animum ad ea facienda, quæ facere quiſque poteſt pro modo gratiæ, quem illis tribuit. Et tunc quidem obuli viduæ tam grata oblatio ſunt, quam quæ reliqui ex rerum abundantia offerunt; et in reliquis caſibus omnibus, ſi iam adſit promtus animus, prout habet quis, ita acceptus eſt, non prout non habet. Deus enim primis initiis veræ pietatis in filiis ſuis delectatur, eaque non ſolum acceptat, ſed ipſos etiam adiuuat & excitat, vt ad perfectionem contendant. *Quaſſatam arundinem*

non perfringet, neque fumigans ellychnium exstinguet eo vsque, vt ius perducat ad victoriam. Quæ res me deducit ad secundum actum misericordiæ Dei erga resipiscentes peccatores, qui est,

2. QVOD non solum eorum ferat imbecillitatem, sed illis semper opituletur & succurrat progredientibus, vsque dum plenas vires acquirant & perfecte emendentur. Facit hoc varias gratiæ suæ adhibendo methodos, inuitando, immo trahendo eos SPIRITVS sui SANCTI potentibus etsi sæpe inuisibilibus & eiusmodi operationibus, quæ discerni non possunt. Qui SPIRITVS intellectum eorum gradatim illuminat, eosque ducit in omnem necessariam veritatem; aufert duritiem cordis & corrigit prauitatem voluntatis eorum; ordinat omnes eorum adfectus, eosque in vero ac proprio obiecto suo figit ac locat; flectit ac contorquet omnes animi inclinationes, vsque dum diuinæ voluntati perfecte respondeant. Adaperit corda eorum facitque, vt magis atque magis verbum Dei attendant; cuius promissionibus eos munit contra terrorem & desperationem, et omnes apparentes difficultates religionis obterit, nouas vires, auxilium & alacritatem primis eorum conatibus addendo, mentesque eorum deuotione ardentes & in alterius mundi negotio fixas & occupatas tenendo. Hic bonus SPIRITVS nullum tempus opportunum benigne illis faciendi prætermittit, sed commodam quamcunque & idoneam occasionem inspirandi bonas eis cogitationes arripit. Mille etiam casus, qui in vita ipsorum forte fortuna incidere videntur, per diuinam prouidentiam vocationi & admonitioni eorum inseruiunt, dum SPIRITVS efficit, vt diligentibus Deum omnia adiumento ad bonum sint. Hisce & similibus remediis (naturales nostras facultates corroborantibus, non destruentibus) homo, qui antea infirmus, immo mortuus in delictis & peccatis erat, non solum viuificatur & in libertatem adseritur, sed dicere etiam cum magno Apostolo potest, *Omnia valeo per eum, qui me corroborat, nempe CHRISTVM.* Est hic secundus actus misericordiæ Dei erga resipiscentes peccatores, Quod illis semper opituletur & succurrat progredientibus, vsque dum plenas vires acquirant & perfecte emendentur: Postea

3. PIOS conatus illorum benigna receptione in gratiam ac fauorem, et perfecta omnium peccatorum suorum venia coronat.

Quo-

Quotiescumque peccator aliquis a malis viis ſuis ad ipſum convertitur, iram ſuam ſtatim deponit, a priſtina indignatione deſiſtit, ingrati animi crimen delet, delictorum obliuiſcitur, nec peccatorum amplius recordatur. Non retinet obſcuram ſimultatem, nec iniurias vlciſci cogitat, nec de vita anteacta cum peccatore expoſtulat, non obiectat ei priſtinam ſtultitiam, nec de ea illum obiurgat, ſed omnes noxas voluntaria quadam obliuione conterit & libenter ipſum recipit in gratiam. *Si quis impius ab omnibus ſuis, quæ commiſit, peccatis receſſerit, omniaque mea placita conſeruauerit, et ius æquumque fecerit, vivet, non morietur: quidquid peccatorum commiſit, non recoletur ei, ſed ſua, quam exercuerit, iuſtitia viuet.* Hoc Deus generatim omnibus reſipiſcentibus peccatoribus promittit Ezech. XVIII, 21. 22. Et Ier. XXXI, 34. *Eorum culpæ ignoſcam, eorum peccatorum non recordaturus amplius.*

QVIBVS in locis obſeruandum nobis eſt, quanta ſit & quam late longeque pateat, item quam promta ſit & alacris miſericordia Dei. Quæ qualitates ſunt, quæ eam commendant ſupra id omne, quidquid in humana bonitate deprehendi ſolet.

DEVS enim non leuiora tantum ſed etiam grauiſſima quæque peccata promte ignoſcit. Quanta non erant crimina *Dauidis*, adulterium & homicidium, animus in DEVM ingratus, & diuinitus acceptorum beneficiorum obliuio? Et tamen interueniente ſincera eius reſipiſcentia Deus ei illa promte condonabat. Vix dum peccata ſua ſincere confeſſus erat, quum propheta nomine Dei hanc plenam ſolatii abſolutionem ei impertiret: *Iehoua remittit tibi peccatum neque morieris*, 2 Sam. XII, 13. Erat autem maius quoddam peccatum, quam illa *Dauidis* omnia ſimul ſumta, quod Deus ignouit, cædes videlicet, qua CHRISTVS proprius ipſius filius, princeps vitæ & gloriæ, occiſus eſt. De qua AVGVSTINVS ad conſolandos grauiſſimos peccatores in hunc modum diſſerit: *Nemo dicat,* [a] *illud feci, forte mihi non dimittitur. Quid feciſti, quantum feciſti, dic immane aliquid, quod commiſiſti, graue, horrendum, quod etiam cogitare horres: quidquid vis, feceris, numquid Chriſtum occidiſti? Non eſt iſto facto ali-*

(a) Auguſtin. de ſymb. lib. I. cap. VII. tom. IX. opp. p. 294. (p. m. 1101.)

quid peius, quia Christo nihil est melius. Quantum nefas est occidere Christum? Iudæi tamen eum occiderunt & multi in eum postea crediderunt & biberunt eius sanguinem: dimissum est illis peccatum, quod commiserunt.

HAEC oratio sermone *Petri* ad *Iudæos* fundatur, quem *Act.* II, 22. legimus. Vbi primum illis sceleris magnitudinem ob oculos proponit: *Viri Israëlitæ, audite hæc dicta: Iesum Nazarenum, virum nobis a Deo repræsentatum portentis, miraculis, prodigiis, quæ per eum Deus in medio vestrum fecit, vt ipsi quoque scitis; hunc vos, definito Dei consilio & prouidentia traditum, scelestis manibus comprehendistis, & ad palum alligatum sustulistis.* Quid vero? An in perpetuum desperandum illis erat de huius facinoris venia? Neutiquam, *Redite ad frugem*, inquit eis, *& baptizetur vnusquisque vestrum in IEsu Christi nomine ad peccatorum veniam, & donum sancti spiritus adsequemini*, com. 38. Et tum sequitur com. 41. *Atque illi, eius sermone auide admisso, baptizati sunt, & accesserunt eo die hominum capita ad tria millia.* Capite sequente eodem modo & cum simili bono affectu disserit. *Vos, sancto & innocente repudiato, homicidam vobis condonari petiistis, vitæ vero auctorem occidistis, quem Deus excitauit ex mortuis. Act.* III, 14. Neque tamen eos a quærenda venia retinere studet, sed illis spem eius obtinendæ facit, si quidem rectam viam procurandi illam inire velint, quam verbis sequentibus commonstrat, *Ad sanitatem reuertimini & vos corrigite, vt deleantur vestra peccata, dum recreationis tempora veniant a Domino. Act.* II, 19. Atque hoc factum est: nam *multi eorum, qui illam orationem audiuerunt, crediderunt; quorum fuit virorum numerus ad quinque millia Act.* IV, 4.

SVNT hæc insignia exempla misericordiæ Dei in absoluendis proprii sui filii interfectoribus, ad nostri institutionem & consolationem litterarum monumentis consignata, vt ne quis de diuina misericordia desperet, cuius peccata grauiora non sunt, quam cædes CHRISTI.

PAVLVS apostolus adfirmat, eamdem ob caussam sibi tributam esse misericordiam, vt esset exemplo diuinæ clementiæ reliquis peccatoribus omnibus 1 Tim. I, 15. 16. *Certa res & omni adprobatione digna, Christum Iesum in mundum venisse seruatum sontes,*

sontes, quorum vel primus ego sum. Prius enim fuerat in Deum maledicus & infestus, atque in cæde *Stephani*, aliorumque Dei sanctorum consors, qui quum interficerentur, suffragium ferebat. *Sed ideo*, inquit, *mihi tributa misericordia est, vt in me in primis exerceret Iesus Christus summam clementiam ad eorum exemplum, qui in eo fidem essent habituri ad vitam æternam.*

DIXERIT autem quispiam, omnia hæc peccata commissa esse ante baptismum, quæ res hunc casum magnopere variet: neque enim post primum baptismum dari secundum aliquem ad peccatorum remissionem pro illis, *qui semel collustrati cæleste donum gustarunt & participes fuerunt sancti spiritus præclaraque Dei dicta & æui futuri virtutes gustarunt, et tamen relabuntur, vt iterum vitæ correctione renouentur: qui sibi Dei filium iterum crucifigant & in eum exemplum edant.* Ad quæ respondeo, hanc rem casum non variare. Nam licet peccata *Dauidis*, *Iudæorum* & *Pauli* commissa fuerint ante baptismum, non tamen fuerunt ante circumcisionem, quæ idem illis erat, quod nobis iam est baptismus, ingressus videlicet in fœdus Dei & visibile eius sigillum. Atque adeo vti Deus rationem aliquam expiandi post circumcisionem concessit, ita quoque post baptismum eam concedit, etsi baptismus nihilo magis repeti debeat, quam istis temporibus circumcisio. Deus enim pro sua misericordia, vt AVGVSTINVS [*b*] obseruat, tribus modis dimittit peccata. 1. In baptismate, quod nos ab omnibus peccatis, originali & actualibus, leuibus & immanibus purgat. 2. In oratione & quotidiana supplicatione ad thronum gratiæ propter leuia peccata & venialia, sine quibus esse non possumus. Quorum veniam nos docuit rogare, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

(*b*) Augustin. de symbolo ad catechumenos. lib. I. c. VII. tom. IX. p. 294. (p. m. 1101.) Propter omnia peccata *baptismus* inuentus est: Propter leuia, sine quibus esse non possumus, *oratio* inuenta. Quid habet oratio? Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Semel* abluimur *baptismate*, *quotidie* abluimur *oratione*. Sed nolite illa committere, pro quibus necesse est, vt a corpore Christi separemini, quod absit a vobis. Illi enim, quos videtis agere pœnitentiam, *scelera* commiserunt, inde agunt *pœnitentiam*. Nam si *leuia* peccata ipsorum essent, ad hæc *quotidiana oratio* delenda sufficeret. Ergo *tribus modis* dimittuntur peccata in ecclesia, in *baptismate*, in *oratione*, in humilitate *maioris* pœnitentiæ. cetera.

nostris. 3. Ad grauiora & atrociora scelera expianda magis sollemnem & particularem pœnitentiam præscripsit; eamque vel publicam, si quædam publica plenaque offensionis crimina commissa fuerint, pro quibus necesse est fontes a corpore CHRISTI separari; vel priuatam pœnitentiam Deum inter & nosmet ipsos, pro eiusmodi peccatis, quæ nos publicæ disciplinæ & censuræ ecclesiæ non submittunt. Vt adeo præter baptismum duplicem rationem habeamus obtinendæ veniæ peccatorum pro diuersa eorum qualitate & magnitudine. Quæ venia nobis in sacra eucharistia, velut visibili quadam demonstratione, per quamdam quasi cautionem seu syngrapham cessionis, corpus ac sanguinem CHRISTI omnemque adiunctam expiationem impertiente, confirmatur & obsignatur. Vt adeo peccator non habeat caussam querendi cum Deo de inopia misericordiæ, quum tot ei modi sint dandi nobis veniam post baptismum.

NONNVLLI vero, qui peccatorum veniam a Deo reuera impetrarunt cum ipsoque in gratia sunt, hoc sibi persuadere non possunt, quia manum eius super se adhuc quodammodo grauem sentiunt; vel *primo*, in temporalibus calamitatibus, quæ sæpius naturales peccati effectus sunt; vel *secundo*, in perpessionibus, quas ipsis sapientibus de caussis eorumque bono prouidenter immittit diuturniores; vel *tertio*, quia eos nonnunquam pristinorum suorum peccatorum recordatio denuo angit & sollicitos habet; vel *quarto*, quia gratia Dei in illis non ita potens & efficax est, vt ipsos ab omnibus vitiosæ fragilitatis & corruptionis reliquiis purget & angelos faciat ante iustum tempus; vel denique *quinto*, quia tentationibus adhuc obnoxii sunt, tristibusque & fœdis cogitationibus, contra suam voluntatem potentia & astutia Satanæ animis eorum suggestis, inquietantur. Quos scrupulos & quas querelas vt remoueam, ad caput generale secundum, mihi propositum, progredior, quod est,

II. VT difficultatibus nonnullis occurram & medear, quæ sæpius faciunt, vt pœnitentes peccatores putent, misericordia Dei se destitui, vbi reuera illa fruuntur. Atque his respondebo cum generatim tum speciatim.

GENERATIM dico, Hæc omnia proficisci ex mala intellecta misericordia Dei, quæ ipsum non impellit, vt hæc diuersa ad-

flictio-

flictionum vel imperfectionum genera omnia peccatoribus adimat eo ipso momento, quo peccata illis sua ignoscit. Nam CHRISTVS peccati expers & in se innocens, neque adeo veniæ indigus erat; et tamen homo erat dolorum ægritudinisque per omnem vitam suam gnarus; immo tentationibus etiam subiectus vti nos, citra tamen peccatum, vt iis possit succurrere, qui tentantur. Quid ergo mirum, si peccatores mortales eiusmodi ærumnis subiiciantur, quibus CHRISTVS, Deus immortalis, beneficii gratiæque ac institutionis nostri caussa sese ipse libentissimo animo subiecit.

Vt autem paullo specialius & distinctius ad diuersos istos scrupulos respondeam, obseruo 1. temporales calamitates sæpius naturales esse peccati effectus. Cur vero quis miretur, quod Deus naturales peccati effectus in peccatore post datam veniam residere sinat, quum multis in casibus secus esse non possit sine manifesto miraculo? Si quis ebriositate libidinumue intemperantia lentam febrim aut phthisin sibi ipse arcessiuerit, Deus peccatum ei suum, si vere resipiscat, condonat, neque vero vel vllo promisso vel misericordiæ suæ natura ad speciale quoddam miraculum hoc in casu obligatur, quo ipsum morbum depellat. Immo misericordia fuerit, morbum non depellere, siquidem sine secundo aliquo præuenientis gratiæ miraculo forsan futurum est, vt ægrotus, simulac conualuerit, ad pristinam viuendi rationem reuertatur. Misericordia igitur potius est, si Deus naturales peccatorum illius effectus in eo, etiam post peccata condonata superesse sinat.

2. Si Deus mortalibus adflictiones quasdam prouidenter immittit, hæ ipsæ non semper actus iræ & iudicii, sed argumenta benignitatis & misericordiæ, interpretandæ sunt, a Deo tantum ad præueniendum peccatum eosque in humilitate conseruandos designatæ. Sicut res se habebat in caussa *Pauli*, qui selectum erat instrumentum & apud Deum in primis gratiosus; et tamen Deus apponendum ei ducebat stimulum carni, angelum Satanæ, qui ipsum tunderet, vt ne ob patefactionum præstantiam se nimis efferret, sed in animi persisteret submissione. De eo ter Dominum orabat, vt a se facesseret, sed hoc solum responsum ferebat, satis

eſſe ei fauorem Dei, vt fortitudo Dei in imbecillitate eius perficeretur. Quo reſponſo ille contentus non amplius querebatur, quaſi Deus ſua ipſi miſericordia deeſſet. Verum *multo libentiſſime*, inquit, *gloriabor in meis debilitatibus, vt habitet in me fortitudo Chriſti. Proinde mihi placeo in debilitatibus, in contumeliis, in rebus aduerſis, in vexationibus, in anguſtiis pro Chriſto. Dum enim debilis ſum, tum fortis ſum.* 2 Cor. XII, 10. Perpeſſiones *Iobi* itidem non iræ Dei ſed infinitæ ſapientiæ & benignitatis in illum indicia erant, vt patientiam illius omnibus mortalibus teſtatam faceret ipſique tam illuſtrem victoriam in Satanam concederet, vt ipſe aduerſarius intelligeret, plus eſſe in humana natura, a diuina gratia adiuta, quam antea ſibi perſuaſiſſet. Vt adeo ſi Deus pœnitentibus peccatoribus adflictiones pro ſua prouidentia imponat, hæ non ſint ſemper flagella, ſed beneficia, quæ ad probandam eorum patientiam aut ad auocandos eos a peccatis ſpectant. Et ſi preces eorum de remouendis illis adflictionibus tandem exaudiantur, vti preces *Iobi*, lætentur & agant gratias: Si repulſam ferant, vti preces *Pauli*, animo patienti & libenti eſſe pergant & glorientur cum magno illo apoſtolo in debilitatibus ſuis, vt habitet in ipſis fortitudo CHRISTI.

3. Nonnulli autem peccatores pœnitentes dubitant, an peccata ſibi ſua remiſſa ſint, quia ſæpiſſime in formidine ac metu ſunt recurrentis in ſe diuinæ iræ atque indignationis. Iam ſi hoc eſt propter nouum aliquod peccatum, poſt acceptam delictorum veniam voluntarie commiſſum, iuſtam omnino cauſſam habent metuendi, quia Seruator noſter dicit, *En, ſanus euaſiſti, noli amplius peccare, ne quid tibi deterius accidat.* Si vero formido ac metus iſte tantum ex priſtinorum peccatorum, quæ iam remiſſa ſunt, recordatione oritur, tum non eſt argumentum, quod extra Dei gratiam poſiti ſint, ſed ſignum miſericordiæ illius, qua iſtum metum animos eorum denuo adficere patitur, vt eo contendant, vt ſit inter reſipiſcentiam & vitam ante actam quædam quaſi proportio, et ipſi præteritorum peccatorum horrore a futuris deterreantur. Ita eſſe, ex exemplo *Dauidis* apparet, qui quum peccati ſui veniam a Deo per *Nathanem* vatem accepiſſet de eaque firmiſſime eſſet perſuaſus, grauibus tamen terroribus & angoribus animi

animi ex magnorum delictorum recordatione vexabatur. Audias velim vnam & alteram lamentationem, hac occaſione ab illo factam Pſ. XXXVIII, 2. ſqq. *Mihi tua tela infixa ſunt, tua me vrget manus. Nihil eſt ſanum in corpore meo, tanta eſt tua ſæuitia: nihil eſt in meis membris illæſum, propter meum peccatum. Nam mea delicta meum ſupergreſſa caput, me quaſi graue quoddam onus opprimunt. Putridæ fœtent vomicæ meæ, propter meam inſaniam. Adfligor & deprimor vehementer, adſidue pullatus incedens. Nam ilia mea plena ſunt fœditate, nec quicquam eſt ſanum in meo corpore. Vehementer eneruor & atteror, præ animi ægrimonia congemiſcens.* Sic iterum Pſ. LXXVII, 2. ſqq. *Quum eſſem in anguſtiis, Dominum oraui, ſuppurante noctu meo vulnere ſine intermiſſione, animo meo conſolationem reſpuente. Memor eram Dei, turbidus & cogitabundus, animo ſeſe cruciante. Et te meorum cuſtodiam oculorum agente ſic adficiebar, vt nihil loquerer. - - Adeone in perpetuum adſpernatur Dominus, vt deinceps fauturus non ſit? Prorſumne finita eſt eius clementia? Deſieruntne eius promiſſa in omnia ſæcula? Oblitusne facilitatem Deus, miſericordiam ſuam præ iracundia prohibet?* Tandem colligit & increpat ſe ipſum propter has querelas; *Tum cogitaui, mihi ſperandum eſſe viciſſitudinem dexteræ ſupremæ.* Memoria repetam, quæ antea mihi tribuit Deus, nec locus nec ratio mihi erit eiuſmodi querelarum.

4. ALII verentur, vt delicta ſibi remiſſa ſint, quia peccati reliquias in ſe adhuc deprehendunt, nec gratiam ſentiunt tam validam, vt cuiuscumque generis peccata poſſint vincere. Iam ſi ſermo eſt de peccatis voluntariis, regnantibus, atrocibus & inueteratis, cauſſam omnino habent metuendi. Ita enim pœnitentia eorum non eſt ſincera, quia ſcientes ac prudentes regnanti cuidam vitio in animis ſuis indulgent; *Qui enim, quamuis alioquin totam legem obſeruet, tamen in vno delinquit, is omnibus tenetur. Nam qui dixit, Ne adulterato, idem dixit, Ne occidito. Quod ſi non adulteras, ſed occidis, contra legem committis:* et tam diu non es in ſtatu gratiæ apud Deum, quia voluntarius diuinæ legis violator es. Si vero tantum de leuioribus peccatis ignorantiæ, inconſiderantiæ, præcipitantiæ & humanæ fragilitatis intelligatur, quibus omnes mortales obnoxii ſunt, quibuscum quotidie dimicant, ſed quæ prorſus ſuperare nequeunt; hæc cum ſtatu gratiæ poſ-

ſunt conſiſtere, quia optimi quique illis obnoxii ſunt. ***Multa enim delinquimus omnes:*** Atque hoc ſenſu nemo eſt, qui non peccet. Deus autem pro ſua miſericordia hiſce remedium proſpexit, nimirum quotidianam orationem: ***Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.*** Si res ſecus ſe haberet, deploranda eſſet noſtra conditio. Sic enim nullus mortalium ſeruari poſſet; quum nullus ſit, ſolo CHRISTO excepto, qui vmquam ſine illis vixerit. Vt adeo, ſi Deus exacte obſeruare vellet praue facta, nullus homo poſſet conſiſtere; ſi in ius nobiscum veniret de his rebus, coram ipſo nemo mortalium abſolueretur. Hæc enim ſolorum angelorum perfectio eſt & priuilegium ſpirituum iuſtorum perfectorum. Quoad in hoc corpore carnis peregrinamur, iſti næui & imperfectiones iſtæ in nobis ſuperſunt. Deus illas in nobis reliquit, vt curam & vigilantiam noſtram exerceat faciatque, vt humiles maneamus ex ipſiusque pendeamus gratia, & vt preces noſtras ad ſe excitet ac magis magisque corroboret, vt ſuperemus. Vnde quidem vigilare nos oportet & pugnare contra eas, quantopere poſſumus, & orare, vt *fiat voluntas Dei vt in cælo ſic & in terra;* Si vero poſt omnes preces & conatus noſtros ab illis nos omnino liberare non poſſumus, non eſt, quod animum deſpondeamus, quia tantum in omnium mortalium conditione ſumus. Debemus etiam de hiſce imperfectionibus non minus quam de reliquis omnibus dolere & ſolliciti eſſe, atque ad locum illum adſpirare, qui nos ex illis eripiet in libertatemque vindicabit. Neque vero eſt, quod ante præſtitutum nobis tempus ad angelorum perfectionem nos peruenturos cogitemus, ſed quoad in hac miſeriarum valle degimus, imperfectiones illas, tamquam partem noſtrarum adflictionum, animo placido & tranquillo ferre decet, quas nihil niſi mors, vel potius victoria de morte & naturæ fragilitate, prorſus ſuperabit. Interim perſuaſiſſimum nobis eſſe debet, Deum eas nobis non eſſe imputaturum ad condemnationem, ſed noſtri miſerturum nobisque conſtanter orantibus & quotidie reſipiſcentibus condonaturum. Atque hoc ſenſu AVGVSTINVS [c] hæc peccata venialia vocat, non, quod vllum pec-

(c) Aug. de ſymbolo lib. I. cap. VII. Non vobis dico, quia ſine peccato heic vivetis: ſed ſunt venialia, ſine quibus vita iſta non eſt.

catum

catum natura ſua non ſit mortiferum, ſed quia ſunt eiuſmodi, quæ Deus ſeruis ſuis, ipſum ſincere amantibus, ad condemnationem non vult imputare.

5. Alii vere reſipiſcentes de peccatorum ſuorum remiſſione veniunt in dubium, quia tentationibus adhuc obnoxii ſunt, triſtibusque & fœdis cogitationibus, contra ſuam voluntatem potentia & aſtutia Satanæ animis eorum ſuggeſtis, perturbantur. Quo in caſu duo diligenter conſideranda & examinanda ſunt. 1. Num iſtæ tentationes propria hominum culpa excitentur, dum vel in otio viuunt deſides, & ab omni honeſta curatione & adminiſtratione rerum vacant, vel tentationi ipſi ſeſe obuios dant, illicito quodam negotio ſeſe implicantes aut vanis & ludicris rebus ſeſe oblectantes? Et 2. Num quis tentationi indulgeat, aut cedat & conſentiat? Si alterutro modo res illius ſe habet, peccati reus eſt. Qui enim otio, vel deſidiæ, vel illicitis animi oblectationibus indulgendo ſeſe tentationi obuium præbet, ille tentatorem ad ſe tentandum quaſi prouocat. Tertullianus [d] de femina quadam ſui temporis, religionem profeſſa chriſtianam, narrat, illam aliquando theatrum *Romanum* adiiſſe & inde cum dæmonio rediiſſe. Impurum ſpiritum, ab exorciſta interrogatum, quomodo auſus ſit chriſtianam adgredi? conſtanter reſpondiſſe, dicit, iuſtiſſime ſe feciſſe, in ſuo enim ſe illam inueniſſe. Atque ita, ſi homines, illicito quodam negotio implicatos, tentatio aliqua inuadit, ipſa tentatio eorum vitium eſt, quia in anteceſſum cum illa colludunt eique aditum ad ſe patefaciunt. Aut ſi eos ſine culpa ipſorum inceſſit, ſi tamen poſtea ei indulgent & adſenſum præbent, illiusque violentiæ cedunt, hac re illam tentationem Sepoſitis hiſce duobus caſibus, crimen non eſt tentari, quoad nos mere paſſiue in tentatione gerimus. Cuius rei certiſſimum ſpecimen & argumentum eſt, Quod ipſe CHRISTVS tentatus fuit a diabolo ſine peccato. Et quamdiu ad idem illud exemplum nos puros præſtamus, ita vt nec occaſionem aut aditum præbeamus tentationi, nec ex ſeruili deſidia abiecte ei nos ſubmittamus; ſed

(*d*) Tertull. de ſpectaculis cap. XXVI. In exorciſmo quum oneraretur immundus ſpiritus, quod auſus eſſet fidelem adgredi, conſtanter & iuſtiſſime, inquit, feci, IN MEO enim inueni.

ſimulac illam animaduertimus, cum indignatione ac deteſtatione reiiciamus, ſicuti ſeruator noſter fecit, *Abi e conſpectu meo, Satana, ſcriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorato cumque ſolum colito:* Quamdiu, inquam, nihil aliud in nobis efficit tentatio, niſi vt iram ſiue zelum vel fortitudinem noſtram contra ſe excitet; dum eam non admittimus cum voluptate, nec vllum ei adſenſum, vel aditum, vel quoddam quaſi pabulum præbemus, tamdiu tuti ab ea ſumus. Diaboli crimen eſt, non noſtrum. Calamitas noſtra & adflictio fuerit, peccatum noſtrum non eſt. Horrorem & ſtuporem in nobis, vti caſus quisque inopinatus, excitauerit, fortaſſis angorem etiam & ſollicitudinem animis noſtris creauerit, vt cogitemus, quomodo inſultibus Satanæ ſimus expoſiti, qui poteſtatem habet in phantaſiam noſtram operandi eaque re imaginandi vim in nobis turbandi, mirasque cogitationes excitandi. Enim vero quoad voluntas noſtra, in quam nullam poteſtatem inimicus ille tentator habet, adſenſum non præbet, illius vel acutiſſima iacula & ſubtiliſſimæ technæ nobis nocere non poſſunt. Dum diabolo reſiſtimus, tandem a nobis diſcedere neceſſe habet. Atque ita in victoria exſultabimus, tametſi in ipſo prælio fortaſſis hoc facere non licuit. *Omnis enim caſtigatio, in præſenti non voluptatis, ſed doloris eſſe cernitur. Verum tandem ſalutarem iuſtitiæ fructum reddit iis, qui per eam ſunt exercitati,* Hebr. XII, 11. Quo reſpectu apoſtolus quidam monet: *Summopere gaudendum exiſtimate, fratres mei, quum in varias incidiſtis periclitationes, intelligentes, fidei veſtræ exploratione patientiam gigni. Patientia autem perfectam actionem habeat.* Iac. I, 2. 3. 4. Ita demum in fine certaminis lætitia futura eſt, vbi ab aduerſario, exſpectationem eius fruſtrati, victoriam reportauimus. Qua de re alius apoſtolus loquitur, *Gloriamur,* inquiens, *in calamitatibus, illud ſcientes, quod calamitas patientiam parit, patientia probationem, probatio ſpem: Spes autem non pudefacit, quod Dei amore perfuſi ſunt animi noſtri, per ſpiritum ſanctum nobis datum,* Rom. V, 3. 4. 5. Tanto plus Deum in eiuſmodi caſibus amamus, quanto plus ad ipſum deſerendum a Satana tentamur & incitamur. Id zelum noſtrum accendit, conduplicat curas & vigilias, corroborat fidem & inflammat deuotionem noſtram, vt frequentius & ardentius ad gratiæ ſolium

con-

confugiamus, quo misericordiam adipiscamur & gratiam inueniamus ad opportunum auxilium. Ita ipsæ tentationes Satanæ in commodum nostrum cedunt, dum illis resistimus hostemque fugamus, & amplius quam victores eius sumus, quia mala eius consilia inuertimus & res illas in salutem nostram & firmitatem conuertimus, quas occasionem exitii & interitus nostri texuit. Quare caussam habemus statuendi in eiusmodi casibus, Deum permittere Satanæ, vt nos tentet nostro dumtaxat bono. Neque tantum sapientiæ & potestatis Dei argumentum est, quod dolos Satanæ ita patefacit ac disturbat, & ex malo bonum efficit; sed signum etiam ipsius erga nos misericordiæ, vt acceptas gratiæ dotes illustriores nostramque victoriam gloriosiorem reddat; dum præsentiam suam in infirmitate consummat facitque, vt de omni hostis nostri potestate ipsiusque orci portis triumphemus, quæ nos superare non possunt.

OMNIBVS ac singulis iam credo manifestum esse, misericordiam Dei his in rebus non posse accusari, licet *primo* resipiscentes peccatores, post datam veniam peccatorum, temporales calamitates & inter has mortem ipsam, tamquam naturales peccati effectus, perpeti sinat; licet *secundo* adflictiones illis prouidenter immittat; licet *tertio* eos interdum metu ac terrore ex pristinorum peccatorum recordatione adficiat; licet *quarto* illos sub reliquiis humanæ infirmitatis ac certamine cum leuioribus erratis ac næuis retineat; licet *quinto* permittat, vt tentationibus obnoxii sint & tristibus ac fœdis cogitationibus, contra voluntatem suam potentia & astutia Satanæ, animis eorum suggestis, inquietentur; tamen, his omnibus non obstantibus, est manetque illis pater misericors. Et, *vt miseretur pater filiorum, sic miseretur Iehoua timentium ipsum.*

III. NON possum, quin ante, quam hunc sermonem finiam, hasce paucas obseruationes morales subiungam, quæ ex hactenus dictis quasi necessario consequuntur.

1. QVOD sensus misericordiæ Dei, qua maximis peccatoribus ignoscit, reliquos peccatores omnes incitare debeat, vt ad ipsum bono animo & spe misericordiæ ducti reuertantur. Nullum peccatum potest esse grauius, quam trucidatio CHRISTI, & tamen Deo placuit eam ignoscere ad incitationem aliorum, qui essent venientibus

nientibus fæculis ad frugem redituri. Nullum caritatis officium leuius esse potest, quam istud duorum obolorum pauperis viduæ, & Deo tamen placuit illud accipere, quia ex libenti profectum erat animo & facultati respondebat, quam illi suppeditauerat Deus, qui a nullo homine plus reposcit, quam ad quod peragendum ei prius vires dedit.

2. CONSIDERATIO ista, quod Deus nonnumquam homines temporalibus adflictionibus submittat, postquam peccata eis sua condonauit, docere nos debet recte & honorifice sentire de misericordia Dei, nec fremere contra dexteram eius, seu rationem agendi nobiscum in quocunque alio respectu, si peccatorum veniam nobis indulget; sed patienti & placido animo esse in quibuscumque calamitatibus, dum persuasum habemus, eas non esse argumenta iræ, sed potius indicia benignitatis & misericordiæ, quippe qui nouit, quid nobis maxime expediat; vti *Moyses Israëlitis* dicit, *Sic vobis persuadetote, quemadmodum castigat quispiam suum filium, sic vos a Ioua Deo vestro castigari.*

3. SENSVS misericordiæ diuinæ in condonandis peccatis nostris summum amoris adfectum & ardentissimum grati animi studium erga ipsum in nobis vicissim excitare debet. Quo enim gaudio compleri, adfici & perfundi necesse est animum adflictum, debilitatum & pene omni spe salutis orbatum, vbi a terrore & metu orci liberatur, et CHRISTVM quasi audit dicentem, *Hodie eris mecum in paradiso!* Quas gratias quispiam Deo referre potest pro isto beneficio, præterquam totius vitæ suæ obedientiam? Quis zelus nimis ardens esse potest in colendo tali Domino! Si corpora & animos nostros Deo præstamus hostiam viuentem, si vtrisque ipsum colimus & honoramus, rationalis tantum cultus est illius, qui ab orco redemit ambo. Omnes igitur, quotquot sensum diuini fauoris ac misericordiæ in remissione peccatorum suorum habent, memores sint, par est, proprii officii ac muneris, cuius ratio postulat, vt Deum suis & corporibus & animis nunquam non glorificent, vt virtutes prædicent illius, qui eos ex tenebris in lucem suam mirabilem vocauit.


Denique 4. CONSIDERATIO misericordiæ & benignitatis Dei erga nos, docere nos in vnoquoque exemplo debet laudatissimum illius

illius exemplum imitari atque inducere adfectum misericordiæ, benignitatem, lenitatem; condonare nobis mutuo, quemadmodum Deus propter CHRISTVM nobis condonauit; misereri illorum, qui miseriam suam non agnoscunt, nec vllam vel potestatem vel voluntatem habent seruandi se ipsos; commiserescere eorum, qui ignari sunt & errant; ferre eorum imbecillitatem, immo & præconceptas opiniones, animi torporem & obstinationem, sicut Deus sæpissime tulit næuos nostros; placide instituere eos, qui se se ipsi opponunt, num aliquando daturus sit illis Deus resipiscentiam ad agnitionem veritatis. Heic vnicuique homini licet partem habere in christiano sacerdotio, vt priuata institutione & publico exemplo suo ad frugem reuocet, reducat & seruet quoscunque potest; vt hac etiam ratione virtutes prædicet illius, qui eum e tenebris vocauit in admirabilem suam lucem. Nulli ad explendum hoc officium magis apti sunt quam illi, qui diuinam misericordiam ipsi insigniter gustarunt & experti sunt. Illi optimi aliorum monitores sint, oportet, qui miseriam ac seruitutem peccati in animis suis senserunt, et iam beatitudinem veniæ & liberationis in semetipsis percipiunt. Vnde seruator noster *Petrum*, respectu casus & resurrectionis illius, admonebat, *Tu, vbi aliquando te conuerteris, confirma fratres tuos.* Et sane dantur rationes longe plurimæ, quibus reducti ad frugem homines adduci & possunt & debent, vt hoc faciant. *Primo*, Misericordia humanæ naturæ debita, vt durissimam seruitutem aliis hominibus demant, quam ipsi olim perpessi sunt. *Deinde*, gratus animus in Deum ad promouendam eius gloriam; quod tunc maxime fit, quum peccatores conuertuntur, luce nostra sic lucente apud homines, vt nostra recte facta videntes collaudent nostrum patrem, qui est in cælis. Quo studio teneri debent omnes vere ad Deum conuersi, et communiter ducuntur illi, qui ipsi præ aliis impie & nequiter olim vixerunt. Illi enim, quibus Deus plura peccata remisit, plerumque eum plus diligunt, et in ministerio eius plus laborant, vti *Paulus* fecit, ideo quod misericordiam a Deo obtinuerat, qui aliquando fuerat peccatorum primus. Accedit ad has rationes omnes honor istius officii atque negotii, quo nihil esse potest gloriosius. Id enim nos adiutores Dei & quasi sal-

vatores vicarios humani generis facit. Nam, *Fratres*, inquit *Iacobus*, *ſi quis veſtrum a vero aberrauerit & cum quiſpiam reuocauerit, intelligat, eum qui ſontem ab erroris ſui via reuocauerit, animam ex morte reuocaſſe, multitudinemque texiſſe peccatorum.* Denique nobis ipſis hoc vtiliſſimum, eſt & commodiſſimum, quandoquidem nobis ius quoddam dat maioris gradus gloriæ in mundo altero. Nam *erudientes ſplendebunt quaſi ſplendor expanſi, et qui multos reddiderint iuſtos, vt ſtellæ in omnem æternitatem.* Maius aliquod incitamentum dari non poteſt. Largiatur nobis Deus O. M. gratiam, vt id obtineamus, per IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum.

Cui vna cum Patre & Spiritu Sancto ſit laus, et honor, et potentia, et gloria, et imperium in ſempiterna ſæcula.

AMEN.



IN-



INDEX AVCTORVM.

Littera D (vel d) cum numero dissertationem aliquam, S sermonem, p. paginam denotat.

A.

Tom.

THEO-

De

Car-

Bohe-

N. 19.

10.

G.

H.

Lib.

Rea-

HEN-

Iulio-

IACO-



CORRIGENDA.

Pag. 6. lin. 5. leg. liceat. Pag. 284. ſeqq. notentur in titulis columnarum, vt vocantur, capita. Pag. 326. lin. 4. a fin. leg. infringendum. Pag. 354. lin. 10. a fin. poſt *vſurpet* addatur [c] & infra in margine ſub [b] ſcribatur: [c] Cyprian. epiſt. 52. ad Anton. p. 105. Pag. 625. lin. 24. leg. tribuendam.

Si quæ præterea oculos correctorum effugerint, lectores, vt ea beneuole excuſent & emendent, etiam atque etiam rogantur.